CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

III

LIBER PROVERBIORUM



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

PROVERBIA

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

CUM APPENDICE :

DE ARTE RHYTHMICA HEBRAEORUM

AUCTORE FRANCISCO ZORELL, S. I.

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1910

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM . SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est: *Commentarius in Proverbia a Iosepho Knabenbauer,* Sacerdote Soc. Iesu, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaten, die 18 mensis Iunii anno 1908.

ERN. THILL. S. I.
Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR.

† LEO-ADOLPHUS
Arch. Paris.

PROLEGOMENA

I. — De libri partibus et argumento.

In praefatione in libros Salomonis S. Hieronymus monet librum hunc vulgata editione vocari *Proverbia,* ab Hebraeis autem Misle, Parabolas. Nomen autem Proverbiorum aliter hic ursurpari quam sensu vulgari ait Calmet : « designat enim sententias, axiomata, et apophthegmata brevia, ad mores informandos apta, concisa et acri oratione exarata. Parabolae seu παροιμίαι quo titulo a Graecis liber inscribitur, vox est quae satis consonat cum hebraeo Misle; congruit autem admodum cum maiore sententiarum eius libri parte, parabolico ac figurato stilo proposita. Comparationes plerumque derivat e rebus maxime cognitis et naturalibus, e quibus gravissimas et maxime utiles lectoribus institutiones haurit » (Proverbia Salomonis, Prolegomenon).

Ceterum liber hic aliis quoque nominibus designatur. Iam Clemens romanus affert Prov. 1,23-32 tamquam verba quae dicit ἡ πανάρετος σοφία (ep. 1 ad Cor. 1,57; *M.* 1,324); Melito teste Eusebio scribit : παροιμίαι, ἣ καὶ Σοφία (Euseb. h. e. 4,26; *M.* 20,397) et ipse Eusebius scribit de Hegesippo : καὶ ἄλλα δὲ ὡς ἂν ἐξ ἰουδαικῆς ἀγράφου παραδόσεως μνημονεύει, οὐ μόνον δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος καὶ ὁ πᾶς τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν (h. e. 4,22; *M.* 20,384). Iustinus martyr ; ἐν τῇ Σοφίᾳ εἴρηται et affert Prov. 8, 22-25 (c. Tryph. 129; *M.* 6,777); Clemens alexandrinus : ἡ θεία σοφία praecipit filiis et affert Prov. 23,20 sq. (Paedag. 2,2; *M.* 8,420 sq.). Origenes apud Hebraeos librum vocari ait Μισλώθ; ipse eum sub nomine Sapientiae recitat (in Ps. 1; *M.* 12,1084; Euseb. h. e. 6,25; *M.* 20,581; in Gen. hom. 14,2; *M.* 12,237); Gregorius naz. librum novit nomine ἡ παιδαγωγικὴ σοφία (or. 8,9; *M.* 35,797). Etiam apud Iudaeos liber vocabatur liber Sapientiae ספר חכמה (Tosephot ad Baba bathra f. 14 b, ut refert Bertheau, Die Sprüche S. p. x), idque confirmatur a Melitone qui scil. de canone Iudaeorum testimonium refert et ab Hegesippo qui ad traditionem iudaicam non scriptam provo-

cat (apud Euseb. l. c.). Quare nomen hoc Sapientiae potius a Iudaeis ad Patres transiit, seu Christiani hoc nomen adoptarunt, non efformarunt.

Incipit liber משלי שלמה, Parabolae Salomonis, et statim subditur quam varia utilitas pro diversis hominum ordinibus ex eiusmodi sententiis acute dictis exspectanda sit et consequatur (v. 1-6). At tali prooemio praemisso non sequitur longa quaedam series apophthegmatum, sed proponitur elocutione oratoria quasi praefatio quaedam et exhortatio ad studium sapientiae, prout iam veteres 1,8-9,18 hanc libri partem designabant. Deinde priore titulo « Parabolae Salomonis » repetito novo orationis genere, vere parabolico, continua sequitur series sententiarum brevium, nulla fere inter se connexione iunctarum, in quibus singulis stichi duo plerumque antithetici sensum prae se ferunt absolutum, et plane a ceteris separatum. Quod lucubrationis genus, uti iam Calmet adnotat, servatur usque ad 22,17. Sed 22,17-21 repetita adhortatione praemissa, 22,22-24,22 alio dicendi genere sententiae proponuntur inter sese cohaerentes et quattuor vel sex vel etiam pluribus stichis enuntiatis. Hisce inscriptione nova quaedam Sapientum gnomae adiunguntur 24,23-34. Dein alia cernitur inscriptio 25,1 : hae quoque parabolae Salomonis (additur graece : αἱ ἀδιάκριτοι) quas transtulerunt (ἃς ἐξεγράψαντο) viri Ezechiae, regis Iuda. Haec pars complectitur 25,1-29,27. Sequuntur cap. 30 Verba Agur; cap. 31 Verba Lamuelis; demum 31,10-31 alphabetum aureum mulieris, carmen alphabeticum de praestantia mulieris fortis. Quare ipsis libri indiciis hae designantur partes : 1,1-7 titulus; 1,8-9,18 paraenesis, 10,1-22,17 series prior parabolarum; 22,17-24,22 secunda series, cui loco appendicis alia quaedam dicta sapientum adnectuntur 24,23-34; sequitur 25,1-29,27 tertia parabolarum series; 30,1-33 Verba Agur; 31,1-9 Verba Lamuelis; 30, 10-31 encomium mulieris fortis.

Atque in sermone oratorio ac paraenesi ad sapientiae studium duo praeprimis ob oculos habet auctor et exponit : praestantiam sapientiae, eiusque bona (1,20 sq. 2,1 sq. 3,1 sq. 8,1 sq.; 9,1 sq.); alterum consistit in removendis impedimentis studii sapientiae; de qua re bene observat Calmet: « cum vero nihil aeque ab amore sapientiae et bonorum operum exercitio homines et maxime adolescentes abducat, ut intemperantia et laxatum in voluptates frenum, id potissimum aggreditur auctor, ut discipulum suum, ne voluptatum illecebris et laqueis muliercularum capiatur, cautum efficiat »; cf. 2,16; 5,3-23; 6,23-35; 7,6-27. Quandoque exhortatio haec oratoria subito interrumpitur; inseruntur quippe sententiae quaedam abruptae, quae

indolem et modum secundae partis vel tertiae prae se ferunt; ita 3,27-35; 6,1-19.

Haud immerito iam Calmet scribit: « ex his omnibus satis demonstratum arbitror, Proverbiorum collectionem, qualis modo exstat, e variis Salomonis sententiis adornatam, nec unius esse auctoris, nec temporis ».

Veteres quoque advertunt in proverbialibus hisce gnomis frustra quaeri ordinem et connexionem earum inter se, cum saepe nulla talis inveniri et assignari queat; « esto enim subinde de eodem argumento et de eadem virtute duas vel tres coacervet sententias, tamen iis absolutis illico ad aliud prorsus thema digreditur » (Cornelius a Lapide, Prolegomena in Prov.). Nihilominus non inutile erit praecipua documenta quae in singulis partibus traduntur, conspectu quodam generali subiicere oculis. Quare de serie priore Proverbiorum 10,1-22,16 haec accipe :

Comparatio iusti et impii et oppositio sortis utriusque vario modo effertur. Et Domino quidem abominationi sunt perversi, beneplacito autem integri moribus (11,20); sacrificium illorum pariter est abominatio, oratio vero iustorum accepta et placabilis (15,8. 9. 21,27); ut severus iudex domum impii respicit, ut eum in calamitatem exturbet, dum in iustum dona sua effundat (11,31; 15,29; 21,12). Multiplici calamitate affligetur impius, dum iusti prosperitas vario modo describitur (10,24; 11,5; 12,21; 13,6. 21; 17,13; 18,7). Opes impiorum non eis proderunt, dabuntur iustis, adhibentur ad peccatum, — iustus autem quasi virens folium germinabit, bona sua nepotibus heredibus relinquet (10,2. 16; 11,28; 13,22; 15,6). Impiorum consilia, fraudes, insidiae, iniquitates palam proponuntur — cogitationes iustorum sunt iudicia; pacem et gaudium afferunt (10,3. 20; 12,5. 20; 11,9; 16,29; 13,2; 21,8). Sermones impiorum sunt perversi, iustorum utiles, amoeni (10,6. 32; 15,28; 16,27). Impii corruent, nomen eorum putrescet, tota eorum conditio est labilis, sua iniquitate capientur — iustorum vero memoria est cum laudibus; ipsi sunt quasi fundamentum sempiternum; merces eorum stabilis; radix eorum firma (10,7. 25; 11,18; 12,3). Impii peribunt — domus iustorum permanebit (10, 29. 31; 11,28; 12,7. 13; 13,9; 14,11. 32). Anni impiorum breviabuntur, spes illorum peribit, exspectatio eorum est ira et vindicta — sed timor Dei (pietas) augebit dies; iustorum exspectatio est laetitia (10, 27. 28; 11,23). Impii non habitabunt super terram, iustus autem in aeternum non commovebitur (10,30). Impiorum ore subvertetur civitas, benedictione iustorum exaltabitur; in ruina illorum erit laudatio, in bonis iustorum exsultatio (11,10. 11). Impius est crudelis,

appetit caedes, causat ignominiam, experitur penuriam — iustus est benignus, imo novit iumentorum animas, incumbit liberationi aliorum, detestatur mendacium, bonis ditabitur (12,6. 10; 13,5. 25). Impius est rebellis, propositum suum non attinget; ubique eum sequitur contemptus (12,26; 14,22; 17,11; 18,3). Impius procaciter obfirmat vultum suum; iustus firmiter statuit viam suam (21,29). Impius morietur in egestate, spe destitutus — iustus de angustia liberabitur; iustitia est ad vitam; in semita eius est vita (10,21; 11,7. 8. 19; 12,28).

Similiter sapiens et stultus inter se opponuntur. Et Sapientiae quidem pretium multum excellit prae auro et argento et gemmis (16,16; 20,15); multa affert bona (19,8. 11); adeo potens est, ut servus sapiens dominetur filiis stultis et inter fratres hereditatem dividat (17,2), ut vir sapiens etiam iram regis placare valeat (16,14). Sapiens audit consilia, stulto sua ipsius via, opinio, recta videtur (12,15; 13,16); Sapiens suscipit praecepta, libenter suscipit admonitiones, stultus ea contemnit, ridet de iis (10,8; 12,1; 15,5. 31; 17,10; 19,25); quare sapiens evadit sapientior, hereditas autem et gaudium stulti est ipsa eius stultitia (14,18; 15,14. 21; 18,2. 15). Unde sapiens laudatur, stultus contemnitur (12,8). Uti in labiis sapientis reperitur sapientia, ita dorso stulti debetur virga (10,8.13). Sapiens pro temporum conditione novit tacere, scientiam abscondere, affectum celare, stultus autem inconsiderate in verba prorumpit contumeliae et contemptus, iram suam pandit, fatuitatem suam effundit (10,14; 11,12; 12,16. 23). Ideoque lingua sapientis dicitur sanitas, stultus vero in multiloquio quasi ictibus gladii pungit (12,18). Sapiens agit prudenter, via recta incedit, gressus suos attente considerat et dirigit, stultus fatue se gerit, ridens scelus operatur, in errores incidit, facillime decipitur ob inadvertentiam, odio habet increpationes (10,23; 12,1; 14,8. 15; 15,21; 18,2). Sapiens declinat a malo, timet periculum ideoque cavet, stultus ridet de peccato, agit praecipitanter, incuriose, irruit in malum, sese perdit (14,16; 17,12. 18,7; 19,2. 3; 22,3). Sapiens indoctos erudit, scientiam ornat, disseminat, stultus ebulliet stultitiam (14, 33; 15,2. 7). Sapiens novit invenire secreta et profunda, colligit thesauros, aedificat domum, civitatem hostium expugnat eorumque robur frangit; stultus fallitur, iurgia provocat, verbis decipitur, domum destruit, thesauros dissipat, divitiae ei non prosunt (14,1; 17,6; 18,6; 20,5; 21,22). Lex sapientis fons vitae, cor eius quaerit doctrinam; semita eius semita vitae tendit sursum; stulti doctrina est fatuitas, cor eius pascitur imperitia, errans a via doctrinae morte occupatur (13,14; 15,14; 16,22; 15,24; 21,16).

Sententiae diversis in locis enuntiatae saepe ad idem argumentum eandemque rem elucidandam redeunt. Ita de ratione inter parentes et filios sententiae leguntur 10,1; 13,1. 24; 15,20; 17,6. 21. 25; 19,13. 18. 26; 20,20, 21. Diligentia et pigritia inter se comparantur, opponuntur, describuntur : 10,4. 5. 26; 12,11. 24. 27; 13,4; 14,4. 23; 15,19; 16,26; 18,8; 19,15. 24; 20,4. 13. 17; 21,5. 25; 22,13. Simili modo plurimis in locis agitur de divite et paupere : 10,15. 22; 11,4. 24. 28; 13,7. 8. 11. 23; 14,20. 31; 15,15. 16. 17; 16,8. 26; 17,1. 4; 18,11. 23; 19,1. 4. 7; 19,17. 22; 21,17; 22,2. 7. Normae proponuntur quibus docetur, quando loquendum tacendumve sit et quinam effectus boni, mali inde consequantur, ad quid attendere oporteat etc. : 10,19; 13,3; 14,23; 15,23; 16,21. 23. 24. 28; 17,4. 7. 9. 20. 27. 28; 18,4. 7. 8. 13. 21; 19,5. 9; 20,19; 21,23.

Haud pauca apophthegmata referuntur ad gubernationem populi, ad regem, ad regni administrationem : 11,14; 14,28. 34. 35; 15,22; 16,10. 12. 13. 14. 15; 17,7; 19,10. 12; 20,2. 8. 18. 26. 28; 21,1; 22,11. 29. Alia nos docent de Deo, de eius gubernatione, de nostris erga eum officiis : 16,1. 3. 4. 7. 9. 20; 16,33; 18,10; 19,21; 20,24; 21,18. 30. 31; 22,12. 14. 23. De timore Dei seu de pietate agitur 14,2. 26. 27; 15,33; 16,6; 19,23. Dei omniscientia declaratur 15,3. 11; 16, 2; 17,3; 21,2. Saepius effertur retributionem fieri secundum opera 11,27; 12,14; 14,14. 19; 18,20; 20,22; 21,6. 13. 20; 22,8.

Qui disciplinam suscipiunt, qui eam recusant, varie inter se opponuntur : 10,17; 13,1. 13. 15. 18; 15,10. 26. 32; 19,16. 20; 22,15. Pariter de superbia et humilitate tractatur : 11,2; 12,9; 13,10; 14,3; 15,25. 33; 16,5. 18. 19; 17,19; 18,12; 21,4. 24; 22,4. De odio et amore proponuntur 10,12; 14,17; 17,9. 17; 18,24. Monetur ne quis se facile praestet vadem pro alio 11,15; 17,18; 20,16; 22,26. 27; ne fraus committatur pondere et mensura 11,1; 16,11; 20,10. 23. Sententiae de iurgiis habentur 17,14; 18,6. 17. 18. 19; 20, 3; 22,10.

Secreta esse servanda docetur 11,13; 20,19. Gaudium et moeror describuntur 12,25; 14,10. 13; 15,13. 15. 30; 17, 5. 22; 18,14. Commendatur liberalitas 11,24. 25. 26; 14,21; 21,26; 22,9; reprobatur crudelitas 11,17; 12,10; 21,10. 13. Ne integritas corrumpatur muneribus, audi 17,8. 23; 18, 16. 19,6; 21,14. Quae mala sequantur ex ira 14,17. 29; 15,1. 4. 18; 16,32; 19,19.

Veritati esse studendum, abhorrendum a mendacio, id quod praeprimis testis attendat oportet 12,17. 19. 22; 13,3; 14,5. 25; 19,5. 9. 22; 21,28. Attende quibuscum ineas consuetudinem 13,20; 14,7; 22,24. 25.

Indicia mulieris et bonae et pravae exhibentur 11,16. 22; 12,4;

14,1; 18,22; 19,13. 14; 21,9. 19; 22,14. Quam facile quis seipsum decipiat 14,12; 16,25; 21,2. Irrisor frivolus depingitur et punitur 13,1; 14,6; 15,12; 19,25. 29; 21,11. 24; 22,10. A quibus cavendum sit in iudicio ferendo exponitur 17,15; 18,5. Insuper alia sat multa paucis sententiis illustrantur; ita spes 13,12 et 14,26; perfidia 18,19; 12,2; expiatio peccati 16,6; 20,30; opes iniuste acquisitae 21,6 et 22,16; senectus 16,31 et 20,29; vota facere 20,25; ebrietas 20,1; donum Dei bona indoles 20,12. 27; consuetudinis vis 22,6; aemulatio 14,30; avaritia 15,37; virtus excellentior victimis 21,3.

Prov. 22,17-24,34. A praecedentibus haec pars distinguitur. Prius enim inducitur longiore quadam admonitione (22,17-21); saepius antequam nova quaedam doctrina traditur, repetita adhortatione excitatur attentio (cf. 23,9. 12. 15-16. 19. 26); singula apophthegmata proponuntur non, uti in praecedenti parte, singulis fere distichis, verum binis distichis; vel etiam pluribus, uti de ebrietate 23,29-35, etc.

Doctrinae capita cernuntur haec : oppressores pauperum Dominus puniet 22,22-23; de iracundo 22,24-25; de vade 22,26-27; de viro sollerte 22,29; de modestia in convivio 23,1-3; de convivio invidi 23,6-8; de convivio potatorum 23,20-21; de desiderio divitiarum 23,4-5; ne doceas stultum 23,9; de pupillis 23,10-11; de educatione 23,12-14; ne aemuleris peccatores 23,17-18; 24,1-2. 19-20; parentibus affer gaudium 23,22-25; cave meretrices 23,27-28; mala ebrietatis 23,29-35; de utilitate sapientiae 24,3-6. 13-14; de stulto 24,7-9; de ignavia 24,10; serva a morte 24,11-12; custoditur iustus 24,15-16; ne gaudeas de alienis malis 24,17-18; honora Deum et regem 24,21-22; de studio partium 24,23-25; bona responsio quam sit grata 24,26; de bona praeparatione 24,27; contra vindictam 24,28-29; de pigritia 24,30-34.

Par. 25,1-29,27. Ipsa inscriptione nova haec pars ab aliis distinguitur. Indicantur aliae parabolae Salomonis a viris Ezechiae regis collectae et huc translatae. In iis id singulare in multis deprehenditur, ut adhibita in priore plerumque sticho comparatione seu similitudine veritas in altero sticho enuntiata illustretur et fortiter ac nervose asseratur; e. g. 25,11 mala aurea in vasis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo; 25,19 dens putridus et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiae; v. 25 aqua frigida sitienti animae, et nuntius bonus de terra longinqua; talia habentur 25,3. 4. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. 27. 28; 26,1. 2. 3. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 14. 17. 18. 20. 21. 23; 27,3. 4. 8. 9. 15. 17. 19. 20. 21; 28,3. 15.

Hic quoque ad doctrinam commendandam saepius effertur oppositio ac discrimen sapientem inter ac stultum, inter iustum atque impium : 27,12; 28,1-2. 4-7. 10-14; 28,15-20. 25-28; 29, 2-3. 6-8. 10-11. 15-16. 17-18. 23. 25-27.

Praecipua doctrinae capita proponuntur haec : commendatur studium sapientiae quae per disciplinam acquiri possit 27,11; 28,11; 29,15. 17. Vias Dei esse absconditas 25,2. 3; unum omnium esse Deum 29,13. Reges docentur, iustitiam esse regni fundamentum 25,5; 28.2. 15-16. 29,4. 12. Laudatur et suadetur modestia, moderatio, animi demissio 25,6. 7. 15. 16. 17. 27-28; 27,9. 14; 29,23. Sermo aptus et consideratione ortus commendatur 25,8. 11. 12; 26,4-5; ineptus describitur 25,14. 20; 26,7. 9. 28; 29,20. Documenta traduntur de litibus 25,9. 10; 26,7. 20-22; de consuetudine cum aliis 27,17 et 29,24; de correptione 28,23 et 29,1; de hypocrisi et adulatione 26, 23. 24-26; 29,5; de aliquibus quae minime conveniunt seu decent 26,1. 2. 8. 10 (hebr.?), de ira 27,3-4; 29,22; de nimia sui ipsius opinione 26,12; 27,2; de muliere litigiosa 25,24; 27,15-16; de teste falso et viro perfido 25,18. 19; 26, 18-19. 23; de servo fideli 27,18; de procaci 29,19. 21; de castigatione stultorum 26,3. 11; 27,22; 29,9; de vade 27,13; de viro pigro 26,13-16; de nuntio fideli 25,13. 25; de nuntio stulto 26,6; de parentibus 27,11 et 28,24; inimicis esse beneficia praestanda 25,21. 22; amicum esse retinendum 27,10; hominem improbum sibi ipsi inferre damnum 26,27; 28,9; incertum esse quid futurum sit 27,1; reprehenditur iniustitia 28,8. 21; commendatur res rustica 27,23-27 etc.

Norma iustae retributionis frequentissime statuitur. Quod legimus Is. 3,10 : dicite iusto, quoniam bene; vae impio in malum, id continuo in Proverbiis quam maxime varie repetitur. Cum autem manifestum sit experientia quotidiana comprobatum, eam normam minime exhiberi ac perfici spatio vitae terrestris, eo ipso indirecte necessario postulatur et asseritur vita post mortem, qua tandem retributionis norma exacta habeatur. Ad eam vitam normamque Sapiens satis clare nos amandat 7,27; 9,18; 12,28; 15,24; 24,14.

II. — Qua forma Proverbia proponantur.

Sententiae enuntiantur et absolvuntur duobus stichis vel antitheticis vel alia quadam ratione inter se iunctis. Et id quidem perpetuo habetur in parte illa quae Parabolae Salomonis inscribitur 10,1-22,16. Idem plerumque cernitur in altera illa parte proverbiorum quae collecta sunt a viris Ezechiae regis et pariter ad Salomonem

referuntur 25,1-29,27; in textu hebr. tradito solum 25,13. 20 et 28,10 exhibentur stichi tres. Ab hac norma distichorum ex textu tradito magis recedunt partes reliquae scil. praefatio (1,8-9,18) et verba sapientum 22,17-24,34, quamvis hic quoque longe maxima pars distichis efferatur.

Cernuntur quippe tristicha in praefatione 1,22. 23. 27; 3,3; 5,19; 6,22; 7,22. 23; 8,13. 34. Et in verbis sapientum 22,29; 23,5. 7. 29. 31.35; 24,14. 27. 31. Frequentius habentur tristicha in verbis Agur : 30,8. 15. 20. In verbis Lamuel et in laudibus mulieris fortis (excepto 31,15) leguntur disticha. Ita quidem, si solus textus hebr. traditus ob oculos habetur.

Si enim iudicium criticum et versiones graeca et syra consuluntur, merito dixeris pluribus tristichis potius creari suspicionem vel corrupti textus vel glossematis alicuius. Videamus singula. Si in 1, 23a assumitur lectio graeca καὶ ὑπεύθυνοι ἐγένοντο ἐλέγχοις, uti Bickell eam adoptat, habemus 1,22 duo disticha et in v. 23 unum distichon (en proferam vobis etc.), In editione critica : Müller et Kautzsch (*MK.*) The Book of Proverbs in Hebrew eiectis stichis duobus (et stulti ea quae noxia sunt cupient — ostendam vobis verba mea) uterque versus disticho constans exhibetur. In v. 27 stichus tertius solum repetit, quod iam bis dictum est : omittitur in editione critica (*MK.*); in versione graeca ponuntur in v. 27 duo disticha; Bickell ex versibus 26, 27 inter se iunctis (26a 27b-26b 27a) duo efficit disticha; in versione syra v. 27 duobus stichis ponitur.

De 3,3 notandum est illum stichum : et describe in tabulis cordis tui, non legi in graeco, omitti quoque a Bickell et apud *MK.* In v. 5,19 stichus tertius : in amore delectare iugiter, non est nisi repetitio praecedentis (praesertim si hebr. punctatione mutata legeris : amor eius inebriet te omni tempore), quare etiam apud *MK.* omittitur; Bickell autem additamento versum 19 ad duo disticha evehit. In 6,22 Bickell adiecto sticho effert duo disticha; etiam apud *MK.* designatur punctis unum desiderari stichum. In 7,22. 23 textus hebr. aperte est corruptus, bonum textum praebet versio graeca exhibens tria disticha (vide Commentarium); ergo secundum hunc modum textus hebr. erit emendandus. In 8,13 habetur longior quaedam enumeratio. Etiam infra 23,31 invenitur in tali enumeratione tristichon; quare tristichon 8,13 fortasse retineri potest. At ex ipso contextu tamen suadetur aliud. Loquitur enim eo loco ubique sapientia : ego sapientia, os bilingue detestor. Quare « timor Domini odit malum » potius enuntietur oportet : odio habeo malum, arrogantiam etc.; et timor Domini videtur glossa vel explicatio sapientiae. Hoc effert distichon Bickell :

arrogantiam et superbiam et viam pravam | et os perversum odio habeo; item *MK.* In 8,34 graece legitur tetrastichon; habetur scil. stichus secundus (parallelus et synonymus ad priorem) et homo qui vias meas observat (cf. 32). Alio stichorum ordine et repetitione omissa ex v. 32-34 Bickell quoque rite constituit quattuor disticha.

Re utique perpensa non videtur remanere unum certum tristichon in praefatione (1,8-9,18). Iam videamus de verbis sapientium. In 22,29 et 23,5 textus hebr. et versiones veteres efferunt tristicha. Facile quidem potest remedium applicari, uti critici ostendunt; nam Bickell ex 22,29 additamento efficit duo disticha, ex 23,5 autem omissione unum distichon, dum apud *MK.* in utroque loco unum ponitur distichon. Simili modo ex 23,7 duo construuntur disticha, quem in finem Bickell pauca inserit in textum traditum eumque emendat; id fieri debere, designatur punctis apud *MK.* In 23,31. 35 habetur descriptio quaedam seu enumeratio, quare uti in 24,27. 31 tristichon non videtur esse delendum seu cum criticis ad normam distichorum reducendum. In 24,14 stichus tertius non est nisi repetitio praecedentis; item 25,13 tertio sticho solum explicatius dicitur quod secundo enuntiatur, quare apud *MK.* tertius omittitur, Bickell autem eum retinet, at omissis vocabulis ex duobus stichis unum efficit : sicut nix in aestu, legatus fidelis mittenti eum! In 25,20 textus hebr. est mancus; graece effertur distichon, in versione syra tria disticha ponuntur. In 28,10 graece habentur duo disticha; Bickell supplet quartum stichum (ex graeco : οἱ δὲ ἄνομοι οὐκ εἰςελεύσονται), apud *MK.* tertius stichus omittitur et consideratur tamquam glossa alicuius scribae antithetica ad stichum secundum. In 30,8 stichus tertius deletur apud *MK.* Bickell autem parva suppletione duo efformat disticha. Textus hebr in 30,15. 16 est mancus; debet emendari ex graeco (syro); vide Comment. In 30, 20 vel cernitur glossema deleto integro versu (*MK.*) vel retento hoc additamento prior stichus omittitur (Bickell). Omisso uno sticho (tertio *MK.* primo apud Bickell) 31,15 ad normam distichi refertur.

Advertit Cornelius a Lapide in proverbialibus hisce gnomis frustra quaeri ordinem et connexionem earum inter se, cum saepe nulla talis inveniri et assignari queat. Id quod nemo in dubium vocabit. Nihilominus aeque verum est, haud raro duo disticha inter se similitudine quadam vel explicatione subiecta satis arcte cohaerere; ita cf. 10,20. 21-24. 25-31. 32; 11,5. 6-10. 11; 12,15. 16; 13,21. 22; 14, 20. 21; 14,26. 27; 15,8. 9-31. 32; 16,1-3; 16,12-15 (de regibus) 27-30 (de viro pravo); 18,6. 7-20. 21. 19,6. 7-28. 29. Etiam frequentius disticha vel etiam plura inter se nectuntur in verbis sapientum; cf. 22, 22. 23-24. 25-26. 27; 23,1,3-4. 5-6. 7. 8-10. 11-13. 14-15. 16-17. 18-

20. 21-27. 28. Demum carmen illud de ebrietate 23,29-35. Item cernitur 24,1. 2-3. 4-5. 6-11. 12-13. 14-15. 16-17. 18-19. 20-21. 22-23. 24. 25 — demum descriptio pigri 30-34.

Simile quid etiam cernitur in parabolis a viris Ezechiae regis collectis; praesertim exhibentur comparationes ad doctrinam illustrandam; cf. 25,4. 5-6. 7-9. 10-16. 17-20. 21. 26,4. 5-13. 14. 15. 16 (de pigro); 24. 25; 27,3. 4-5. 6-15. 16-27,23-27 (de vita rustica); 28,15. 16. — Maior quidam nexus habetur in verbis Agur; cf. 30,4. 5. 6-7. 8. 9-11. 12. 13. 14 (de mala generatione) 15. 16-18. 19-21. 22. 23 — item de quattuor minimis 24-28; de tribus magnifice gradientibus 29-31. In verbis Lamuel arcte cohaerent 31,3-5; 6. 7; 8. 9.

Frequenter fiunt repetitiones et quidem vel duorum stichorum vel unius ita, ut eadem plane verba ponantur, quod quidem rarius contingit, vel ita, ut locutiones plane similes adhibeantur sensu manente eodem, vel sensu parumper mutato. Atque eiusmodi repetitiones occurrunt intra easdem libri partes et inter diversas. Ita in paraenesi 1,8 et 6,20; 2,16 et 6,24 et 7,5; 3,15 et 8,11. Satis frequenter in parabolis Salomonis (10,1-22,16); vide 10,1 et 15,20; 10,2 et 11,4; 10,4 et 12,24; 10,6 et 10,11; 10,8 et 10,19; 11,21 et 16,5; 12,14 et 13, 2; 13,14 et 14,27; 14,12 et 16,25; 14,20 et 19,4; 14,31 et 17,5; 15,8 et 21,27; 15,16 et 16,8; 15,33 et 18,12; 16,2 et 21,2; 16,18 et 18,12; 16, 28 et 17,9; 19,5 et 19,9; 19,12 et 20,2; 19,25 et 21,11; 20,10 et 20,23.

Similes repetitiones deprehenduntur in verbis sapientum 22,17-24,34; vide 22,23 et 23,11; 22,28 et 23,10; 23,3 et 23,6; 23,17 et 24, 1; 23,18 et 24,14.

Intra tertiam partem solum paucae sententiae iterato occurrunt: 26,12 et 29,20; 28,12 et 28,28 et 29,2. Eo autem maior est numerus repetitionum, si iam non singulae partes separatim intra se considerantur, sed comparatione instituta inter se; vide 6,10 et 24,33; 11, 14 et 24,6; 12,11 et 28,19; 13,9 et 24,20; 15,18 et 29,22; 17,3 et 27, 21; 18,8 et 26,22; 19,1 et 28,6; 19,13 et 27,15; 19,24 et 26,15; 20, 16 et 27,13; 21,9 et 25,24; 22,2 et 29,13; 22,3 et 27,12; 22,13 et 26, 13; 22,14 et 23,27; 24,23 et 28,21.

Uti Kautzsch dicit, ex proverbiis totius libri 541 plus centum repetuntur (Die Heilige Schrift des A. T. Beilagen p. 212). Neque id adeo mirum videri debet. Nam agitur de vita rite instituenda secundum normam verae sapientiae, quae in recta habitudine erga Deum et recta aestimatione rerum omnium consistit. Quare pro rerum gravitate doctrinae eaedem et cognatae iterum iterumque erant proponendae et ad varias conditiones ac vicissitudines applicandae. Neque in ipsa iteratione grata quaedam varietas deest. Iam vero in institutione

tradenda non sufficit semel monuisse, semel documenta et regulas morum enuntiasse, semel pericula ac scopulos innuisse, semel normam prudentiae, honestatis, pietatis exhibuisse. Nonne potius quotidiana quaedam seu continua exsistit necessitas? Huic autem iterata consulitur applicatione, iterata similis doctrinae declaratione et inculcatione.

Praeterea advertendum est, repetitionem eiusdem sententiae iisdem prorsus vocabulis non esse frequentem, imo potius raram; ita in parte 10,1-22,16 solum unum distichon idem plane repetitur 14, 12 et 16,25; alias solum stichi repetuntur vel eodem modo vel paululum mutato. In collectione a viris Ezechiae facta reperiuntur complures sententiae plane eaedem, quas iam legimus in parte priore salomonica (cf. 25,24; 26,22; 27,12. 13) aliae eiusdem sensus, at enuntiatione parumper mutata (cf. 26,13, 15; 28,6. 19). Quare aliqui dubitant, cognoverintne viri Ezechiae collectionem priorem.

Quandoque conditiones variae comparatione facta describuntur; vide 12,9; 15,16 melius est parum cum timore Domini quam thesauri magni cum sollicitudine; 15,17; 16,8. 16. 19; 17,1. 10; 19,1; 20,22; 21,9. 19; 22,1; 25,7. 24; 27,5. 6. 10; 28,6. 23.

In utraque parte salomonica sermo est de rege. At in priore effertur eius potentia, iustitia, sapientia, clementia, probitas, benignitas (cf. 14,28. 35; 16,10-15; 20,8. 26. 28; 22,11) terror quoque maiestatis eius (19,12 et 20,2), cui facillime Dominus pro libitu dominetur (21, 1). In altera tamen parte figura regis aliis pingitur coloribus : impios esse amovendos a rege; leonis et ursi instar esse regem impium; per regem stultum opprimi multos; avaritia regis destrui terram; regem adulationis amantem omnibus aspergere impietatem (25,1-7; 28,2. 15. 16; 29,2. 12. 14). Ipsene Salomon imaginem depinxit regis oppressoris, quo magis efferret bonum regni sui initium? « habitabat Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua » (3 Reg. 4,25) vel suntne sententiae hae quasi voces populi ad Roboam et hoc loco quasi repercussae : pater tuus durissimum iugum imposuit nobis (3 Reg. 12,4 : imminue paululum de imperio patris tui durissimo et de iugo gravissimo quod imposuit nobis)?

De paraenesi cp. 1-9 quaeri potest, sinte disticha certis numeris seu conformationi strophicae adstricta. Certo saepius facili negotio repeiuntur disticha numero quinque, numero decem arcte inter se connexa. Ita titulus post inscriptionem quinque exhibet disticha; v. 7 quasi tesseram totius libri praebet; post duo disticha v. 8. 9 introductionis, sequuntur decem, quae interposito *fili mi,* in duas partes

aequales 5 distichorum dividuntur (v. 10-19); dein binis distichis exponitur, ubi et quibus sapientia loquatur (v. 20-23); sequuntur iterum v. 24-33 decem disticha. In cap. 2 secundum textum hebr. (vide commentarium) melius iunguntur (contra punctationes editionum) v. 1-10 decem disticha, quibus nectuntur alia decem v. 11-20 pariter inter se cohaerentia; subduntur duo inter se antithetica de sorte iustorum et impiorum quasi epiphonema confirmationis ad doctrinam expositam. In cap. 3 posito *fili mi* iam designantur v. 1-10 disticha decem; pariter v. 11-20 alia decem; sequuntur sex inter se connexa v. 21-26; dein disticha novem sententiis variis distincta. Etiam cap. 4 allocutione, *filii, fili mi,* dividitur in partes tres; habentur v. 1-9 disticha decem, item decem v. 10-19, et cum additamentis graecis et latinis pariter decem v. 20-27. In cap. 5 allocutione *fili mi* designantur disticha sex (v. 1-6), dein octo (v. 7-14); in v. 19 Bickell addit illud graecum συνέστω σοι, qua ratione habentur v. 15-23 disticha decem. In cap. 6 varia ponuntur v. 1-19, quibus adhortatio castitatis interrumpitur; haec iterum assumitur v. 20-35, et ita quidem ut quinque distichis v. 20-24 generalis quaedam exhortatio de legis custodia eiusque praestantia praemittatur, dein distichis decem pernicies exponatur adulterii; habentur autem decem disticha omisso v. 29 qui aperte est glossa ad v. 28 et eius applicatio valde superflua; quem pariter omittunt Bickell et MK. In cap. 7 leguntur quinque disticha quasi introductionis loco v. 1-5; scena illa mulieris seducentis iuvenem exhibetur distichis undeviginti; efficit Bickell viginti suppletione ad v. 18 propter doctrinam in v. 21 nominatam (v. 6-23); concluditur distichis quatuor admonitionis. In cap. 8 facile cernitur iterum numerus denarius; ita v. 1-11; delendus solum erit v. nonus, qui non est nisi repetitio quaedam v. 8; habentur decem disticha v. 12-21; item facile efficiuntur decem v. 22-31 deletis duobus stichis qui solum repetitiones continent; adiungitur admonitio quinque disticha complectens v. 32-36. In cap. 9 videntur v. 7-10 interponi loco alieno; nam v. 11 aperte et facillime adnectitur ad v. 6; describitur sapientiae invitatio v. 1-6. 11. 12 distichis octo; mulier stulta distichis sex; vel quia dubium esse potest, sitne versus 12. potius referendus ad disticha illa v. 7-10 inserta, sapientia delineatur septem distichis; adduntur quinque alia de habitudine stulti et sapientis ad sapientiam (v. 7-10. 12) et sex de muliere adultera. Ceterum in graeco textu et syro adduntur ad v. 12 disticha tria et item tria ad v. 18, quae tamen manca videntur et utrimque tristichon ad duo disticha supplere oportebit, uti supplevit Bickell, qua ratione in fine a v. 13 habentur iterum disticha decem.

III. — De auctore.

Veteres integrum librum ad auctorem Salomonem regem referunt; immo, uti in Midrasch Mischle quoque etiam Agur 30,1, Salomonem vident auctorem (cf. Cornely, Introd. 2, ed. II, p. 148). Ex s. libris discimus : locutus est Salomon tria millia parabolas et fuerunt carmina eius quinque et millia (3 Reg. 4,32). Quare etsi omnes sententiae in hoc libro ei adscriberentur, tamen nequaquam numerus ille trium millium parabolorum impleretur. Iam vero in nostro libro explicite Salomoni solum attribuuntur 10,1-22,16 et testibus viris Ezechiae regis 25,1-29,27. Fertur quidem 1,1 inscriptio : Parabolae Salomonis, filii David, regis Israel et declaratur in distichis subiunctis v. 2-6 quam utilitatem et quibus afferant parabolae; at 1,8 et seq. minime sequuntur parabolae, quae v. 2-6 indicatae sunt et descriptae, at sequitur adhortatio magis ad artem oratoriam exornata; quare merito dixeris cum aliquibus veterum eam partem esse potius paraenesim ad parabolas Salomonis quae cap. 10 demum proponuntur. Quare ibi inscriptio repetitur : parabolae Salomonis.

Verum nemo dixerit eas parabolas ita ad nos nostrumque quem nunc habemus textum ita esse perlatas, uti aetate salomonica editae erant. Tali quippe opinioni non pauca opponuntur. Obstat textus graecus, cui quandoque aliae parabolae insertae sunt quae in textu hebr. non inveniuntur. Inde apparet, quod in eiusmodi parabolis et sententiis facile fieri potest, etiam hic esse factum, scil. varia esse addita, neque textum in omnibus esse transmissum aequalem.

Textum quoque liberiore modo esse traditum, probabilitate iam per se ex aliis exemplis non caret, et confirmatur, si observationi aliorum plena fides sit adhibenda, qua affirmant et usurpari verba temporis posterioris et aramaismos, imo et graecismos (cf. Wildeboer, Die Sprüche, p. XIV). Afferuntur ibi c. triginta vocabula « aetatis posterioris », quae tamen plerumque etiam reperiuntur in Psalmis, in libro Iob, in altera Isaiae parte, in Gen. Deut. apud Ez. vel Ex. Num. Chron. Facile assumi potest verbis antiquioribus, si quis vult, quae forte iam non intelligebantur vel antiquata et obsoleta erant, substituta esse recentiora, uti in libris usui publico traditis usuvenit; at ex altera parte etiam notandum est, nobis parum vel fere nihil certi notum esse de historia linguae hebraeae et ex parvis eius linguae monumentis quae restant, nos minime posse diiudicare et certa sententia statuere, talia vocabula esse originis recentioris, olim non exstitisse.

Quae de aramaismis afferuntur, incerta sunt plerumque et ab ipso

eorum auctore signo interrogationis saepius ornantur. Ceterum notum est aramaicum fuisse linguam commercii inter Asiam orientalem et occidentalem, et insuper eiusmodi aramaismos potuisse a scribis cum aliis textus mutationibus et additamentis in ipsum textum inferri. Quare ex textus conditione *hodierna* nihil contra Salomonem auctorem colligi potest. Pro aliquibus sententiis fortasse aliunde origo salomonica in quaestionem vocari potest. Ipsene Salomon repetito eosdem versus seu stichos scripsit? aut de regibus oppressoribus scripsit? Salomon disputavit super ligna, a cedro usque ad hyssopum, disseruit de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus (3 Reg. 4,33); unde nulla est ratio ei negandi sententias illas de vita rustica 12,10. 11; 14,4; minus utique congruit ad cibum Salomonis (4 Reg. 4,22. 23) monitum illud : sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos et in necessaria domus tuae et ad victum ancillis tuis (Prov. 27,27). Verum licet poetae variam induere personam et dare monita quae pastori conveniant, regi vero in vitae consuetudine minime observari aut in effectum deduci liceat. Ceterum attendere oportet etiam in partibus Salomoni adscriptis non omnia ad amussim a Salomone profecta esse censeri posse. In serie proverbiorum maior conceditur libertas, uti textus quoque graecus testatur.

IV. — De versione graeca.

Primo aspectu versio graeca Proverbiorum, quae potissimum ex codice B exhibetur in editione a *Swete* adornata, in permultis locis videtur plane recedere a textu hebraeo. Verum ut rite de ea diversitate iudicetur, varia oportet ob oculos habere. Et primo quidem sedulo attendatur oportet, saepe totum discrimen versari in una alterave littera vel mutata vel transposita, vel in alia punctatione seu potius lectione seu cognata, attamen dissimili enuntiatione. De qua re plurima exempla prolata sunt a *de Lagarde* (Anmerkungen zur gr. Uebersetzung der Proverbien). Potissima haec sunt 4,15 a (pone ם pro ב et aliud suffixum), 4,16b; 6,16 (lege sin pro schin); 6,22 a (lege itt pro ot); 7,17 b (omitte in voce una m, et habes pro aloe domum meam) 8,35; 10,21 a. 26 b (pro צ pone ו); 11,5. 9. 15. 18. 26. 28; 12,19 b. 21; 13,20 b; 14,7. 10. 15 b. 34; 15,7. 14 b. 24 a; 16,26 b. 27; 17,1. 9 b. 12. 21; 18,3 a (lege coniunctim bagam); 20,4 a. 6. 13. 28 b. 29 a (pro cocham lege chocma); 21,7 a (pro jegorem lege jegurem) 12 b; 22,8 b. 15 b; 23,28; 24,6. 12. 19; 25,4. 9. 13 a; 26,3. 10. 16 b (lege sin pro schin); 27, 13 b (lege ד pro ר), 22 a (omitte י); 28,2. 22; 29,1. 4 b. 7. 14 b (lege עֵד; pro עַד); 29,16 b; 30,10. 12. 19.

Alterum quod considerandum est consistit in additamentis quae in versione graeca reperiuntur. Sunt ea quidem varia. Nam primo multis in locis adduntur stichi, qui in hebraeo non inveniuntur. Accipe exempla haec : 1,7 adduntur duo stichi; 1,18 st. 1, 2,16; 3,16 st. 2; 3,22 st. 2 (ex 3,8); 3,28 st. 1; 4,27 st. 4 qui in vulg. quoque habentur; 6,8 st. 7; 6,11 st. 2 et in vulg.; 7,1 st. 2; 8, 21 st. 2; 9,10 st. 1; 10,4 st. 2; item 11,16; 12,26 st. 1; 13,11 st. 1; 15, 1 st. 1; 15,18 st. 2; 16,26 st. 1; 16, 30 st. 1; 17,5 st. 1; 17,6 st. 2; 17,21 st. 1; 18,22 st. 2 et in vulg.; 25,10 st. 4; st. 2 in vulg; 26,11 st. 2 (ex Eccli 4,21); 28,17 st. 3 (cf. 29,17 18 a). — Hebraice vertit et textui Proverbiorum inseruit Bickell ex versione graeca post 9,12 stichos octo, post 9,18 item stichos octo; post 12,11 st. 2; post 12,13 st. 2; post 13,9 st. 2; post 13,13 st. 2; post 16,5 st. 4; post 19,7 st. 2; post 22,14 st. 2; post 24,22 st. 12; post 25,20 st. 2; post 27,20. et 21. st. 2 (cf. Wiener Zeitschrift für Kunde des Morgenlandes V. 1891, p. 101. 195 etc.).

Alterum genus additamentorum consistit in versione duplici stichi unius vel etiam duorum; ita 1,14; 2,2. 19; 3,15; 4,10; 5,3. 23; 6,6. 25; 13,13. 15; 14,22. 23; 15, 6 (in vulg 15,5 cf. 6); 15,18; 19,23; 22,10; 29,7. 25; 31,29. 30. Quod v. g. legitur 1,14 κοινὸν δὲ βαλλάντιον κτησώμεθα πάντες, exprimitur alio modo καὶ μαρσίππιον ἓν γενηθήτω ἡμῖν; et 6, 25 prius habetur μηδὲ ἀγρευθῇς σοῖς ὀφθαλμοῖς, dein subditur idem alio modo μηδὲ συναρπασθῇς ἀπὸ τῶν αὐτῆς βλεφάρων; et 13,15 σύνεσις ἀγαθὴ δίδωσιν χάριν repetitur τὸ δὲ γνῶναι νόμον διανοίας ἐστὶν ἀγαθῆς et ita porro.

Innumera fere sunt additamenta minora. Persaepe enim suppletur verbum, ubi in hebr. facile subintelligitur neque ponitur; ita 5,10 et labores tui in domo aliena, οἱ δὴ σοὶ πόνοι εἰς οἴκους ἀλλοτρίων ἔλθωσιν; 5,17 b neque alienis tecum, sed μηδεὶς ἀλλότριος μετασχέτω σοι; et eius modi 6,3. 7; 7,12 a; 8,3. 20 b; 9,7; 10,23; 11,14. 30; 14,12. 13. 19; 16,18; 18,3; 23,12; 25,13; 27,21. Comparationes in hebr saepe efferuntur sine particulis comparationis, sed sola iuxtapositione duarum sententiarum : circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua; at graece saepius adduntur particulae comparationis ὥςπερ, οὕτως; cf. 11,22; 17,3; 20,2; 21,1; 25,18. 25. 26. 28; 26,3. 14. 17; 28,3.

Haud raro aliqua adduntur explicationis gratia; ita 1,9 δέξῃ, χρύσεον, 3,16 longitudo dierum, καὶ ἔτη ζωῆς, et 3,28 (ex 27,1) οὐ γὰρ οἶδας τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα, 6,2 illaqueatus es verbis oris tui παγὶς γὰρ ἰσχυρὰ ἀνδρὶ τὰ ἴδια χείλη; et 6,10. 11 ὥςπερ κακὸς ὁδοιπόρος, 6,14 πόλει, 6,31 ῥύσεται ἑαυτόν, 6,33 εἰς τὸν αἰῶνα, et eiusmodi plura 7,1. 5. 10. 18; 8,7. 22 εἰς ἔργα αὐτοῦ, 8,34; 9,2 εἰς κρατῆρα, 9,3 item : 9,6. 9 ἀφορμήν, 9,12 καὶ τοῖς

πλησίον, 9,13. 14; 10,8. 10. 22. 25 b. 26 βλαβερόν, 11,13. 16. 19. 21. 24; 12,4. 12. 24. 25; 13,2; 14,16. 25; 15,17 καὶ χάριν; 15,30 καλά, 16,4 μετὰ δικαιοσύνης, 16,28; 17,1. 11 b. 15 b. 17. 18. 27 σκληρόν, 18,5. 19; 19, 21. 24 ἀδίκως, 20,7. 24; 21,19; 22,3. 10. 11; 23,1 ἐπὶ τραπέζης, 23,4 πένης ὤν, 23,11. 18. 20. 30; 25,25 προσηνές, 25,26 ἔξοδον, ἄκοσμον, 26,24. 26. 27 τῷ πλησίον 27,8 δουλοῦται, 27,9. 10 c. 15. 21 b; 29,19 σκληρός 29,24 b προτεθέντος, 30,14 b; 30,16 καὶ τάρταρος, καὶ ὕδω ρ, 30, 23 b, 30,30 b καταπτήσσει, 31,23 κατοίκων.

Alia videntur addita, ut praecaveatur periculum ne verba male, seu in sinistrum sensum accipiantur; ita 1,28 b quaerent me *mali,* et non invenient; 2,11 consilium *rectum* (βουλὴ καλὴ) custodiet te et prudentia *sancta* servabit te; 3,9 honora Dominum de tua substantia *iusta* et de frugibus tuis *iustitiae;* 3,34 Dominus superbis *resistit* (vulg., ut hebr. : deludet illusores); 4,26 *rectam* semitam dirige pedibus tuis; 5,2 ut custodias cogitationem *bonam;* 5,20 μὴ πολὺς ἴσθι πρὸς ἀλλοτρίαν, videtur interpres hic potius consulere consuetudini sui temporis, qua solum *frequens* cum alia muliere conversatio improbabatur; 10,12 b omnes *non* contentiosos operit amicitia (hebr., vulg. universa delicta operit caritas); 13,11 substantia festinata μετὰ ἀνομίας minuetur, qui autem sibi colligit μετ' εὐσεβείας πληθυνθήσεται, 13,19 desideria *piorum* delectant animam; 17,7 non congruunt stulto labia *fidelia,* nec *iusto* labia mendacia; 18,22 qui invenit mulierem *bonam;* 19,18 b *ad contumeliam* autem ne eleveris animo tuo (hebr., vulg. ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam); 19,22 b melior est pauper *iustus* quam vir mendax; 21,9 b quam *cum iniustitia* et in domo communi (voluitne parcere mulieribus! hebr., vulg. quam cum muliere litigiosa); 21,22 b et destruxit robur, *in quo confidebant impii;* 24,14 b ἔσται καλὴ ἡ τελευτή σου (hebr. et est tempus futurum); 28,26 qui confidit in corde suo *audaci,* stultus est; 30,11. 22. 13. 14 generatio *mala;* 30,3.

Aliqua modo magis generali exprimuntur; ita 15,15 b quod hebr. habetur : secura mens iuge convivium, οἱ δὲ ἀγαθοὶ ἡσυχάσουσιν διὰ παντός; similiter 15,17 b pro bove saginato interpres posuit παράθεσιν μόσχων; item 17,10 b stulto non centum plagas infligi vult, sed censet : μαστιγωθεὶς οὐκ αἰσθάνεται; nec 17,26 percutere principem retinet, sed scribit ἐπιβουλεύειν δυνάσταις δικαίοις. Videtur nolle nominare meretricem et alienam 23,27, quia eius loco ponitur ἀλλότριος οἶκος et ἀλλότριον. In hebr. 28,27 dicitur multis maledictionibus expositus qui oculos suos avertit a paupere; mitiore modo loquitur interpres ἐν πολλῇ ἀπορίᾳ ἔσται, similiter vulg. : sustinebit penuriam.

In locis haud paucis versio deprehenditur satis libera, sed ita

tamen, ut sensus textus hebr. generatim exprimatur; ita 1,19. 32; 2,20; 3,18 b. 27; 5,5. 9. 19; 6,25. 30; 8,23. 26; 9,6; 10,17. 24 a. 25; 11,2 (hebr. cum humilibus sapientia, στόμα δὲ ταπεινῶν μελετᾷ σοφίαν); 11,9 (perdit amicum suum παγὶς πολίταις — iusti liberantur scientia, αἴσθησις δὲ δικαίων εὔοδος); 12,17. 18; 13,4; 14,4 b. 10 a. 29 b. 15,10 a. 13 b. 15 a. 27; 16,25 b; 17,3. 10 a. 11 b. 23. 24 a; 18,2. 6; 19, 10 b; 20,1 b. 9. 30; 21,2. 8; 22,9; 23,5 c. 7; 24,21. 22 a. 29 b; 25,8. 10. 19; 26,6. 7 a. 19. 24; 27,14 b. 15. 25; 29,13; 30,30. 31; 31,5.

Aliquoties interpres ita exspatiatur, ut fere ad explicationem similem midrasch perveniat; cf. 5,5; 6,11; 13,2; 16,26; 17,23; 19,23 et praesertim 24,30-34 et 27,27, ubi pro lacte in nutrimentum ponit interpres ῥήσεις ἰσχυρὰς εἰς ζωήν.

Aliis in locis sat multis exponitur sententia quae a textu hebr. recedit et alium sensum effert; ita 1,22; 2,16; 3,32; 5,2 b. 18; 6,16; 8,27 b. 31; 9,18; 10,4 a. 5. 10 b. 13; 11,3. 7. 24. 25. 31; 13,1 b. 2 b. 12. 14 b. 18 a. 19 b. 23; 14,13. 30. 35 b; 15,4 b. 21 a. 22 a. 23; 16,21. 33 a; 17,8 a. 28 a; 18, 8. 11 b. 14 a; 19, 6 b. 11 b. 13 b. 28 a; 20,11 a; 21,14 b. 15. 17; 22,7. 23 b. 26 b; 23,2. 16; 24,7-10. 15; 25, 13 a. 20 b. 23. 28 b. 26,18. 20. 23 a; 27,11 b; 28,21 a; 29,9. 21; 31, 21. 27. 28. 31.

Ad modum vertendi etiam spectat, quod sententiae ope particularum inter se coniungantur; ita ponitur v. g. ἵνα 16,1; 23,35; 24,13; 27,11. 26; ὅταν 20,8; 23,33; ἐὰν 23,13; 29,20. 24; γὰρ 23,14 etc. ἀλλὰ 26,5; οὕτως 28,4; ὡςαύτως 27,20 etc. etc. Interpretem satis libere munere suo fungi voluisse, inde quoque disce quod unam eandemque vocem varie reddiderit. Ita אולת κακία 13,16; 14,18; 15,2. 14; tamquam adiectivum κακή, κακὰ 16,2 et 17,12; ἄφρων 14,1. 29; 24,9; ἀνόητος 15,21; ἄνοια 14,8; 22,15; ἀβουλία 14,7; ἀφροσύνη 18,13; 19,3; 26,4. 5; 27,22. Similis varietas cernitur in adiectivo אויל: ἄφρων 14, 3; 15,5; 16,22; 20,3; 27,3. 22; παράνομος 14,9; ἀνόητος 17,28; φαῦλος 29,9.

In pluribus locis interpres explicationem deprompsit ex dialecto aramaica, vel talem proposuit versionem quae solum explicatur voce aramaica supposita. Varia eius rei exempla affert *de Lagarde* (Anmerkungen zur griechischen Uebersetzung der Proverbien). Ita 4,3 legitur ὑπήκοος, id quod ex hebr רך (tener) nequit explicari, bene autem ex forma quadam aramaizante מך; attentione dignum est מביש verti 10,5 παράνομος, 12,4 κακοποιός, 17,2 ἄφρων, quae notio facilius explicatur e significatione radicis aramaicae; 13,1 b ἐν ἀπωλείᾳ non ex hebr. לץ, sed ex לוט explicari potest; eodem modo 13,9 διὰ παντὸς pro laetificat, facili litterarum mutatione ex syro patet; item ὑγιαίνει

13,13 b; 17,23 duplex versio graeca elucidatur item ex syro; 19,13 οὐχ ἁγναὶ εὐχαί ex eadem ratione concipi potest, parva mutatione litterarum נדר et syr. דליח; item 23,28 a συντόμως non ex hebr. verum ex syro חתף intelligi potest; pariter 24,15 κοιλίας originem ducit ex eodem fonte syro; item 24,28 πλατύνου, et 25,15 εὐοδία declaratur ex notione aramaica פתה; et 26,10 πολλὰ χειμάζεται et 26,28 ἀλήθειαν, et 27,15 ἐκβάλλουσιν, item 27,18 φυτεύει, 27,22 ἐν συνεδρίῳ facile ex syro, neutiquam ex hebr. declarantur; etiam 28,3 ἀνωφελής multo facilius ex locutione syra habetur (מדם דלחם συμφέρων) quam ex hebr. (non panis) et 28,15 λύκος solum ex syro דאב explicatur; 30,15 ἀγαπήσει ἀγαπώμεναι refertur ad syrum חב et eodem modo 31,4 βουλή non ex hebr. מלך sed ex syro derivatur (cf. *de Lagarde,* l. c., p. 17. 21. 43. 45. 57. 62. 75. 82. 85 etc.).

Magnae utilitatis est versio graeca ex eo, quia multiplicem praebet opportunitatem emendandi textum hebr. Id praecipue habetur in his locis, de quibus consule quae in commentario adnotavi, 1,7. 21; 2,15; 3,8. 10. 12.15; 5,6 a; 5,16; 6,3. 5. 26; 7,6. 7. 22; 8,2. 7; 9,9. 13; 10,9. 29 a; 11,16. 30 b; 12,13. 27. 28; 13,1. 6 b. 10. 11. 15 b; 14,9. 16. 24 a; 15,28; 16,11; 17. 10. 14; 18,1. 19; 19,19. 22. 27. 29; 20,25. 30; 21,6. 8. 20. 26. 28; 22,17. 19. 20; 23,34; 24,5; 25,4. 20. 27 b; 26,8. 10; 27,9 b. 16. 19. 23. 18,2. 3. 16. 17. 23; 29,11 b. 21; 30,4. 15. 17.

Quando versio facta sit, penitus ignoratur, nisi ex vocibus ex aramaica dialecto explicatis aliquid coniicere libet. Versio satis est elegans et praeclaram arguit cognitionem graecae linguae apud interpretem.

Versus qui in G desunt, hi enumerantur : 1,16 (habetur in codice alexandrino A et additus est a primo correctore codicis sinaitici S [2], legitur in syr. hexapl. sine signis criticis) 4,7 (exhibetur cum stellula in syr. h; adscriptum est in margine : omnes) 8,33 (habetur in S [2] A syr. h cum stellula) 11,4 (legitur in A, syr. h sine aster. in 3 codd. min. cum aster.) 13,6 (fertur in A, syr. h partim sub aster.) 15,31 (syr. h sub aster.; οὖς ἀκοῦον ἐλέγχους ζωῆς, ἐν μέσῳ σοφῶν αὐλισθήσεται, etiam *Aq. Sym. Theod.* et quinta versio, ut syr. h indicat) 16,1-3 (habet partim syr. h et *Theod.*) 18,23-24 (partim apud *Theod.* et syr. h) 19,1-2 (apud syr. h et in 3 codd. min.); 20,14-19 (in syr. h *Theod.* et in 4 codd. min.) 21,5 (syr. h *Theod.* 23,23 (syr. h *Theod.* qui versus omnes in syr. h sub aster. exhibentur).

Praeterea in versione graeca dispositio ac collocatio versuum quandoque est alia. Nam post 24,22 sequitur pars prior verborum Agur, hebr. 30,1-14; dein ponuntur verba Sapientum, hebr. 24,23-34, post quae sequuntur reliqua verba Agur, hebr. 30,15-33 et verba Lamuel

31,1-9; dein collocantur cap. 25-29; praeconium mulieris fortis concludit librum, ut in hebr. Inscriptio illa 10,1 Parabolae Salomonis graece non legitur (habet tamen syr. h in textu sine aster : aenigmata Salomonis). Inscriptio hebr. 24,23 haec quoque a Sapientibus pariter graece non habetur, seu potius obscuratur ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς ἐπιγινώσκειν. Interpres graecus pariter non exhibet inscriptiones illas in hebr. quibus verba Agur et Lamuel designantur, sed praebet 30,1 τοὺς ἐμοὺς λόγους υἱὲ φοβήθητι, καὶ δεξάμενος αὐτοὺς μετανόει· τάδε λέγει ὁ ἀνὴρ τοῖς πιστεύουσιν θεῷ, καὶ παύομαι, et 31,1 ita effert οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ θεοῦ· βασιλέως χρηματισμὸς ὃν ἐπαίδευσεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

In initio libri legitur, uti hebr. παροιμίαι Σαλωμῶντος υἱοῦ Δαυείδ. Cum itaque inscriptiones 24,23 et eae quibus verba Agur et Lamuel discernuntur graece non appareant, tota haec collectio ad unum refertur Salomonem secundum collocationem graecam; altera dein libri pars cap. 25-29. 30 introducitur nova inscriptione illa qua aliae doctrinae παιδεῖαι Salomonis, αἱ ἀδιάκριτοι, designantur, quas exscripserunt amici Ezechiae regis Iudaeae. Hac ratione itaque interpres graecus librum parabolarum exhibet Salomonicum totum, apte in duas divisum partes, quarum prior pars simpliciter Salomoni adscribitur, altera ei per amicos regis attribuitur.

V. — De versione syra.

Versionem syram ex hebraeo esse factam, ita tamen ut interpres fere continuo ob oculos haberet versionem graecam et ad eam in locis difficilibus recurreret et suam versionem quandoque et hebraeo et graeco textui conformaret, ostenditur ipsa re et conditione textus et inter eruditos constat. Omnium diligentissime in conditionem huius versionis inquisivit *Hermann Pinkuss,* Die syrische Uebersetzung der Proverbien, textkritisch und in ihrem Verhältnisse zu dem masoretischen Text den LXX und dem Targum untersucht (cf. Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft, 1894, p. 65-141. 161-222).

In ordine ac dispositione textus versio syra sequitur textum hebraeum; inscriptio illa 10,1 hebraea omittitur, uti in LXX; ad 24,34 legitur adscriptum : finitae sunt parabolae Salomonis. Unde liquet, interpretem 24,23 non perspexisse alios iam assignari auctores, verum exhibet v. 23 haec sapientibus dico ego : accipere personas in iudicio, non est honestum. Inscriptio altera 25,1 traditur in versione syra, uti in LXX legitur. Versus qui in LXX desunt leguntur omnes in versione syra. Plurimis in rebus haec versio consentit cum LXX, modo in una alterave voce, modo in aliqua versus parte, modo

in addito vocabulo vel omisso; quae singula accurate collegit *Pinkuss,* l. c., p. 96-102. Ex versibus in LXX additis leguntur in versione syra 9,12. 18; 11,16; 13,13; 20,10; 25,20; 27,21. Minora additamenta unius alterius vocis pariter reperiuntur (l. c., p. 108). Interpretem textum graecum ob oculos habuisse satis diligenter, deprehenditur, ubi in hebraeo bis idem legitur versus, quem in LXX duplici modo expressum cernimus. Ita 18,8 est idem ac 26,22 (vulg. verba bilinguis [susurronis] quasi simplicia et ipsa perveniunt ad intima ventris); iam 18,8 praebet LXX ὀκνηροὺς καταβάλλει φόβος, ψυχαὶ δὲ ἀνδρογύνων πεινάσουσιν, et 26,22 λόγοι κερκώπων μαλακοί, οὗτοι δὲ τύπτουσιν εἰς ταμεῖα σπλάγχνων. Interpres syrus in 18,8 explicat vocem hebraeam נרגן sicut ibi LXX de pigro; at 26,22 de calumniatore, doloso, uti ibi LXX. In hebraeo idem versus habetur 22,3 et 27,12; in priore loco syrus accurate sequitur LXX, in altero fideliter reddit textum hebraeum. Apparentem contradictionem 26,5 removet scribens : sed loquere cum stulto secundum tuam sapientiam, ne cogitet apud se esse se sapientem. Ubi legitur hebr. 15,16 melius est edulium oleris et amor *ibi* (שם), vertit : et amor nominis (Dei); unde concluditur versionem inter Iudaeos ortam esse (cf. *Frankenberg,* Die Sprüche, p. 16). Frequenter particula ו sententias inter se iungit; rarius aliis particulis (v. g. 10,3).

VI. — De versione latina, Vulgata.

In Vulgata habetur versio S. Hieronymi cum variis additamentis. Ordo cernitur idem qui est in textu hebraeo. Plerumque fideliter et accurate sequitur et exprimit Hieronymus eundem textum, ita ut eius versio, qua simul explicatio locorum verborumque difficilium praebetur, etiam a criticis modernis magni aestimetur et verum praebeat specimen doctrinae et cognitionis linguae interpretis (cf. *Frankenberg,* Die Sprüche, p. 15).

Additamenta plerumque leguntur etiam in versione graeca, syra et in textu hexaplari (de hoc textu cf. *Middeldorpf,* Codex syriaco-hexaplaris I, p. 254 seq.). Sunt autem adiecta ad hos versus : 4,27; 6,11; 10,4; 12,11; 13,13; 14,15; 15,5. 27; 16,5; 17,16; 18,8. 22; 22,9; 25,10. 20; 17,21; 29,27.

Quae tamen additamenta ad ipsam S. Hieronymi versionem non pertinent. Nam in antiquis eius versionis codicibus non leguntur, neque habentur in editione operum S. Hieronymi (cf. *M.* 29) excepto uno illo ad 4,27; neque leguntur apud Rabanum Maurum in eius expositione in Proverbia (*M.* 111,680 seq.), quae Expositio ven. Bedae

attribuebatur; in ea solum duo deprehenduntur additamenta ad 4, 27 et 6,11.

Minora quaedam ipse interpres adiecit; v. g. 5,3 ne attendas fallaciae mulieris (ex versione graeca); 8,29 et legem ponebat; 15,9 vitae; 15,26 firmabitur ab eo; 18,22 bonam; 19,1 dives; 21,6 et excors; 24,14 spem etc.

Certum quoque est interpretem ob oculos habuisse versionem graecam; eam enim saepius sequitur relicto textu hebraeo et in aliis locis magis ad eam et eius acceptionem accedit. Eiusmodi cernuntur 5,6; 7,10; 10,14; 11,8 b; 14,4 b. 25; 16,12; 17,16 c; 18,3. 17. 19; 20,7; 21,6; 29,6. 27 c; 30,69 d.

VII. — De subsidiis interpretationis.

Ex veterum Patrum commentariis in librum nostrum solum pauca quaedam fragmenta ad nos usque perlata sunt; ita *Origenis* fragmenta *M.* 13,15-34 et 17,161-252; *Hippolyti, M.* 10,615-628; *Didymi* alex. *M.* 39,1621-1646; *Olympiodori M.* 93,469-478; *S. Basilius* homiliam scripsit in principium Proverbiorum, *M.* 31,386-424. Commentarium satis diffusum, at parum utilem condidit *Procopius* gazaeus; *M.* 87,1221-1544. Catenam graecorum Patrum (quindecim) in Proverbia edidit Theodorus *Peltanus* (Antwerpiae 1614). S. Augustinus in homiliis aliquas explicuit sententias et laudem mulieris fortis; *M.* 38,213-235. Mysticam expositionem forma dialogica reliquit *Salonius* vienn. *M.* 53,967-994; quae S. Gregorius praebet, collegit *Paterius, M.* 79,895-905. Commentarius sub nomine ven. *Bedae, M.* 91,937-1040, attribuitur *Rabano Mauro, M.* 111,679-792; libellum de muliere forti scripsit ven. *Beda, M.* 91,1039-1052 (cf. *Cornely*, Introd. 2 ed. II, 2, p. 201 seq.).

Omissis illis qui cum reliquis sacris libris etiam Proverbia explanarunt (v. g. Card. Hugone, Nic. Lyrano, Dionysio carth.) nominandus est *Holcot* O. P. cuius commentarius concionatoribus utilis perhibetur (Parisiis 1510 et saepius), item Rud. *Baynius*, Quir. de *Salazar,* Cornelius *Iansenius* gand., *Osorius,* Cornelius *a Lapide,* qui hos aliosque commentatores enumerat et ex catena trium rabbinorum Antonii Giggeii explicationes quoque rabbinicas saepe profert et vere hanc inter alia notam pergrandi suo in Proverbia commentario praemittit : « Singulorum Patrum et interpretum sensus et sententias easque saepe verbatim affero, ut lector nihil iure desideret, sed unum hunc commentarium legens in eo omnes intueatur et legat magno sui et temporis et laboris et expensarum compendio ». Saepe feliciter sensum

litteralem inquirit et exponit, id quod *Calmet* quoque in suo brevi Commentario praestat.

Ex interpretibus recentioribus nominandi sunt : *Rohling,* Das Salomonische Spruchbuch 1879; *Lesêtre,* Le livre des Proverbes 1879; ex acatholicis : *Ewald,* Sprüche Salomos 1837; *Bertheau,* Die Sprüche S. 1847; Franz *Delitzsch,* Das Salomonische Spruchbuch 1873; *Nowack,* Die Sprüche S. 1883; *Frankenberg,* Die Sprüche, übersetzt und erklärt 1898; *Wildeboer,* Die Sprüche erklärt 1897; *Strack,* Die Sprüche S. 1899.

Ad criticam inquisitionem textus potissimum spectant haec : Paul de *Lagarde,* Anmerkungen zur griechischen Uebersetzung der Proverbien 1863; *Bickell,* Kritische Bearbeitung der Proverbien in Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes 1891. Band. V; *Müller* and *Kautzsch,* The Book of Proverbs in Hebrew, critical edition of the Hebrew text with notes 1901.

Germanice vertit Aug. Wünsche allegoricam interpretationem quam praebet Midrasch Mischle 1885. Aliqua eius explicationis specimina accipe : 5,15 bibe aquam de cisterna tua i. e. disce legem prius a propinquo et postea a remoto; 6,11 et veniet quasi itinerans caput tuum i. e. Messias rex qui in capite Israel ingreditur, uti dicitur Mich. 2,13 et transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum. Explicatur 9,2 immolavit sapientia victimas suas, de regina Esther; et 9,10 scientia sanctorum est scientia talmudistarum; 11,26 qui abscondit frumenta, i. e. legem, uti Ps. 2,12 quoque : osculamini legem. Inquiritur, qua occasione inductus sit Salomon, ut scriberet 15, 17 : melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio, et narratur fabula de Salomone regno spoliatio et mendicante; item 19,21 multae cogitationes in corde viri i. e. Salomon hoc dixit de Absalom qui apud se cogitavit : occiso Davide ego regnabo. Et ad 17,1 melior est buccella sicca cum gaudio; notatur : intelligitur terra Israel; nam homo, etsi non habeat nisi panem et salem, dummodo habitet in terra Israel, certo sibi persuadeat se esse filium futurae vitae. Melior est applicatio ad 27,23 : diligenter agnosce vultum pecoris tui : haec sunt verba quae Israel coram Deo profert : curam habe ovium tuarum. Explicatur 30,1 Agur de Salomone qui lumbos suos cinxerat (שאגר) sapientia.

COMMENTARIUS

Uti iam *Lap.* adnotat, titulus est simul initium libri :

1. Parabolae Salomonis, filii David, regis Israel,

2. *Ad sciendam sapientiam et disciplinam, | ad intelligenda verba prudentiae,* 3. *et suscipiendam eruditionem doctrinae, | iustitiam et iudicium et aequitatem,* 4. *ut detur parvulis astutia, | adolescenti scientia et intelligentia,* 5. *audiens sapiens sapientior erit, | et intelligens gubernacula possidebit,* 6. *animadvertet parabolam et interpretationem, | verba sapientum et aenigmata eorum.*

Explicatur quae utilitas pro variis hominum ordinibus ex parabolis, apophthegmatis, sententiis acute dictis, gnomis, exspectanda sit. Docetur iis *sapientia,* quae consistit in recta apprehensione rerum agendarum, in apto usu et prudenti applicatione adiumentorum ad propositum assequendum; docetur *disciplina,* vocis מוסר notione et institutio intelligitur et correptio, castigatio, vitiorum passionumque correctio. Uti prior vox ad intellectum spectat, ita haec altera ad voluntatem. Quae sequuntur, ampliorem praebent horum duorum explicationem : ut scil. praebeatur et exerceatur facultas *verba,* sermones *prudentiae,* doctos et eruditos intelligendi; dein v. 3 ut suscipiatur disciplina intelligentiae, hebr. השׂכל infinitivus tamquam substantivum, uti Ier. 3,5; Iob 34,35; Prov. 21,16, disciplina quae a recta intelligentia oritur ab eaque incrementum capit, cuius quasi partes recensentur : *iustitia, iudicium,* notio et sensus et norma iusti et recti, et *aequitas,* rectitudo, sinceritas, ingenuus agendi, cogitandi modus. S habet : disciplina *et* timor (pietas, reverentia), similiter *MK.* והשׂכל[1]. Iam proponitur utilitas pro variis hominum classibus : *ut detur parvulis* i. e. simplicibus *astutia,* iis scil. qui carent experientia rerum ideoque prudentia, talis solertia et calliditas quaedam tribuetur; iuvenibus autem obveniet *scientia* et hebr. מזמה consilium, circumspectio, iudicium circumspectum. Et v. 5 si *sapiens* quidam parabolis intenderit, addet sibi doctrinam, S sapientiam, et vir prudens *intelligens,* bene singula discernere assuetus, rectam vitae rerumque dispositionem discet; G κυβέρνησιν κτήσεται. Demum v. 6 parabolae iuvant, ut acute dicta, aenigmata, G. σκοτεινὸς λόγος perspiciantur,

1. *Aq.* τοῦ λαβεῖν παιδείαν ἐπιστήμης, *Sym.* παιδείαν φρονήσεως.

litteralem inquirit et exponit, id quod *Calmet* quoque in suo brevi Commentario praestat.

Ex interpretibus recentioribus nominandi sunt : *Rohling,* Das Salomonische Spruchbuch 1879; *Lesêtre,* Le livre des Proverbes 1879; ex acatholicis : *Ewald,* Sprüche Salomos 1837; *Bertheau,* Die Sprüche S. 1847; Franz *Delitzsch,* Das Salomonische Spruchbuch 1873; *Nowack,* Die Sprüche S. 1883; *Frankenberg,* Die Sprüche, übersetzt und erklärt 1898; *Wildeboer,* Die Sprüche erklärt 1897; *Strack,* Die Sprüche S. 1899.

Ad criticam inquisitionem textus potissimum spectant haec : Paul de *Lagarde*, Anmerkungen zur griechischen Uebersetzung der Proverbien 1863; *Bickell,* Kritische Bearbeitung der Proverbien in Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes 1891. Band. V; *Müller* and *Kautzsch,* The Book of Proverbs in Hebrew, critical edition of the Hebrew text with notes 1901.

Germanice vertit Aug. Wünsche allegoricam interpretationem quam praebet Midrasch Mischle 1885. Aliqua eius explicationis specimina accipe : 5,15 bibe aquam de cisterna tua i. e. disce legem prius a propinquo et postea a remoto; 6,11 et veniet quasi itinerans caput tuum i. e. Messias rex qui in capite Israel ingreditur, uti dicitur Mich. 2,13 et transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum. Explicatur 9,2 immolavit sapientia victimas suas, de regina Esther; et 9,10 scientia sanctorum est scientia talmudistarum; 11,26 qui abscondit frumenta, i. e. legem, uti Ps. 2,12 quoque : osculamini legem. Inquiritur, qua occasione inductus sit Salomon, ut scriberet 15, 17 : melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio, et narratur fabula de Salomone regno spoliatio et mendicante; item 19,21 multae cogitationes in corde viri i. e. Salomon hoc dixit de Absalom qui apud se cogitavit : occiso Davide ego regnabo. Et ad 17,1 melior est buccella sicca cum gaudio; notatur : intelligitur terra Israel; nam homo, etsi non habeat nisi panem et salem, dummodo habitet in terra Israel, certo sibi persuadeat se esse filium futurae vitae. Melior est applicatio ad 27,23 : diligenter agnosce vultum pecoris tui : haec sunt verba quae Israel coram Deo profert : curam habe ovium tuarum. Explicatur 30,1 Agur de Salomone qui lumbos suos cinxerat (שאגר) sapientia.

COMMENTARIUS

Uti iam *Lap.* adnotat, titulus est simul initium libri :

1. Parabolae Salomonis, filii David, regis Israel,

2. *Ad sciendam sapientiam et disciplinam, | ad intelligenda verba prudentiae,* 3. *et suscipiendam eruditionem doctrinae, | iustitiam et iudicium et aequitatem,* 4. *ut detur parvulis astutia, | adolescenti scientia et intelligentia,* 5. *audiens sapiens sapientior erit, | et intelligens gubernacula possidebit,* 6. *animadvertet parabolam et interpretationem, | verba sapientum et aenigmata eorum.*

Explicatur quae utilitas pro variis hominum ordinibus ex parabolis, apophthegmatis, sententiis acute dictis, gnomis, exspectanda sit. Docetur iis *sapientia,* quae consistit in recta apprehensione rerum agendarum, in apto usu et prudenti applicatione adiumentorum ad propositum assequendum; docetur *disciplina,* vocis מוסר notione et institutio intelligitur et correptio, castigatio, vitiorum passionumque correctio. Uti prior vox ad intellectum spectat, ita haec altera ad voluntatem. Quae sequuntur, ampliorem praebent horum duorum explicationem : ut scil. praebeatur et exerceatur facultas *verba,* sermones *prudentiae,* doctos et eruditos intelligendi; dein v. 3 ut suscipiatur disciplina intelligentiae, hebr. השכל infinitivus tamquam substantivum, uti Ier. 3,5; Iob 34,35; Prov. 21,16, disciplina quae a recta intelligentia oritur ab eaque incrementum capit, cuius quasi partes recensentur : *iustitia, iudicium,* notio et sensus et norma iusti et recti, et *aequitas,* rectitudo, sinceritas, ingenuus agendi, cogitandi modus. S habet : disciplina *et* timor (pietas, reverentia), similiter *MK.* והשכל[1]. Iam proponitur utilitas pro variis hominum classibus : *ut detur parvulis* i. e. simplicibus *astutia,* iis scil. qui carent experientia rerum ideoque prudentia, talis solertia et calliditas quaedam tribuetur; iuvenibus autem obveniet *scientia* et hebr. מזמה consilium, circumspectio, iudicium circumspectum. Et v. 5 si *sapiens* quidam parabolis intenderit, addet sibi doctrinam, S sapientiam, et vir prudens *intelligens,* bene singula discernere assuetus, rectam vitae rerumque dispositionem discet; G κυβέρνησιν κτήσεται. Demum v. 6 parabolae iuvant, ut acute dicta, aenigmata, G. σκοτεινὸς λόγος perspiciantur,

1. *Aq.* τοῦ λαβεῖν παιδείαν ἐπιστήμης, *Sym.* παιδείαν φρονήσεως.

itemque aliorum sapientum sermones et problemata; cf. Eccli 39,2 : narrationem virorum nominatorum conservabit et in versutias parabolarum simul introibit.

7. *Timor Domini principium sapientiae;* | *sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.*

Ponitur haec sententia quasi tessera initio totius disputationis, qua simul efficax continetur adhortatio et invitatio ad sapientiae et disciplinae studium. Est *timor Domini* pietas, religio, cultus Dei; estque *initium* (hebr.) ἀρχή, prima quasi pars sapientiae et inchoatio. S invertit : initium sapientiae timor Domini; hebr. initium *cognitionis;* in G primus stichus duobus aliis magis declaratur : σύνεσις δὲ ἀγαθὴ πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτήν· est sententia similis illi : si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit (Joan. 7,17); nam quo quis magis vitam degit bonam atque honestam, eo magis etiam intelliget ac percipiet sensu quodam intimo ita oportere vitam suam componere; εὐσέβεια δὲ εἰς θεὸν ἀρχὴ αἰσθήσεως, explicatur φόβος θεοῦ; cf. Ps. 110,10 initium sapientiae timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, et Prov. 9,10 initium sapientiae timor Domini; assentiendum erit sententiae *Bickell,* hebr. scribendum esse non דעת, sed חכמה, uti habent G, S, vulg. Versus itaque hic ponitur more veterum quoque Arabum et frequenti etiam nostratum consuetudine solitarie quasi quoddam totius libri prooemium ac tessera (Motto; cf. *Wildeb.*).

Et primo loco Sapiens inculcat necessitatem educationis et institutionis *parentalis.* Eo ipso enim quod serio discipulum monet parentum monita sedulo audire et opere exsequi, docet quanti momenti sit illa institutio domestica, simulque officium parentum graviter effert :

8. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui* | *et ne dimittas legem matris tuae,* 9. *ut addatur gratia capiti tuo* | *et torques collo tuo.*

Institutorem, magistrum, doctorem paterno quodam sensu in discipulum imbui debere, ipsa compellatione *fili mi* ostenditur, qua simul amoris testificatione fiducia et prompta discipuli voluntas excitatur. Notione obsequendi, obediendi saepe *audire* adhibetur, id quod hoc loco quoque obtinet, uti ex altero sticho parallelo *ne dimittas* patet i. e. prorsus retine; vox fere severior *disciplina* tribuitur patri, mitior illa תורה institutio matri. Et quanta utilitas ex bona educatione consequatur, habetur v. 9; hebr. *nam* ex illa evadit iuvenis ornatissimus i. e. symbolo et imagine ornatus pulcherrimi edicitur, sicut ornamenta placent et omnium admirationem provocant, ita iuvenis

bene educati mores, indolem, virtutes omnium aspectibus fore gratissima; hebr. nam corona gratiae illa (sunt) capiti tuo, G στέφανον γὰρ χαρίτων ἕξῃ [δέξῃ]; sibi talis favorem omnium conciliabit; S et vulg. non efferunt coronam.

Ut autem bona educatio parentum revera maneat ornamentum iuvenis, primo opus est, ut custodiatur a lenociniis sodalium malorum, ne eorum exemplis et incitamentis pervertatur. Sequuntur v. 10-19 decem versus, qui voce *fili mi* v. 10. 15 in duas partes (strophas?) dividuntur :

10. ***Fili mi, si te lactaverint peccatores | ne acquiescas eis; 11. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini, | abscondamus tendiculas contra insontem frustra, 12. deglutiamus eum sicut infernus viventem, | et integrum quasi descendentem in lacum, 13. omnem pretiosam substantiam reperiemus, | implebimus domos nostras spoliis, 14. sortem mitte nobiscum, | marsupium unum sit omnium nostrum.***

15. ***Fili mi ne ambules cum eis, | prohibe pedem tuum a semitis eorum; 16. pedes enim illorum ad malum currunt, | et festinant ut effundant sanguinem. | 17. Frustra autem iacitur rete | ante oculos pennatorum. 18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, | et moliuntur fraudes contra animas suas. 19. Sic semitae omnis avari, | animas possidentium rapiunt.***

Admonitio generalis in v. 10 proponitur, quae in subsequentibus speciatim declaratur; quomodo peccatores seducere incautos tentent, v. 11-14 exhibetur; quomodo et cur illis non sit assentiendum, habes v. 15-19; prior pars continet protasin, altera apodosin. Tamquam incitamentum proponitur iuveni, ut sese iungat iis qui oppressione opes sibi comparent. Aetas enim iuvenilis viribus ac robore pollens prona est ad violentiam et iniurias, opum quoque ac pecuniarum appetens, quibus conceditur frui voluptatibus. Quare talis invitatio ad indolem iuvenilem apta est et efficax; *insidiemur sanguini,* opprimamus alios insidiis ac dolis (cf. 28,17); corrigunt nonnulli לתם, insidiemur viro integro, innocenti (cf. *MK.*), prout membro parallelo convenit ideoque commendari videtur. Sed quia in v. 18 cum allusione ad v. 11 efferatur, illos suo ipsorum sanguini potius insidias struere, non sanguini alieno seu vitae, *sanguini* cum versionibus erit retinendum; tendamus insidias *insonti frustra,* qui frustra insons est, cui innocentia non est tutelae aut protectioni, vel qui frustra ob innocentiam sibi securitatem speret. Hac notione loquuntur cum ironia quadam de insonte ridentes opinionem vulgarem de utilitate pietatis. Unde minime cum *Bickell* vox delenda est, ac si impii se ipsos condemnarent; G quidem legitur ἀδίκως, qua voce utique impii contra se testimonium ferrent; at *frustra* bene iungi potest cum insonte; cf. Lament. 3,52 hebr. qui mihi sine causa inimici sunt. Membrum hoc

aliqui ut glossam[1] omittunt (cf. *MK.*). Aviditatem nocendi exprimunt in v. 12 *deglutiamus eos* (hebr. nam *insons* de toto genere dicitur) et cupiditatem insatiabilem designant comparatione *sicut infernus* (cf. 27,20; 30;16. Is. 5,14) et repentino ictu atque inexspectato eos perdere gestiunt; unde dicitur *viventes,* vivos hebr. cum allusione ad Num. 16,30. 33; et optime valentes (hebr.) sicut descendentes in foveam; תמימים vulg. integrum vel moribus, vel viribus corporis, sanitate; ob parallelismum hoc videtur praeferendum (cf. Ex. 12,5. Lev. 1,3), quamvis ob v. 11b alterum quoque bene congruat (S). Insuper cum ea facilitate et securitate oppressionis, quae comparatione indicatur, coniunctum iri promittunt lucrum v. 13 : multiplicem nanciscemur pretiosam possessionem, ita ut domus nostras spoliis impleamus. Hisce autem parantur subsidia ad fruendum voluptatibus et ad honores consequendos (S). Talibus igitur praemiis propositis efficax redditur adhortatio v. 14 *sortem mitte nobiscum,* hebr. in medio nostri; te nobiscum iunge; communis sit tibi nobiscum omnis praeda, omne lucrum commune.

Ostenso periculo seductionis Sapiens iuvenem monet v. 15 *fili mi,* ne ineat societatem cum eis, verum longe recedat ab illorum vita et agendi ratione : ne eas in via cum eis hebr.; via, semitae vivendi et agendi ratio dicitur. Et affertur ratio v. 16 talis enim vitae institutio vergit ad malum et illi malum omni studio prosequuntur et inhiant oppressionibus. Verba eadem leguntur Is. 59,7, nec habentur hic in bonis codicibus graecis; unde omittuntur apud *Bickell, MK. Wildeb.;* at propter symmetriam cum parte priore — versus quinque utrobique — versus erit retinendus; praeterea post admonitionem v. 15 merito exspectatur ratio quaedam, qua nuda illa admonitio fulciatur. Praebet S : ut effundant sanguinem innocentem, uti Is. 59,7. Neque dici potest, haec iam esse praeoccupata in v. 11. 12; unde frustra repeti; nam additur *ad malum*; proin sensus recti honestique in iuvene excitatur. Altera ratio proponitur in v. 17 hebr. *nam frustra expanditur rete ante oculos pennatorum;* de quo versu scribit *Lap. :* « Beda, Lyran. Hugo, Dionys. Iansen. et alii passim hanc sententiam et paroemiam ad praecedentia referentes sic plane et clare explicant q. d. fili, cave praedonum illecebras, imitare aves quae videntes rete sibi tendi, illico avolant, iuxta illud Ovidii : *quaeque nimis patent retia, vitat avis;* ita ergo et tu hisce meis monitis instructus, statim eorum retibus te expedi et avola »; ita quoque *Del., Ziegler :* si aves vi-

1. Unde id commodi habetur, ut uterque stichus minus sit onustus : si dixerint : veni nobiscum, insidiemur sanguini.

dentes rete expandi avolant, tu ratione utens ne caecus in rete expansum te coniicias. At non est una acceptio horum verborum. Aliter v. g. *Wild.* : quamvis aves videant rete, tamen allectae escis in rete involant; eodem modo homines spoliis allecti pericula non vident, in quae se coniiciunt. In hac explicatione res fere praecipua est *allici,* id quod in textu nullatenus indicatur. Etiam minus congruit quod aliis placuit, tam aperte ab iis strui insidias, ut fere mente captus ille censendus sit qui succumbat; potius explica : consilia illorum plane frustrari; nam uti aves suspicentur periculum, ita quos opprimere intenderint insidiis frustratis evadere salvos. Itaque admonitio in id recidit : noli machinari rem, quae non habet successum; verum non aliis, sed sibi ipsis damnum inferunt. Tertia affertur ratio pro admonitione (v. 15) in v. 18 : isti in suum ipsorum sanguinem, in propriam vitam, insidias struunt; sibi ipsis, non aliis, parant interitum. Supponitur hic iam doctrina toties enuntiata, qua praemia virtutis, poenae scelerum hisce in terris promittuntur. Quae doctrina statim in v. 19 inculcatur et quasi epiphonema admonitionem fulcit : *sic semitae,* rationes vitae et sortes et fortuna, *omnis avari,* hebr. omnis quaerentis lucrum iniustum, lucrum iniustum (avaritia) vitam (animam) auferet possidentium illud (lucrum scil.); lucrum domino suo, ei qui illud fecit, seu avaritia ei qui eam habet, damnum affert maximum, vitam tollit; cf. Ps. 54,24 viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.

Contra invitamenta peccatorum Sapientia multipliciter et variis occasionibus homines admonet et sua bona illis offert. Sequuntur versus quattuor, sed cum v. 22 et 23 tristichis constent, mensura potius quinque distichorum conficitur.

20. *Sapientia foris praedicat,* | *in plateis dat vocem suam,* 21. *In capite turbarum clamitat,* | *in foribus portarum urbis profert verba sua,* 22. *dicens : usquequo parvuli diligitis infantiam* | *et stulti ea quae sibi sunt noxia cupient?* | *et imprudentes odibunt scientiam?* 23. *convertimini ad correptionem meam,* | *en proferam vobis spiritum meum,* | *et ostendam vobis verba mea.*

Ipsis dictionibus indicatur, Sapientiam multifariam multisque modis ad homines loqui idque in locis apertis; foris alte clamitat (hebr.), in plateis effert vocem suam, in locis magnis, *in capite turbarum,* (המיות strepitum edentes, vel viae ubi strepitus fit, vel turbae hominum?) coram iis, in fronte strepentium praedicat (hebr.), in ostiis (introitu) portarum, in urbe hebr. (G vulg. urbis) sermones suos profert. G ἐπ' ἄκρων δὲ τειχέων (חומות) κηρύσσεται, *moenia* quoque scribe in hebr. Ad tres ordines dirigitur sermo : ad simplices, ad irrisores, ad

stultos (hebetes) : *usquequo* reprehensio est et severa monitio, ut tandem aliquando *simplices* relinquant simplicitatem, qua seductioni facillime exponuntur; cum indignatione quaerit Sapientia hebr. : quamdiu irrisores sibi placent irrisione eaque delectentur? et quamdiu fatui odio habebunt cognitionem? Hisce Sapientia iam pollicetur suà doctrina tribui experientiam rerum ac prudentiam contra noxiam simplicitatem, imbutum iri animos sacra quadam reverentia religionis rerumque divinarum, mentesque scientiam esse nacturas. Quare subditur invitatio v. 23 *convertimini ad correptionem meam*; vel si ab aversione vestra recesseritis et ad me vos converteritis, ad meam correptionem mentem adverteritis, *faciam scaturire* vobis spiritum meum, large vobiscum communicabo mentem meam et docebo vos verba mea (qui stichus in S merito non legitur).

In v. 22 stichum secundum de irrisoribus omittunt *MK*; iste stichus negligitur quoque in versu cognato 32, in quo duo solum ordines commemorantur : simplices et stulti. In v. 23 *Bickell* delet stichum secundum et tertium; censet enim stichos hos eo loco plane abs re, cum Sapientia promittat institutionem quandam animos recreantem. Primum autem stichum v. 23 corrigit ex G : καὶ ὑπεύθυνοι ἐγένοντο ἐλέγχοις, ויאשמו.

Quodsi autem homines repetitam Sapientiae invitationem spreverint, magnis subito obruentur calamitatibus; tunc quidem invocabunt Sapientiam miseriis pressi; at frustra; quae seminaverint metent; sua ipsorum stultitia peribunt; qui vero Sapientiae dicto audientes fuerint, pace et securitate fruentur. Decem versibus haec explicantur v. 24-33.

24. *Quia vocavi et renuistis,* | *extendi manum meam et non fuit qui aspiceret,* 25. *despexistis omne consilium meum,* | *et increpationes meas neglexistis;* 26. *ego quoque in interitu vestro ridebo,* | *et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit,* 27. *cum irruerit repentina calamitas,* | *et interitus quasi tempestas ingruerit,* | *quando venerit super vos tribulatio et angustia.* 28. *Tunc invocabunt me, et non exaudiam,* | *mane consurgent et non invenient me;* 29. *eo quod exosam habuerint disciplinam,* | *et timorem Domini non susceperint,* 30. *nec acquieverint consilio meo,* | *et detraxerint universae correptioni meae.* 31. *Comedent igitur fructus viae suae,* | *suisque consiliis saturabuntur;* 32. *aversio parvulorum interficiet eos,* | *et prosperitas stultorum perdet illos.* 33. *Qui autem me audierit, absque terrore requiescet,* | *et abundantia perfruetur timore malorum sublato.*

Quam instanter ac sedulo Sapientia hortetur et animis hominum se ingerere conetur, voce et gestu v. 24 explicatur : *vocavi, extendi manum meam*, et v. 25 varia eius institutione, doctrina, suasione, reprehensione : *omne* (multiplex) *consilium meum et increpationem*; at illi vocantem recusarunt; nutibus eius minime attenderunt; varia

eius monita, consilia despexerunt iis nullatenus obsecuti, reprehensionem eius non admiserunt. Sententiae more hebraeo exhibentur paratactice; sensus vero est : quia vos cum ego vocarem renuistis etc. Effertur cum emphasi et sarcasmo v. 26 *ego quoque in interitu vestro ridebo*, in calamitate vestra; nam sceleratos mox esse poenas subituros, constans est opinio et exspectatio veterum; *subsannabo*, irridebo, cum venerit terror vester (hebr.). Iusta declaratur ultio, qua iustitiae laesae et recto ordini neglecto quasi satisfactio praebetur. Sermo ad mores hominum adaptatur; « congrua iustaque punitionis mensura : risus risui, subsannatio subsannationi respondet » (*Lap.*). Recipiunt scil. impii quod meriti sunt, quod ipsi ambabus quasi manibus sibi attraxerunt. Ita iustitia et rectus ordo servatur vel restituitur; de qua re merito Sapientia gaudere ac laetari dicitur. In v. 27 tertius stichus otiosa est eiusdem rei repetitio, quare merito eum *MK* omittunt; eum servat *Bickell* transpositione hac : etiam ego in calamitate vestra ridebo, cum venerit super vos tribulatio et angustia; subsannabo cum venerit sicut turbo terror vester, et vastatio vestra sicut tempestas veniet. Verum nonne sermo ita evadit nimis diffusus et turgidus? Tribulatio foris deprimit, angustia intus omnem aufert consolationem (*Raban.*).

Rebus adversis pressi *tunc* quidem *invocabunt me*; at par pari refertur : ut illi vocantem repudiarunt, ita haec eos invocantes recusat : *et non respondebo*; me quaerent (hebr.) *et non invenient me*; opem et liberationem ab imminentibus malis exposcent magno desiderio; at frustra; nam quae est iustitia divina, in lege vetere proposita, impune non possunt abire, pro eo quod odio habebant cognitionem et timorem Domini (cultum Dei, τὴν θεοσέβειαν, ut alia versio fert, pietatem) non elegerunt (hebr.); non dilexerunt v. 30 consilium a Sapientia illis exhibitum, et multiplicem correptionem et reprehensionem eius aspernati sunt (hebr.). Quam iuste itaque affligantur, ex agendi sentiendique rationibus declaratur. Nam quae nunc experiuntur, eventus est necessarius et consecutio sua sponte enata ex eorum actibus v. 31 *comedent fructus viae suae*; via est tota agendi vivendique ratio; huius itaque *fructus*, proventus consecutiones experientur abundanter : *et suis consiliis saturabuntur*, malis scil. sequelis, quae ex eorum consiliis enatae sunt, abunde punientur; attende gradationem : comedere, saturari. Idque declaratur (nam hebr. v. 32) cum allusione ad v. 22 *aversio parvulorum* i. e. quia simplices se avertunt a Sapientia, haec abalienatio *interficiet eos*, afferet ruinam, *et prosperitas stultorum*, securitas illa superba, qua stulti spernunt cognitionem, *perdet illos*.

Plane alia est sors eorum qui obediunt Sapientiae. Minis itaque et poenis propositis concluditur repetita invitatione Sapientiae, qua scil. exhibetur, quanta bona discipulum Sapientiae consequantur v. 33 *qui autem me audierit,* mihi obedit, habitabit confidenter et quietus (erit) a timore malo (hebr.); pace, securitate, prosperitate fruetur.

Ulterius explicatur, quanta bona studio Sapientiae afferantur. Nam si quis serio ac diligenter Sapientiam quaesierit, consequetur pietatem et Dei cognitionem (v. 1-5). Dominus enim largitur illa bona et singulari cura custodit iustos (v. 6-8). Tum homo quoque cognoscet normam iusti et recti; nam horum cognitio occupabit cor eius eumque servabit tum a periculis et seductionibus pessimisque exemplis impiorum virorum (v. 9-15), tum ab illecebris adulterae, quae amasios perditioni mancipat (v. 16-19), simulque eum docet rectam vivendi rationem, in qua habetur stabilis prosperitas, cuius impii plane expertes sunt (v. 20-22). — Habetur quaedam conformitas dictionis : v. 1-4 protasis, v. 5 apodosis, cui v. 6-8 adiungitur confirmatio (quia, כי), quae simul est quasi protasis ad v. 9 *tunc intelliges* (uti v. 5) cui denuo subditur confirmatio (v. 10 כי, quia, G γάρ); tria bona conferuntur, quae in hebr. eadem particula inducuntur ל v. 12. 16. 20.

2, 1. *Fili mi, si susceperis sermones meos | et mandata mea absconderis penes te,* 2. *ut audiat sapientiam auris tua, | inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam,* 3. *si enim sapientiam invocaveris | et inclinaveris cor tuum prudentiae,* 4. *si quaesieris eam quasi pecuniam | et sicut thesauros effoderis illam,* 5. *tunc intelliges timorem Domini, | et scientiam Dei invenies.*

Postquam capite primo Sapientia locuta est, hic magister Sapientiae, Sapiens, verba facit; unde *fili mi;* ardens sapientiae desiderium et studium describitur iucunda quadam et apta gradatione; *suscipere sermones,* maius est *mandata abscondere,* bene conservare, apud te, S in corde tuo; dein v. 2 attente illa audire et inclinare cor; *inclina* i. e. ut inclines, sicuti scribitur *ut audiat*; etiam hic deprehenditur gradatio : *auris*, sensus externus, *cor*, intellectus, voluntas, totius hominis facultates et tota vis sensus et appetitus exseri debent ad consequendam sapientiam et veram intelligentiam. Et in v. 3 hebr. imo, si advocaveris (clamore ad te invitaveris) perspicientiam et ad intelligentiam elevaveris vocem tuam hebr.; habetur gradatio in כי אם; studium et desiderium ulterius designatur ope vocis, clamoris; iam vides omnes hominis vires assumi in ministerium, quo ardens desiderium sapientiae exprimatur. Demum quanta sedulitate et aviditate quaerenda sit, comparatione declaratur v. 4 *si quaesieris eam* ut argentum (hebr.) *quasi pecuniam* et cum gradatione *et sicut thesauros* scrutatus eam fueris (hebr.), tanto cum fervore et ea patientia

et perseverantia qua uti solent qui thesauros indagare et eruere student. Huius autem studii fructus eximius acquiretur v. 5 *tunc* cum emphasi, hisce conditionibus impletis (*si* v. 1. 3. 4) *intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies,* toto animo apprehendes quantum momentum positum sit in cultu ac pietate Dei, cuius praeclaram cognitionem assequeris. Studium itaque sapientiae te adducet ad sinceram pietatem, ad religiosum cultum, ad cognitionem Dei, qua totius vitae rationes bene disponantur (S, scientiam a Deo).

Subditur confirmatio : nam Deus haec bona largitur, singulari cura protegens iustos.

6. *Quia Dominus dat sapientiam,* | *et ex ore eius prudentia et scientia;* 7. *custodiet rectorum salutem,* | *et proteget gradientes simpliciter,* 8. *servans semitas iustitiae,* | *et vias sanctorum custodiens.* 9. *Tunc intelliges iustitiam et iudicium,* | *et aequitatem et omnem semitam bonam.*

Qui sincero studio sapientiam quaesierit, ad cognitionem Dei perveniet (v. 5), nam ipse *Deus dat sapientiam,* et omnis prudentia et scientia est *ex ore eius,* ab eo, non habet aliam originem neque alium fontem aut causam, quam Deum, ex quo cuncta sunt et a quo cuncta dependent; cf. Sap. 7,25 sapientia emanatio est quaedam claritatis Dei sincera. Insuper pertinet ad laudem et commendationem studii sapientiae, quod Deus peculiari cura conservat rectis opem, salutem, scutum est ambulantibus perfecte (hebr.), qui vitam degunt integram moribus v. 7, et quatenus praeparet et conservet opem et scutum sit et firma protectio, declaratur hebr. v. 8 לִנְצֹר, ut servet semitas iudicii, rectae normae, et viam piorum custodiat. « Protegit itaque Deus iustos, ut inter tot errandi et labendi praecipitia teneant firmiter semitas iustitiae, ut per eas iugiter incedant; igitur viam piorum dirigit et perducit ad metam » (*Lap.*). Uti in v. 5, infertur ex antecedentibus conclusio iisdem verbis v. 9 *tunc intelliges* omnem normam iusti et recti et ingenui (aequi); ea scil. notione intelligendi, uti in v. 5; neque enim est intelligentia sterilis, verum magna quaedam existimatio, amor, observantia, exercitatio. Quod enim ita in intelligentia clare percipitur, suam quoque vim exserit in voluntatem, affectum, actionem.

Adiungitur, uti in v. 6, confirmatio; nam in hebr. כִּי *quia.*

10. *Si intraverit sapientia cor tuum,* | *et scientia animae tuae placuerit,* 11. *consilium custodiet te,* | *et prudentia servabit te,* 12. *ut eruaris a via mala,* | *et ab homine qui perversa loquitur,* 13. *qui relinquunt iter rectum,* | *et ambulant per vias tenebrosas,* 14. *qui laetantur cum malefecerint,* | *et exsultant in rebus pessimis* 15. *quorum viae perversae sunt,* | *et infames gressus eorum.*

Dictum est v. 9 omnem semitam bonam (boni) intrabis; affertur ratio : nam (hebr.) *sapientia intrabit cor tuum*, cor apud Hebraeos intellectum et voluntatem et affectum complectitur; describitur itaque homo, cuius tota mentis, voluntatis actio regatur et imbuatur sapientia et qui in cognitione vera (cf. v. 5) sibi complacet, cui gratum et acceptum est (hebr. נעם) vera cognoscere; ita bene disponitur homo ad terendam semitam boni. Ulterius accedit v. 11 *consilium* i. e. deliberatio, consideratio, sollertia (ita fere hebr.) *custodiet te* vigilabit super te, ne incaute incedas vel quidquam agas, *et prudentia*, clara quaedam intelligentia *servabit te*; hoc modo magis describitur et explicatur v. 10.

Et quaenam sit haec custodia et haec servatio (v. 10-11) explicatur triplici modo v. 12. 16. 20 (hebr. ל) v. 12 ut eruat te (sapientia) hebr., *a via mala* hebr. a via mali, vel etiam a via mali viri, quae via in altero membro clarius vel uno exemplo declaratur, *ab homine qui perversa loquitur*; qui eiusmodi sit, etiam describitur 6,14; 8,13; 10,31. 32; 28,30 seq. Et quia hoc loco *vir* non unum aliquem denotat, sed totam turmam (categoriam) perversorum, pergitur in plurali v. 13 *qui relinquunt iter rectum,* semitas rectitudinis ad ambulandum in viis tenebrarum (hebr.), ἐν ὁδοῖς σκότους; quibus scil. non ad lucem (prosperitatem) sed ad tenebras, miserias scil. et ruinam pervenitur; ita tenebrae dicuntur, cf. Ps. 34,6. Iob 12,25; 15,22; 30,26. 1 Sam. 2,9 etc. et quinam eiusmodi sint, exponitur in v. 14 gradatione duplice : *qui laetantur* facere malum, imo *exsultant* in perversitatibus mali (hebr.), ergo in summa quadam malitia. Nonnulli delent *mali* רע ut pleonasmum ex 14 a transsumptum (cf. G, S, *MK*); v. 15 *quorum viae perversae sunt*, hebr. potius : qui quoad vias suas perversi, depravati et devii (declinantes, peccatores) sunt in semitis suis (orbitis suis), i. e. quorum tota vitae ratio et dispositio pessima est. G καὶ καμπύλαι αἱ τροχιαὶ αὐτῶν; similiter S vulg., quare illud ב *in* semitis non legerunt, quod utique melius omittitur; legerunt illud *Aq.* καὶ θρυλοῦσιν ἐν καμπαῖς αὐτῶν, et *Sym.* καὶ μυκτερίζουσιν ἐν τοῖς ἐπικυλισμοῖς αὐτῶν.

Uti pericula imminent a pravitate virorum, ita fere maiora, utpote blandiora a perversitate et luxuria muliebri :

16. *Ut eruaris a muliere aliena* | *et ab extranea quae mollit sermones suos,* 17. *(et) relinquit ducem pubertatis suae,* | *et pacti Dei sui oblita est;* 18. *inclinata est enim ad mortem domus eius,* | *et ad inferos semitae ipsius,* 19. *omnes qui ingrediuntur ad eam non revertentur,* | *nec apprehendent semitas vitae.*

Uti in v. 12, ita hic hebr. ut eruat te (S, sapientia; cf. v. 10. 11) *a*

muliere aliena, ab insidiis eius quae non est uxor tua, (*et*) *ab extranea*, peregrina; num intelligitur mulier non israelita, meretrix alienigena? sed ex subsequentibus describitur, ut adultera (sicut 7,3 quoque), quae blanditiis et lenociniis verborum utitur ad incautos seducendos; duplice designatione notatur adultera (*Lap.* et recentiorum plerique), non sine emphasi tamquam ea quae plane esse debet tibi aliena, extranea, longe remota. Et malitia adulterii describitur v. 17 ex duplici capite, ut iniuria in virum, et periurium in Deum; nam *relinquit* amicum familiarem iuventutis suae (hebr.), cui in iuvenili aetate tamquam marito dilecto nupsit; pactum Dei est lex a Deo statuta : non moechaberis (Ex. 20,14) et ex Mal. 2,14 Deus testis est cum matrimonium ineatur, est testis et vindex foederis istius sacri — qui matrimonium init, eo ipso promittit ac spondet fidelitatem et Deo obedientiam (cf. Gen. 31,49. 50. Tob. 7,15). Unde adulterium est violatio foederis cum Deo initi.

Quam merito dictum sit : ut te eruat v. 16, declaratur ex periculo gravissimo v. 18 *inclinata est enim ad mortem domus eius,* G ἔθετο γὰρ παρὰ τῷ θανάτῳ τὸν οἶκον αὐτῆς, adulterium crimen est morte puniendum (cf. Lev. 20,10. Deut. 22,22; Ez. 16,38. 40. Ioan. 8,5) et ad רפאים mortuos (qui in scheol sunt) semitae eius ducunt. Censetur enim Deus punire peccatores morte praematura. Idque repetito asseritur in v. 19 *omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur*, cum adultera peribunt, *nec apprehendent semitas vitae;* nullam vitae partem habebunt; minus dicitur, plus intelligitur. Bickell delet *omnes.* G hanc partem non de muliere aliena effert, sed habet in v. 16 τοῦ μακράν σε ποιῆσαι ἀπὸ ὁδοῦ εὐθείας καὶ ἀλλότριον τῆς δικαίας γνώμης, μή σε καταλάβῃ κακὴ βουλή — sed de muliere cum hebr. sermo est apud S, *Sym.*

Tertium quod sapientia suis praebet discipulis est stabilis prosperitas et rectitudo :

20. *Ut ambules in via bona* | *et calles iustorum custodias.* 22. *Qui enim recti sunt, habitabunt in terra,* | *et simplices permanebunt in ea;* 22. *impii vero de terra perdentur,* | *et qui inique agunt, auferentur ex ea.*

Sapientia te servat a seductione propositis quoque poenis, eo scil. *ut ambules in via* bonorum (hebr.), ut proborum mores vitamque aemuleris *et calles iustorum custodias*, ut in omnibus normam iusti et recti observans vitam exhibeas iustitiae laude insignem. Ita enim vera potieris prosperitate v. 21 : *recti,* probi, *habitabunt in terra*, cf. Ps. 36,9. 22. 29; Ex. 20,12; id enim iustis promissum Deut. 5,16, *et simplices*, viri moribus integri (hebr.) relinquentur in ea (hebr.). Alia ac plane diversa est sors impiorum v. 22 : *impii autem de terra* exstir-

pabuntur et perfidos evellent ex ea (hebr.); i. e. evellentur perfidi, foedifragi. Cum terra palaestinensis esset terra Iahve quam populo tamquam suis colonis concessit, in ea habitare idem est ac cum Deo familiariter conversari, eius frui benedictione et bonis; ex ea evelli vero dicit abiici ab eo, regno Dei et bonis plane excidere. De populo Israel et de Ecclesia *Rabanus* explicat.

Caput tertium ipsa allocutione *fili mi* in tres partes dividitur : 1-10. 11-20. 21-35. Magister sapientiae prius varias proponit admonitiones, easque ita commendat ut singulis adiungat quaenam benedictio et merces earum observatione acquiratur. Suaviter itaque et efficaciter obedientiam discipuli studiumque sapientiae urget et probitatem vitae inculcat.

3, 1. *Fili mi, ne obliviscaris legis meae,* | *et praecepta mea cor tuum custodiat;* 2. *longitudinem enim dierum et annos vitae* | *et pacem apponent tibi.* 3. *Misericordia et veritas te non deserant,* | *circumda eas gutturi tuo* | *et describe in tabulis cordis tui,* 4. *et invenies gratiam et disciplinam bonam* | *coram Deo et hominibus.* 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo,* | *et ne innitaris prudentiae tuae;* 6. *in omnibus viis tuis cogita illum,* | *et ipse diriget gressus tuos;* 7. *ne sis sapiens apud temetipsum,* | *time Deum et recede a malo;* 8. *sanitas quippe erit umbilico tuo,* | *et irrigatio ossium tuorum.* 9. *Honora Dominum de tua substantia* | *et de primitiis omnium frugum tuarum da ei,* 10. *et implebuntur horrea tua saturitate,* | *et vino torcularia tua redundabunt.*

Primum monitum ponitur cum mercede consequente v. 1. 2; observatione praeceptorum acquiretur longa vita in pace ac prosperitate producenda. Contrarium de eorum negligentia modo erat expositum 2,18-19. 22. Repetitur promissio Ex. 20,12 data. Secundum monitum commendat benignitatem (benevolentiam) et fidelitatem; ita intellige ex hebr. v. 3 haec duo *te non deserant,* haec continuo te comitentur; hisce te tamquam torque orna : *circumda eas gutturi tuo* : cf. 1,9; hic sit ornatus tuus, et additur stichus tertius : *describe in tabulis cordis tui* qui stichus abundat et glossa videtur ex 7,3; nec G habet, unde eum in hebr. dele, uti eum merito omittunt *Bickell, M K,* alii. Et si quis benignum et fidum se exhibet, is sane inveniet *gratiam,* favorem *et disciplinam bonam,* hebr. intellectum bonum in oculis Dei et hominis. Haec erit merces eius, ut Deo et hominibus sit gratus et acceptus et magni aestimetur utpote habens bonam animi mentisque dispositionem. Tertium monitum v. 5 agit de fiducia in Deum et de diffidentia sui ipsius : *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*; fide Deo ex toto corde; firma fide et viva spe amplectere divinam providentiam; tum habebis securam fiduciam in omnibus rerum casibus; et tuae intelligentiae *ne innitaris,* aliorum consilia exquire;

et ad Deum in cunctis habe recursum, uti in v. 6 adiungitur *in omnibus viis tuis,* in totius vitae rebus ac dispositione, *cogita illum,* hebr. cognosce, scito eum i. e. ob oculos eum habens cole et reverere eum mandatis eius obsequens; hoc enim est vere : scire Deum mente et opere. Sequitur benedictio et merces : *et ipse diriget gressus tuos,* hebr. et ipse complanabit semitas tuas, difficultates et impedimenta removebit, ita ut quasi in via strata plana per vitae annos tuto ac facile incedas.

Quartum monitum effert, ut quis de se modeste sentiens pietati operam det v. 7 *ne sis sapiens apud temetipsum*, hebr. in oculis tuis, ne videaris tibi prae aliis sapere (*Lap.*); eiusmodi tumorem vel praesumptionem cohibet timor Dei : *time Deum et recede a malo,* in hoc utroque consistit vera pietas, εὐσέβεια, cf. 16,6; Ps. 33,10. 15; Job 28,28, scil. Deum colere et mandata eius observare; cf. Eccl. 12,13. Additur merces v. 8 *sanitas erit umbilico tuo,* G τῷ σώματί σου, item S, et ita sat multi hebr emendant (cf. *Bickell, MK*) sanatio, vigor et robur erit carni tuae (בשר, שאר). Alias quoque caro et ossa iuxta ponuntur; cf. 14,30. Attamen mutatione opus vix est; lectioni hebr. accedit targum, et cum umbilicus fere consideretur tamquam centrum corporis, potest intelligi metaphora partis pro toto; *et irrigatio ossium tuorum* (G ἐπιμέλεια, *Aq.* ποτισμός, *Sym.* πιότης, *Theod.* καταβροχή) ossa sicca symbolum sunt tristitiae et miseriae (17,22); unde irrigatio ossium designat vires et robur, optimam valetudinem. Uti in poenam peccatorum pessimi morbi populo proponuntur (Lev. 26,25. Deut. 28,21. 22. 27), ita praemium virtutis dicitur inter alia bona valetudo. Quintum monitum commendat oblationes Deo ex lege faciendas v. 9 *honora Dominum de tua substantia* de parte opum tuarum, decimas solvendo, vota persolvendo, sacrificia voluntaria offerendo (Lev. 7,16; 22,21; 23,38. Num. 15,3; 29,39), *et de primitiis omnium frugum tuarum*, omnis proventus tui; de primitiis etiam pars aliqua Domino offerebatur; cf. Ex. 22,29; 23,19; 34,26. Lev. 23,17. Num. 18,11. Deut. 18,4; 26,2. Quo animo haec sint praestanda, declaratur voce *honora.* Sequitur merces v. 10 horrea, et torcularia tua implebuntur; benedictio itaque habebitur in abundantia messis, in copia frumenti et vini; cf. 24,4. Joel 2,24; ita enim lege promissum est Lev. 26,3-5. Deut. 28,8. Pro *saturitate* שבע emenda hebr. ex G שבר frumento.

In altera parte v. 11-20 quae pariter decem versibus constituitur, primo docetur castigationem infligi a Domino *diligente*; beatus est, qui ita eruditur ad sapientiam, cuius deinceps encomia et fructus praedicantur.

11. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias,* | *nec deficias, cum ab eo corriperis;* 12. *quem enim diligit Dominus, corripit,* | *et quasi pater in filio complacet sibi.* 13. *Beatus homo qui invenit sapientiam,* | *et qui affluit prudentia;* 14. *melior est acquisitio eius negotiatione argenti* | *et auri primi et purissimi fructus eius;* 15. *pretiosior est cunctis opibus,* | *et omnia quae desiderantur huic non valent comparari;* 16. *longitudo dierum in dextera eius,* | *et in sinistra illius divitiae et gloria;* 17. *viae eius viae pulchrae,* | *et omnes semitae illius pacificae;* 18. *lignum vitae est his qui apprehenderint eam,* | *et qui tenuerit eam beatus;* 19. *Dominus sapientia fundavit terram,* | *stabilivit coelos prudentia;* 20. *sapientia illius eruperunt abyssi,* | *et nubes rore concrescunt.*

Tamquam praemium virtutis proposita erat multiplex prosperitas (3,2. 4. 6. 8. 10). Nunc autem Sapiens docet, minime sequi omnem afflictionem poenam esse seu indicium et documentum vitae nefariae; verum castigationem procedere a Deo qui vere suos diligat. Praestatur itaque piis magna in rebus adversis consolatio; v. 11 correptionem Domini, fili mi, ne spernas, neve taedio afficiaris de eius castigatione, ita hebr.; patientia commendatur; iubetur longe a se removere omnem indignationis affectum. Et ratio efficax redditur v. 12 *quem enim diligit Dominus corripit* hebr. arguit, ἐλέγχει (increpat, obiurgat) et sicut pater filium (corripit, quem) amat; cf. Job 5,17 et cumprimis doctrinam compara ab Eliu propositam Job 33,16-19. 29. 30, nam G et syr. hexapl. legunt verbum μαστιγοῖ, et ita lege hebr. pro כאב scribe יַכְאִב : et castigat filium quem amat, scil. esse poenas medicinales, ad emendationem immissas « ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet luce viventium », ut praeservet ab interitu; ut aditus pandatur maiori beneficio divino; Deus affectu paterno coercet hominem, ut pater qui filium, quem diligit, erudit, punit, ne pessumdetur. Qui vero eo modo cohibetur et eruditur, praedicandus est v. 13 *beatus,* nam tali correptione revera *invenit sapientiam,* acquirit mores bonos, modum vivendi et agendi sapientiae congruum, et veram *consequitur intelligentiam* (hebr.). Atque eum merito praedicari beatum, elucet ex summa aestimatione in qua habenda sit sapientia; est scil. longe anteferenda thesauris argenti et auri v. 14 *melior est acquisitio eius negotiatione* (acquisitione hebr.) *argenti* et prae auro primo proventus eius (hebr.); longe melius est possidere sapientiam quam habere thesauros; et similiter non sine quadam gradatione v. 15 *pretiosior est cunctis opibus,* margaritis (coralliis, hebr.) et cunctae res pretiosae non ei adaequantur (suffixum *tuae* hebr. bene omittunt G, S, vulg. *Bickell, M K*) cf. 8,10-11; Job 28,15-19. Sap. 7,9. Ps. 18,11; 118,72.

Cur autem tanti aestimanda sit atque adeo pretiosa sapientia, declaratur ex eius effectibus, fructibus, donis v. 16 *longitudo dierum*

in dextera eius et in sinistra illius divitiae et gloria, longa enim vita promittitur pietati (Ex. 20,12. Is. 65,22); sapientia et benedictione divina acquiruntur opes quoque et honor, bona fama (cf. 8,18). Vita tamquam bonum excellentius reponitur in manu dextera, quae censetur potior ac dignior; observantibus legem proponuntur praemia: ubertas et fertilitas terrae, abundantia frugum, greges numerosi, honor et terror gentium (cf. Lev. 26,3-13. Deut. 28,3-13). Insuper duce sapientia vivitur laete et iucunde et in pacis prosperitate v. 17 *viae eius,* per quas sapientia discipulos ducit, *viae pulchrae* viae delectationis (hebr.) *et omnes semitae illius* pax. Unde merito vocatur arbor vitae : v. 18 *lignum vitae est his qui apprehenderint eam;* nam tribuit longam vitam (v. 16; 11,30) iis qui fructibus et effectibus eius potiuntur; demum uno verbo omnia complectuntur : *et qui tenuerit eam, beatus;* beatitudo autem est bonorum omnium copia et perfectio.

Summa autem sapientiae laus in eo consistit, quod quidquid sapientiae reperitur participatio quaedam est quasi emanatio sapientiae divinae qui est ipse Deus. Hoc attributum divinum homini innotescit in opere creationis sapientissime ordinato v. 19 *Dominus sapientia fundavit terram*; cf. 8,22 seq. Eccli. 24,5 seq. *stabilivit coelos prudentia*, summa quaedam intelligentia in dispositione coelorum cernitur; terra et coelis designatur universa creatura; eadem sapientia manifestatur in profundo mari et in altis nubibus : v. 20 *sapientia eius*, in eius scientia *eruperunt abyssi,* congeries aquarum, et nubes stillant rorem (hebr.); eadem scientia et maxima quaeque (maria) et minima (ros) ordinata sunt et ad ordinem et conservationem rerum conspirant.

In tertia parte, quae 15 versibus constat, prius admonetur discipulus, ut magni faciat praecepta tradita; tum fore vitam felicem, securam (v. 21-26); dein quinque commendantur quibus commercium cum aliis bene regatur (v. 27-31), quae monita confirmantur exposita ratione qua Deus agere solet cum bonis et perversis (v. 32-35).

21. *Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis | custodi legem atque consilium;* 22. *et erit vita animae tuae | et gratia faucibus tuis;* 23. *tunc ambulabis fiducialiter in via tua, | et pes tuus non impinget;* 24. *si dormieris, non timebis, | quiesces et suavis erit somnus tuus,* 25. *ne paveas repentino terrore, | et irruentes tibi potentias impiorum;* 26. *Dominus enim erit in latere tuo, | et custodiet pedem tuum, ne capiaris.*

27. *Noli prohibere benefacere eum qui potest, | si vales et ipse benefac;* 28. *ne dicas amico tuo: vade et revertere, | cras tibi dabo, cum statim possis dare;* 29. *ne moliaris amico tuo malum, | cum ille in te habeat fiduciam;* 30. *ne contendas adversus hominem frustra, | cum ipse tibi nihil mali fecerit;* 31. *ne aemuleris hominem iniustum, | nec imiteris vias eius;* 32. *quia abominatio Domini est omnis illusor, | et cum*

simplicibus sermocinatio eius; 33. egestas a Domino in domo impii, | habitacula autem iustorum benedicentur; 34. ipse deludet illusores, | et mansuetis dabit gratiam; 35. gloriam sapientes possidebunt, | stultorum exaltatio ignominia.

Redit Sapiens ad tradenda monita (3,1); et primo quidem generatim monet v. 21 ne haec recedant ab oculis, scil. ut continuo habeantur ob oculos; *haec* refer ad totum a 3,1 (vel saltem a v. 11); serva תושיה cf. 2,7 salutem (alii hic explicant prudentiam vel circumspectionem) et מזמה cf. 1,4; 2,11 sollertiam, considerationem. Quae si servaverit, v. 22 dabitur ei *vita,* felicitas et prosperitas, vita scil. beata et *gratia* gutturi tuo; cf. 1,9; addetur ornatus, ut apud alios honoratus et speciosus appareas. Si itaque custodieris praecepta, v. 23 *tunc* secure negotia tua geres, *pes non impinget,* nusquam offendes nec corrues; obstacula facile removebis sine ullo tuo damno; liber eris v. 24 ab anxietate; suaviter quiesces; somnus tuus carebit terriculis somniorum; cf. 6,22; imo si qua calamitas ingruere videtur, Deo protegente salvus evades; ita v. 25. 26; *ne paveas* i. e. non opus est ut paveas, noli timere terrorem repentinum; etsi terror repentinus ingruere videtur, ne timeas; neve paveas a tempestate impiorum cum veniat (hebr.). Cur non sit formidandum, v. 26 *Dominus enim erit in latere tuo,* erit fiducia tua (hebr.), S erit tecum, G ἔσται ἐπὶ πασῶν ὁδῶν σου (מסלה; hebr. כסל cf. Job 8,14; 31,24. Ps. 78,7); cum כסל ilium quoque designet (Lev. 3,4. Ps. 38,8. Job 15,27), explicatur vulg. *in latere tuo,* tibi proxime adest ad tuam protectionem, *et custodiet pedem tuum* a laqueo, *a captura* (hebr.), scil. *ne capiaris,* si contra te irruit potentia impiorum (cf. v. 25 vulg.) vel potius : tu manebis immunis, etsi tempestas et poena irruet contra impios (cf. v. 25 hebr.).

Sequuntur quinque prohibitiones, hebr. incipiunt אל *ne,* quibus consuetudo seu modus agendi cum aliis regatur. Et primo prohibetur, ne quidquam boni recusetur indigenti dummodo possit praestari; ita hebr. ne retineas bonum a domino suo (scil. cui debetur) i. e. ab indigente, uti G μὴ ἀπόσχῃ εὖ ποιεῖν ἐνδεῆ, si potes facere; sensum parumper diversum exhibet versio latina. Secundo prohibetur v. 28, ne differas praestare beneficium : ne dicas proximo : vade et revertere, cras dabo, et est tecum (hebr.), uti bene habet vulg. *cum statim possis dare,* bis enim dat qui cito dat. Varia ad rem affert *Lap.,* inter alia ab Ausonio : gratia quae tarda est ingrata est; quae fieri properat, gratia grata magis. Tertio prohibetur v. 29 *ne moliaris amico tuo,* proximo tuo, *malum,* dum ille fiducialiter tecum habitat (hebr.), Eccli. 7,12 pariter adhibetur verbum חרש et G μὴ ἀροτρία ψεῦδος ἐπ' ἀδελφῷ σου, vulg. noli arare mendacium adversus fratrem tuum. Quarto prohibetur ne iurgio contendas cum quopiam sine causa v. 30

ne contendas (litiges) *adversus hominem frustra* i. e. sine causa, temere; et declaratur illud *frustra : cum ipse tibi nihil mali fecerit;* proin nulla est rixae vel iurgii causa seu ratio. Quinto prohibetur invidia v. 31 *ne aemuleris hominem iniustum,* ne invideas viro violentiae, *nec imiteris* (neve eligas, tibi complaceas, hebr.) *vias eius,* scil. ut simili modo, sicut ille, scil. vi et oppressione tibi acquiras auctoritatem, opes, dignitates, quibus ille pollet et hominum invidiam provocat.

Verum minime tali homini esse invidendum, patet v. 32 *quia abominatio Domini est omnis illusor,* perversus, devius (hebr. cf. 2,15), qui a via recta declinat; poterit itaque sententia haec referri ad inculcanda quinque illa monita (v. 27-31); Domino autem acceptus est vir moribus integer : cum rectis secretum eius (hebr.); his familiariter utitur; quare alii statim vertunt : cum rectis familiaritas eius; unde explicatur vulg. *sermocinatio eius;* cf. Ps. 25,14 (hebr.); Iob 19,19. Simili oppositione dicitur in v. 33 maledictum Iahve in domo impii et habitationi iustorum benedicit (hebr.); maledictum explicat vulg. in privatione bonorum : *egestas a Domino in domo impii, habitacula autem iustorum benedicentur,* bonis abundabunt; cf. Lev. 26, 4. 5; Deut. 28, 4. 8. 11. 12. Est altera quaedam confirmatio antecedentium, ita ut illud *quia* ex v. 32 facile suppleatur. Sequitur tertia v. 34 *ipse deludet illusores*, deridebit derisores, cf. 1,26; Ps. 17,27 cum perverso perverteris; hebr. legitur : si ad derisores, ipse deridebit, *et mansuetis dabit gratiam;* hebr. אם si non bene congruit; *Frank.* explicat : si agitur de irrisoribus, deridet; *Wildeb.* emendat עם cum derisoribus, *Bickell* delet v. 34. G Κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται (S quoque non habet *si* hebr., quod utique cum vulg. delendum erit). Dicuntur *mansueti* qui patienter ferunt iniurias; animo demisso se Deo subdunt. Concluditur quarta sententia v. 35 *gloriam sapientes possidebunt,* hereditabunt, *stultorum exaltatio ignominia* i. e. stultorum superbia et exaltatio vertetur in ignominiam; S : stulti accipiunt ignominiam; *Bickell* emendat secundum G : οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὕψωσαν ἀτιμίαν (מרמי), *Wild.* corrigit ex Os. 4,7 honor stultorum in ignominiam vertetur. Textus hebr. ut iacet difficile intelligitur כסילים מרים קלון quid מרים? aliqui explicant part. hiphil : asportantes? at cur singularis numerus? alii formam ad מור referunt; sed de permutatione non est sermo; et pariter obstat numerus singularis, nisi cum grammaticis dicere vis pluralem hic intelligi explicite de unoquoque stulto, ideoque participium posse in singulari poni (cf. Gen. 49,22. Num. 24,9, sicut modo hebr. habuimus 3,18 תמכיה מאשר tenentes eam-beatus). Sensus planus est : sapientes acquirunt honorem; nam

vere sapientes probi sunt, modesti, prudentes; unde facile animos sibi conciliant et favorem principum et nobilium nanciscuntur; stulti vero pro suo stulto et improbo modo agendi alios offendunt, evadunt molesti, asportant ignominiam. Ita Iansenius quoque hebr. explicant, stulti pro sua portione auferunt ignominiam.

Concluditur itaque tota haec admonitio descriptione repetita, quanta sit contrarietas et oppositio inter sortes bonorum et malorum, simili modo sicut concludebantur sermones 1,32 seq. et 2,21. 22.

Ipso textu tradito in cap. 4 tres distinguuntur partes, allocutione filii v. 1. fili mi v. 10 et v. 20 designatae. In prima parte admonet Sapiens discipulos, ut attente audiant doctrinam (v. 1. 2); admonitionem suo olim pueri exemplo fulcit narrans, quomodo a patre edoctus sit serio appetere et acquirere sapientiam, quae secum afferat summum quendam ornatum (v. 3-9). Ipse itaque Sapiens aetate venerabilis et felicitate vitae et auctoritate commendatus in se exhibet discipulis praemium sapientiae et incitamentum. Adiectis cum Bickell duobus verbis in v. 5 facile efficiuntur versus 10; idem numerus habetur commode quoque, si cum S ad v. 4 additur stichus qui etiam 7,2 legitur.

4,1. Audite filii disciplinam patris, | et attendite ut sciatis prudentiam, 2. donum bonum tribuam vobis, | legem meam ne derelinquatis. 3. Nam et ego filius fui patris mei, | tenellus et unigenitus coram matre mea. 4. Et docebat me atque dicebat : | suscipiat verba mea cor tuum, | custodi praecepta mea et vives; | v. 5. *posside sapientiam, posside prudentiam, | ne obliviscaris neque declines | a verbis oris mei! 6. Ne dimittas eam, et custodiet te, | dilige eam et conservabit te; 7. principium sapientiae : posside sapientiam, | et in omni possessione tua acquire prudentiam; 8. arripe illam et exaltabit te, | glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus; 9. dabit capiti tuo augmenta gratiarum, | et corona inclyta proteget te.*

Bene vertit Vatablus : audite castigationem *paternam* i. e. disciplinam animo paterno vobis traditam, quare ponitur singularis אב, quamvis allocutio fiat ad discipulos; audire, attendere effertur gradatione quadam, quae etiam adverti potest inter disciplinam et intelligentiam (hebr.). Cur oporteat attendere, effertur hebr. v. 2 nam doctrinam bonam do vobis, *legem meam,* institutionem meam *ne derelinquatis.* Suo docet exemplo v. 3; in tenera aetate me docuit pater, G υἱὸς ἐγενόμην κἀγὼ πατρὶ ὑπήκοος, *unicus* G uti saepius ἀγαπώμενος, *coram matre mea,* ea igitur aetate qua adhuc potissimum curae matris erat traditus utpote *tenellus;* simul monet quanti sit momenti a prima pueritia edoceri; eo magis decet iuvenes serio perpendere verba Sapientis. Patris sui doctrinam refert v. 4 firmiter teneat *verba mea cor tuum,* mente, animo ea retine firmiter; hoc a se esse prae-

stitum, ipsa repetitione verborum patris ostendit. Adnectitur promissio vel laetus fructus : si custodieris praecepta mea, *vives* scil. beate et diu; S additur alter stichus ex 7,2 : et legem meam quasi pupillam oculi tui; videtur additus ad commendandam summam curam in custodienda doctrina. Ut igitur beate vivas, v. 5 *posside,* hebr. acquire *sapientiam,* acquire intelligentiam; hanc autem Sapiens docet; quare monet : *ne obliviscaris* (supplet Bickell : institutionem labiorum meorum) *neque declines a verbis oris mei,* ne te avertas, noli recedere a mea doctrina. Admonitioni additur promissio et effectus praeclarus v. 6 *ne dimittas eam,* sapientiam v. 5, *et custodiet te,* et cum gradatione : *dilige eam et conservabit te,* vives scil. beatus et securus; iam sapientia per prosopopoeiam exhibetur.

Sed quomodo pertingitur ad possidendam sapientiam? Respondet Sapiens v. 7 *principium sapientiae,* initium sapientiae est : acquire sapientiam et *in* i. e. pro *omni possessione tua acquire prudentiam,* intelligentiam. Ergo omni studio appetere sapientiam initium sapientiae est; et ipsa tanti est aestimanda, ut pro eius comparatione opes omnes expendendae sint; cf. Matth. 13,46; inventa una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quae habuit et emit eam[1]. Ne cuncteris tibi eam comparare; nam v. 8 *arripe illam,* hebr. (probabilius) attolle eam *et exaltabit te;* si tu eam magni feceris, ipsa te magnum et auctoritate pollentem efficiet, G περιχαράκωσον αὐτήν id quod minus congruit, *Aq.* ἀντίλαβε αὐτήν, id videtur exprimere Hieronymus; *Sym.* βάσταζε αὐτήν, S ama eam (fortasse quia sequitur notio amplexus, vox סלל ita coniectura est expressa); altero membro cernitur duplex gradatio : *glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus,* si eam summa dilectione susceperis, praecellentem te ac honoratum reddet; cf. 3 Reg. 4,29-34; 10,7. Eccli. 44,7 : S invertit : amplectere eam, ut te honoret, aliter G τίμησον αὐτὴν ἵνα σε περιλάβῃ. Quid sapientia discipulis rependat, ulterius declaratur, fere ut 1,9 in v. 9 *dabit capiti tuo augmenta gratiarum,* sertum elegantiae et coronam decoris donabit tibi (hebr.); מגן cf. Gen. 14,20; *proteget* G ὑπερασπίσῃ derivatur a מגן scutum (S adiuvabit te, גנן?); verum coronam fore in scutum seu protectionem, videtur incongruum.

In altera parte admonitione repetita (v. 10) promittit Sapiens se monstraturum viam securam, carentem offendiculo; quam qui constanter tenuerit participem fore vitae (v. 11-13); fugiendum autem esse a semitis malorum (v. 14. 15); dein inter se opponitur progressus

1. Iste v. 7 deest in G; in syr. hexapl. asterisco signatur. Ceterum v. 6 et 8 bene inter se iunguntur.

malorum in malitia eorumque ruina et profectus ac felicitas iustorum (v. 16-19). Iterum decem versibus haec pars absolvitur.

10. *Audi fili mi, et suscipe verba mea, | ut multiplicentur tibi anni vitae;*
11. *viam sapientiae monstrabo tibi, | ducam te per semitas aequitatis;* 12. *quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, | et currens non habebis offendiculum;*
13. *tene disciplinam, ne dimittas eam, | custodi illam, quia ipsa est vita tua;* 14. *ne delecteris in semitis impiorum, | nec tibi placeat malorum via;* 15. *fuge ab ea, nec transeas per illam, | declina et desere eam;* 16. *non enim dormiunt, nisi malefecerint, | et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint;* 17. *comedunt panem impietatis, | et vinum iniquitatis bibunt;* 18. *iustorum autem semita, quasi lux splendens, | procedit et crescit usque ad perfectam diem;* 19. *via impiorum tenebrosa, | nesciunt, ubi corruant.*

Admonitio confirmatur consueta promissione de vita diuturna et felice; cf. 3,2. Ex. 20,12; Ps. 20,5 vitam petiit a te et tribuisti ei longitudinem dierum; vide Deut. 30,20; Ps. 22,6; 90,16 longitudine dierum replebo eum; Eccli 1,12; 23,38. Sapiens institutione sua *viam sapientiae,* 3,17; viam scil. suavem per quam sapientia suum ducit discipulum *monstrabo tibi, ducam te per semitas* rectitudinis (hebr.); quam planae et rectae sint hae semitae, describitur v. 12 in eundo non arctatur gressus tuus, libere gradieris; gressus arctatur via tortuosa, lapidibus obsita; in via plana magnis gressibus incedere licet; gradatio habetur in altero membro : et si curres, non offendes (hebr.). Duce itaque sapientia vitam ages beatam. Quare disciplinam et doctrinam sapientiae firmiter retine v. 13; ter id inculcatur, *quia ipsa est vita tua,* observatio doctrinae sapientiae est causa vitae longae et felicis; talem quippe mercedem exhibent promissa in vetere foedere facta. Quibus ut potiaris, opus est, ut a via impiorum i. e. a vitae ratione impiorum plane recedas; v. 14 in viam impiorum ne venias, neve incedas in semita malorum (hebr.), ab eorum consuetudine, moribus longe recede neve ineas cum iis familiaritatem, quasi eadem via pergens (incedens); aliter explicant אשר G μηδὲ ζηλώσῃς ὁδοὺς παρανόμων, item S, item *Aq. Theod.* μηδὲ μακαρίσῃς notione praedicandi beatum. E contra v. 15 *fuge ab ea, ne transeas per illam, declina* ab ea et transi (hebr.), ad aliam viam te confer; efferunt G S ubi castra posuerunt, ne eas illuc, unde legisse videntur מרעמו (*Lagarde*). Via impiorum derelinquatur oportet; nam qui in ea manet, in dies magis in malis insolescit; v. 16 *non enim dormiunt, nisi malefecerint,* iam non quietem capere possunt, nisi insigni facinore perpetrato; sine scelere diem perdidisse autumant; et cum aliqua gradatione *et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint,* nisi alios deiecerint, impingere et cadere fecerint; cf. 1,11. Imo tota eorum vita quasi

scelerum continua est catena; nam violentiis et iniquitate eorum vita sustentatur v. 17 *comedunt panem impietatis et vinum iniquitatis bibunt,* vinum violentiarum; vivunt ex iniquitatibus et rapinis; hisce quasi tota eorum vita constituitur; *Aq. Sym.* καὶ οἶνον ἀδικιῶν πίονται.

Plane diversa est iustorum vitae ratio v. 18; quae oppositio quam maxime effertur, si v. 19 prius ponimus *via impiorum tenebrosa,* sicut densa caligo (hebr.); non vident in quas se coniecturi sint calamitates et ruinas; non advertunt suam vitae rationem debere tandem pessime cedere *nesciunt, ubi corruant,* in quo corruant; derepente non cogitantibus superveniet pernicies. At v. 18 *iustorum autem semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem* hebr. procedens et lucens, i. e. semper crescens in splendore usque ad constitutum diem; solis splendor crescit ab ortu usque ad meridiem, quo quasi stare videtur aliquo tempore in summa luce — vita impiorum procedit ad densas tenebras et ad perniciem; iustorum vita ad maiorem lucis splendorem. Institutio sapientiae illuminat intellectum cognitione Dei, hac praelucente discipuli sapientiae a tenebris vitiorum sibi cavent et in luce vitam degunt, Dei favore in die magis fruuntur. Collocant v. 19. 18 *MK, Wild.*

In tertia parte iterum praemittitur pluribus verbis admonitio cum promissione (v. 20-22). Dein praecipitur custodia cordis (v. 23), quae custodia exercenda erit, ut neque lingua (ore) peccetur neque oculis oblique aspiciatur, verum ut in omnibus recta via teneatur, qua neque ad dextram neque ad sinistram declinetur (v. 24-27). Haec autem rectitudo a Domino donabitur cum pace (v. 27 G vulg.). Hoc additamento G ad textum massoreticum haec pars aptissime concluditur, vitatur abruptus ille modus qui in textu massoretico deprehenditur, acquiritur versuum numerus denarius, adeo consuetus in hoc libro. Quare iam Bertheau hos duos versus merito tuitus est; eruntque censendi genuini.

20. *Fili mi, ausculta sermones meos,* | *(et) ad eloquia mea inclina aurem tuam;* 21. *ne recedant ab oculis tuis,* | *custodi ea in medio cordis tui;* 22. *vita enim sunt invenientibus ea,* | *et universae carni sanitas.* 23. *Omni custodia serva cor tuum,* | *quia ex ipso vita procedit;* 24. *remove a te os pravum,* | *et detrahentia labia sint procul a te;* 25. *oculi tui recta videant,* | *et palpebrae tuae praecedant gressus tuos;* 26. *dirige semitam pedibus tuis,* | *et omnes viae tuae stabilientur;* 27. *ne declines ad dexteram, neque ad sinistram,* | *averte pedem tuum a malo;* | *vias enim quae a dextris sunt novit Dominus,* | *perversae vero sunt, quae a sinistris sunt;* | *ipse autem rectos faciet cursus tuos,* | *itinera autem tua in pace producet.*

Sensus externos (aures, oculos) et internos (cor i. e. mentem, affectum) sedulo oportet applicare et exercere, quo melius doctrina addis-

catur et retineatur (v. 20. 21). Illa enim praecepta v. 22 *vita sunt* cf. 3,2. 16; 4,13 cuivis qui ea sibi propria facit, et *universae carni,* toti corpori, sanatio; cf. 3,8; nam bona valetudo inter praemia virtutis recensetur, sicuti morbi pessimi inter poenas flagitiorum (Deut. 28,2. 6. 8. 11. 20. 22. 27 seq.). Praeceptum traditur v. 23 hebr. prae omni custodia i. e. prae quavis re quae custodienda est, *serva cor tuum,* diligentius ac fortius custodi cor tuum, quam custodias tuam domum, agros, thesauros etc. (*Lap.*) vel, ut *Calm.*, supra omnem custodiam; similiter recentiores; vel *omni custodia* (G, S, vulg.), omni qua fieri potest custodia; nam ex eo sunt exitus vitae (hebr.), a corde i. e. ab animo et voluntate procedit vera vita, quatenus mente et affectu praecepta retinentur, quibus vita beata Deoque grata efficitur. Iam ut cor purum servetur et a malo arceatur, praescribit Sapiens v. 24 remove abs te distortionem oris (hebr.), perversitatem sermonis, et pravitatem labiorum elonga a te (hebr.), sermones pravos, calumnias, detractiones, verba fraudulenta cave sedulo. Porro v. 25 *oculi tui recta videant*, non oblique, aspiciant directe antrorsum, in directum, *et palpebrae tuae* in directum nitantur ante te (hebr.); ne inquiete in omnem partem oculos coniicias, quod levitatis, inconstantiae, libidinis, malae curiositatis indicium esse solet; unde Eccli 9,7 noli circumspicere in vicis civitatis, 25,27 annuens oculo fabricat iniqua; aspectus rectus denotat sinceritatem animique candorem. Adnotat Iansenius: « quemadmodum enim oportet incedentem non passim vagari oculis, sed recta intueri in id ad quod tendit, ita monet Sapiens oculos mentis intentos esse in id quod propositum est, ut sectemur, id semper prae oculis habendum, atque ad illud semper nitendum, omnesque actiones nostras eo dirigendas; quae ab hoc sunt aliena, non esse magnopere consideranda nec curanda ». Talem sinceritatem et rectam agendi rationem praecipit Sapiens alio loquendi modo v. 26 fac planam semitam pedis tui (hebr.) i. e. in recta via incede, in directum progredere, *et omnes viae tuae stabilientur,* firmiter constituentur et designatae erunt, scil. ad neutrum latus deflectent, uti dicitur in v. 27 *ne declines ad dexteram neque ad sinistram;* in neutram partem est a recta via declinandum; quod si fieret, malum est; unde sequitur praeceptum *averte pedem tuum a malo,* G ἀπὸ ὁδοῦ κακῆς, item S; via quippe mala est quaevis declinatio sive in dexteram sive in sinistram a via recta.

Additur G et in vulg. *vias enim quae a dextris sunt, novit Dominus,* probat Dominus; arcte adnectitur haec sententia ad membrum immediate antecedens; viae a dextris sunt viae probae, bonae, sicut dextrum significat bonum et felix, sinistrum malum et infelix. Sed

quomodo haec sententia non contradicit priori illi : ne declines ad dexteram? in qua sane via ad dexteram est via haud bona. Bene iam respondet *Lap.* : « una sententia alteri non est contraria, sed una cum altera recte consentit; nam cum ait vias a dextris nosci ac probari a Domino, perversas vero esse sinistras, tunc dextrum et sinistrum inter se sola comparantur ac per dextrum significatur via virtutis, per sinistrum via vitii; cum vero ait : ne declines ad dexteram neque ad sinistram, tunc dextrum et sinistrum non inter se, sed cum media virtutis via comparat, ideoque dextrum et sinistrum significant vitia utrimque virtuti quae in medio est, per excessum vel per defectum opposita ». Iam ut recta via incedamus, Dei ope et gratia largiendum esse demum nos docet Sapiens : *ipse enim rectos faciet cursus tuos* ὀρθὰς ποιήσει τὰς τροχίας σου, *itinera autem tua in pace producet*, ἐν εἰρήνῃ προάξει — cui autem Deus haec tribuet? certe ei qui admonitiones Sapientis (4,1. 10. 20. 21) animo suscipit et suas agit partes in desiderio ac studio sapientiae.

Eousque Sapiens potissimum, « dehortatus est a sectanda via impiorum et sceleratorum hominum » (Iansenius), quod primum est periculum a quo cavere oportet — et quo iuvenes facile irretiuntur — ut eruaris a via mala et ab homine qui perversa loquitur 2,12 — iam nunc progreditur ad alterum periculum, haud minus grave, quod pariter supra indicaverat Sapiens : ut eruaris a muliere aliena (2,16). Ab eiusmodi enim consortio maximum exoritur periculum, ideoque prolixe hanc admonitionem prosequitur.

Et in capite 5 quidem agitur una oratione bene contexta de flagitio, poena adulterii, et de remediis contra scelus illud. — Solita adhortatione praemissa (v. 1. 2) exponitur, verba adulterae suavia quidem esse; at iis tandem dolores ac mortem parari (v. 3-6); quare longe recedendum ab ea, ne maxima incurras damna et tandem acerbo dolore crucieris de admonitione neglecta et de periculo et poena mortis imminente (v. 7-14). Duo afferuntur remedia contra adulterium : serva uxori tuae fidem coniugalem et cum ea laetare (v. 15-19); time Deum, qui adulterum non impune abire permittet (v. 20-23).

5,1. *Fili mi, attende ad sapientiam meam | et prudentiae meae inclina aurem tuam, 2. ut custodias cogitationes, | et disciplinam labia tua conservent. 3. Ne attendas fallaciae mulieris; | favus enim distillans labia meretricis, | et nitidius oleo guttur eius; 4. novissima autem illius amara quasi absinthium, | (et) acuta quasi gladius biceps; 5. pedes eius descendunt in mortem, | (et) ad inferos gressus illius penetrant; 6. per semitam vitae non ambulant, | vagi sunt gressus eius et investigabiles.*

Cum emphasi doctrinam et admonitionem quam traditurus est

Sapiens vocat *sapientiam meam* et *intelligentiam meam* v. 1 hebr.; agi itaque de re gravi, uti in v. 2 quoque affirmatur, ut custodias consilia prudentia et scientiam labia tua conservent. Clare agnoscendum et perspiciendum est agi de re, cuius observatio praeprimis ad sapientiam et prudentiam spectat. Praemittitur G et in vulg. stichus unus solitarius quo totum argumentum comprehenditur v. 3 *ne attendas fallaciae mulieris,* cave eam, μὴ πρόςεχε φαύλῃ γυναικί. Cum talis stichus singularis, praecedens versum, alias non reperiatur, e contra adeo constanter versus duorum efferantur stichorum, iste stichus quo caret hebr. habendus erit spurius. Lenocinia adulterae quibus suaviter, ideoque periculose allicit, describuntur v. 3 quia favum distillant labia alienae et lenius oleo palatum eius (hebr.), verbis utitur suavibus, blandis, lubricis; ipsa comparatione favi mellis et olei blandimenta eius efferuntur quae melle dulciora, molliora oleo fluunt; verum quam maximè cave, fuge, ne miserrime decipiaris nam v. 4 *novissima autem illius amara quasi absinthium,* (Wermut, absinthe) dulcedo illa vertetur in acerbam amaritudinem, et mollities efficitur tandem gladius acutus biceps, utrimque habens aciem acutam; acies gladii Hebraeis est os gladii; dicitur enim gladius devorare (אכל, Is. 1,20; Ier. 2,30; 12,12; 46,10. 14 etc.); unde bipennis; gladius habens ora, ora gladii. Huc tandem artes adulterae collineant, ut in perniciem et mortem perveniatur v. 5 *pedes eius descendunt in mortem*; cf. 2,18; 7,27; Eccli. 19,3; infernum (scheol) gressus eius apprehendunt (arripiunt, appetunt? hebr.). Et quomodo tendat ad infernum obcaecatione et obduratione, explicatur in v. 6 hebr. : semitam vitae ne terat (ne scil. revertatur et terat), vacillant orbitae eius (semitae), nec advertit; temulenta et titubans progreditur neque advertit periculum, vel negligens quo tandem necessario tendat. G, S, vulg. explicant ac si legissent לא : ὁδοὺς γὰρ ζωῆς οὐκ ἐπέρχεται. *Del.* explicat פן absit ut (tantum abest, ut via vitae proficiscatur, ut vacillent etc.); at satius est hebr. emendare ex G.

Quare oportet longe recedere ab adultera, ne in plurima damna incurratur :

7. *Nunc ergo, fili mi, audi me,* | *ne recedas a verbis oris mei.* 8. *Longe fac ab ea viam tuam,* | *et ne appropinques foribus domus eius;* 9. *ne des alienis honorem tuum* | *et annos tuos crudeli;* 10. *ne forte impleantur extranei viribus tuis,* | *et labores tui sint in domo aliena;* 11. *et gemas in novissimis,* | *quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum;* 12. *et dicas : cur detestatus sum disciplinam,* | *et increpationibus non acquievit cor meum,* 13. *nec audivi vocem docentium me,* | *et magistris non inclinavi aurem meam,* 14. *paene fui in omni malo,* | *in medio ecclesiae et synagogae.*

Uti 4,1, ita hic v. 7 hebr. filii, audite ad me i. e. obedite mihi, neve

recedatis a verbis oris mei; cum emphasi incipit Sapiens : *nunc ergo* i. e. cum ita se res habeat. Pergitur in singulari v. 8 *longe fac ab ea viam tuam,* salus est in recessu ac fuga occasionum; ad quam promptam fugam efficaces subiunguntur impulsus: v. 9 *ne des alienis honorem tuum,* hebr. vigorem tuum, florem iuventutis. *et annos tuos crudeli,* aetatem iuvenilem; commercio illo facinoroso vigor corporis pessumdatur, ipsa aetas seu anni vitae redduntur acerbi, amaritudine pleni. Ita saepe explicant. Quae explicatio congruit, si sententia accipitur de commercio cum meretricibus, At de meretricibus in nostro textu non agitur, זרה v. 3 non est זונה, uti bene notat *Frank.* Aliam acceptionem, qua de periculo adulterii agitur, suggerit G, cui S fere consentit : ἵνα μὴ πρόῃ ἄλλοις ζωήν σου (S opes) καὶ σὸν βίον ἀνελεήμοσιν; videtur sermo esse de periculo mortis, cui adulter se exponit, quia de adulteris iudicium erat instituendum et poena mortis infligenda; vide ad v. 14; vel quod S habet, maritus in iure suo laesus, si non mortem adulteri expetit, mulctam gravem quasi pretium redemptio nis vitae exiget (cf. 6,35); id quod in v. 10 ulterius exponitur : ne satientur extranei opibus tuis et labores tui (i. e. ea quae laboribus tuis comparasti) in domo alieni (hebr.) sint vel absumantur. Maritus laesus vocatur *crudelis,* qui scil. sine misericordia exigit satisfactionem; cf. 6,34 zelus et furor viri non parcet in die vindictae.

Et quid tandem commodi in fine affert adulterium? cave ne crucieris conscientia sceleris et in penuriam et periculum mortis cum ignominia proiectus v. 11 *ne gemas in novissimis,* ne rugias in fine tuo (hebr.), ne misere lugeas eiulando; נהם dicitur de strepitu maris, de fremitu leonis, et de hominibus Ps. 38,9 (vulg. rugiebam), Ez. 24, 23 — et quem finem capturus sis, indicatur sticho : *quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum,* hebr. quando contabescit caro tua et corpus tuum; libidine et voluptate vires corporis exhauriuntur et pessumdantur — haec acceptio congrueret, si de meretricibus ageretur; vix de adultero. Quare potius explica metaphorice secundum illud Mich. 3,2 : violenter tollitis pelles eorum desuper eis et carnem eorum desuper ossibus eorum; qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt et ossa eorum confregerunt — quem locum iam targum rite exposuit : rapientes opes populi et divitias pretiosas ab iis tollentes (cf. meum Comment. in Proph. min. I, p. 422). Est itaque finis adulteri penuria, egestas.

Qua in calamitate quibus urgeatur stimulis, declaratur exclamatione v. 12 quomodo odivi disciplinam et reprehensionem sprevit cor meum; v. 13 neque obedivi voci erudientium me — dolor quidem magnus, at serus, inutilis, quando opes perierunt. Finem tristem

Sapiens discipulo ostendit, ut caveat ingredi illam huius exitus viam. Insuper monet, ut ab adulterio deterreat iuvenem, de imminente periculo mortis in quod adulter temere se coniiciat, dum adulterum secum reputantem exhibet : v. 14 *paene fui in omni malo,* in toto malo, in pessimo malo i. e. paene incidissem in extremam perniciem, *in medio ecclesiae et synagogae*; adulterium morte puniendum erat (Lev. 20,10. Deut. 22,22), quae poena in coetu publico infligebatur; cf. Ez. 16,40 et adducent super te multitudinem (קהל, ecclesiam) et lapidabunt te. Hanc extremam cum summa ignominia poenam aegre vitavit.

Rationes quibus iuvenis ab adulterio arceatur, deprromptae sunt non ex lege, sed ex damnis humanis; simili modo remedium contra adulterium repetitur ex conditione matrimonii legitimi. Atque merito Sapiens primo loco ea profert, quae immediate et proxime tangunt propria incommoda et commoda ideoque ad persuadendum maxime sunt apta et facilius sublimioribus rationibus viam parant (v. 21).

15. *Bibe aquam de cisterna tua, | et fluenta putei tui;* 16. *deriventur fontes tui foras, | (et) in plateis aquas tuas divide;* 17. *habeto eas solus, | nec sint alieni participes tui;* 18. *sit vena tua benedicta, | et laetare cum muliere adolescentiae tuae,* 19. *cerva carissima et gratissimus hinnulus, | ubera eius inebrient te in omni tempore, | in amore eius delectare iugiter.* 20. *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, | et foveris in sinu alterius?* 21. *respicit Dominus vias hominis, | et omnes gressus eius considerat.* 22. *Iniquitates suae capiunt impium, | et funibus peccatorum suorum constringitur;* 23. *ipse morietur, quia non habuit disciplinam, | et in multitudine stultitiae suae decipietur.*

« Remedium suggerit amorem uxoris propriae; hae omnes parabolae cisternae, putei, fontium, non aliud significant, nisi ut diligas uxorem, cum ea te exhilares; sic enim fiet ut non quaeras illicitas voluptates » (*Lap.*). Ardor amoris tamquam aestus quidam quasi sitim excitat; quaere eius refrigerium domi tuae, bibe fluenta ex medio putei tui (hebr.). Monitum est simile apud Paulum : quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri (1 Cor. 7,10). Ad modum loquendi confer Is. 51,1 attendite ad cavernam laci de qua praecisi estis — ad Saram quae peperit vos. In v. 16 fontes tui, rivuli aquarum idem significant, sicut in v. 15 cisterna tua et puteus tuus; idem colligitur ex v. 17; ergo sermo est in v. 16 de uxore. Quare cum multis codicibus graecis legendum est μή, *ne deriventur fontes tui foras*[1] et in plateas rivuli aquarum (hebr.); textus hebr. potest legi per interrogationem : num tu permittes uxorem tuam adul-

1. Duplicis lectionis iam meminit *Origenes,* sed omnino sequitur illam cum negatione; pergit enim : aquae tuae sint tibi soli et nemo alienus participet ex eis (*M.* 12,656).

terare? quasi effluere foras, in plateas? ergo laetare tu cum uxore tua, ne ipsa aliunde sibi illicitam procuret voluptatem. Etiam *Olympiodorus* notat : non sinit fontis aquas diffundi, ut ad alienos concedant (*M.* 93,475). Ad hanc acceptionem optime congruit quod sequitur in v. 17 : sint tibi soli, et non alienis tecum (hebr.) : tu solus utere uxore tua; minime eam habeant extranei. Qui sensus alio modo exprimitur in G, S : exundent aquae tuae in tuas plateas. Vita matrimoniali rite instituta uterque coniux servatur ab adulterio. Et huic vitae matrimoniali non deerit benedictio i. e. posteritas et laetitia; quae duo vitam domesticam reddunt beatam : v. 18 *sit vena tua benedicta,* hebr. fons tuus, i. e. eadem metaphora, uti v. 15-17, uxor tua sit fertilis, id quod benedictio divinitus concessa censetur; cf. Deut. 28, 4; Ps. 127,3-5 uxor tua sicut vitis abundans, filii tui sicut novellae olivarum — ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Alterum quod requiritur ad vitam matrimonialem felicem est, ut laetitiam capiat ex uxore quam tempore iuventutis duxit. Et quanta amoris teneritudine eam iuvenis iuvenem foverit, ipsis vocibus blandis exprimitur v. 19 *cerva carissima,* cerva amorum et hinnula gratiosa (hebr.), venusta; fruere deliciis cum ea licitis, G ἐν γὰρ τῇ ταύτης φιλίᾳ, ergo non ubera eius דַּדֶּיהָ, sed דד amores eius (cf. 7,18) in hebr. G legisse videtur : amor eius te inebriet, S consuetudinem eius fove; *Aq.* et *Sym.* ubera, syr. h amorem efferunt.

Ecce, quanta commoda et quales deliciae cum uxore! num ergo adeo demens eris, ut cum adultera temulentus desipias? v. 20 quare inebriabis te cum aliena et amplecteris sinum extraneae (hebr.)? Quam maxime cave; rationibus ad hominem factis subditur iam causa sublimior v. 21 *respicit Dominus vias hominis,* nam coram oculis Iahve viae viri; Deus omniscius novit vitae rationes; nihil eum latet; omnia aperta sunt coram eo; cf. Iob 28,24; *et omnes gressus,* semitas, *eius considerat,* observat, G σκοπεύει. Deus vero ultor est malorum. Homo scelestus sibi ipsi parat ruinam v. 22 *iniquitates suae capiunt impium,* suo se laqueo capit, *et funibus peccatorum suorum constringitur*; quot et quantis vinculis mala consuetudo hominem ligat; ex consuetudine quasi fit necessitas; inde miser in barathrum ruit et misere perit v. 23 *ipse morietur, quia non habuit disciplinam et in multitudine stultitiae suae* temulentus incedit (hebr.), ut ebrius prae multa stultitia a recta via longe aberrat; cf. Ps. 7,17 in verticem ipsius iniquitas eius descendet; 1 Sam. 25,39 malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius; 3 Reg. 8,32. Eccli 27,28-30. Baruch 3,28.

Initio capitis 6 interrumpitur argumentum tractatum cap. 5, sed

continuatur 6,20 et seq. Quare haud immerito censebimus 6,1-19 hic poni non suo loco, sed aliunde esse desumptum. Ponuntur scil. monita varia, quae neque inter se neque cum antecedentibus cohaerent; et quidem v. 1-5 : cave sponsione te facile obstringas; v. 6-11 excute pigritiam; v. 12-15 vir describitur perfidus eiusque perditio; v. 16-19 septem enumerantur quae Domino sint abominationi. Et Bickell quidem 6,1-8 collocat post 24,29; 6,9 post 24,32; 6,10 post 24, 33; 6,11-19 post 24,34.

Veteres quidem aliquem nexum constituunt; ita *Iansenius :* « Postquam superiore capite indicavit, quomodo per scortationes res familiaris periclitetur pereatque et in aliorum veniat potestatem, iam indicat quomodo idem eveniat frequenter per leves fideiussiones, ad quas rerum imperiti, iuvenes maxime, saepe nimis sunt faciles »; similiter *Lap.* Isti diligentiae rebus suis caute providendi adnecti satis congrue videtur adhortatio de vitanda pigritia. At pro reliquis quae sequuntur 6,12-19 apta pro hoc loco et argumento connexio iam non invenitur. Continuatur autem 6,20 seq. et absolvitur res 5,1 incepta, et ita quod 2,16 seq. indicatum erat ad finem perducitur.

6,1. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, | defixisti apud extraneum manum tuam; 2. illaqueatus es verbis oris tui, | (et) captus propriis sermonibus; 3. fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, | quia incidisti in manum proximi tui; discurre, festina, suscita amicum tuum; | 4. ne dederis somnum oculis tuis, | nec dormitent palpebrae tuae; 5. eruere quasi damula de manu, | et quasi avis de manu aucupis.*

De sponsione seu fideiussione vide quoque 11,15; 17,18; 22,26. 27; Eccli 8,16; 29,19. Rem esse periculi plenam hoc loco monetur. Quo signo fiat sponsio, declaratur v. 1 altero sticho : si pro alio manum pulsasti (hebr.) i. e. data dextra pro alio fidem tuam obligasti, quasi vinctum et captivum tua promissione te tradidisti debitori (v. 2); ius habet et actionem in te, ut tu solvas debitum, si tempore statuto alter vel non potest vel non vult solvere. Unde Eccli 29,24 : repromissio multos perdidit; imo bona repromissoris sibi adscribit peccator et ingratus sensu derelinquit liberantem se. Quare Sapiens monet, si tempus solvendi debitum imminet, ut sponsor enixe curet se liberare, ut scil. quam maxime urgeat proximum, pro quo spopondit, ut solvat et te liberet; nam in eius manum seu potentiam venisti; si proximus non vult solvere, tu teneris satisfacere. Quare vade, prosterne te; ita hebr. התרפס communiter vertunt, S vocem omittit, *Bickell* emendat melius secundum G μὴ ἐκλυόμενος, אל תרפנה ne desistas, *suscita,* hebr. רהב (cf. Is. 3,5) urgere, instare quadam vi. Imo ne ullam quietis partem tibi concedas, ne somnum quidem v. 4; verum omni conatu te

libera, sicut damula laqueo capta sese conatur eripere v. 5, *de manu* G ἐκ βρόχων, et ita merito emendat *Bickell :* מפח ex laqueo; item *MK*; alii emendant : a venatore; et sicut avis se eripere studet ex potentia aucupis. Comparatio haec iam est praeformata in v. 2.

v. 6. *Vade ad formicam, o piger,* | *(et) considera vias eius et disce sapientiam;* 7. *quae cum non habeat ducem* | *nec praeceptorem nec principem,* 8. *parat in aestate cibum sibi* | *et congregat in messe quod comedat.* 9. *Usquequo, piger, dormies,* | *quando consurges a somno tuo?* 10. *paululum dormies, paululum dormitabis,* | *paululum conseres manus, ut dormias;* 11. *et veniet tibi quasi viator egestas,* | *et pauperies quasi vir armatus;* | *si vero impiger fueris veniet ut fons messis tua* | *et egestas longe fugiet a te.*

Nexum cum antecedente adstruit *Lap.* : a fideiussione temeraria cavenda, ne per eam familia et res familiaris patiantur, congrue transit ad fugam inertiae et studium laboris ac diligentiae, ut per illa quisque sibi et suae familiae de rebus necessariis provideat. Exemplum industriae vide et disce a formica; cf. Iob 12,7 interroga iumenta et docebunt te, et volatilia coeli et indicabunt tibi — disce ab illa sapere, qua ratione tibi prudenter prospicere debeas. Formica non habet iudicem (cuius inquisitio ac iudicium timendum sit), neque exactorem (proprie scribam, qui scil. exigit et notat labores — cf. Ex. 5,6. 10. 14 etc.) neque generatim aliquem dominatorem, sed sua sponte, duce natura, *parat in aestate cibum sibi,* congregat in messe victum suum. Homo ipse duce natura instituitur ad laborem. Exemplo proposito cum quadam indignatione Sapiens clamat v. 9; at duplici exprobrationi : *usquequo,* quamdiu — quando tandem — respondet piger v. 10 paululum (adhuc) dormire, paululum dormitare, paululum complicare manus ad cubandum; respondet scil. in modum pigri et somnolenti, qui si excitatur a somno ut surgat, solet oggerere : adhuc paulisper quiescere. Substantiva hebr. somnus, dormitatio reddenda erant non *dormies,* sed dormire; item complicatio, complicare. Quae erit sors pigri? v. 11 *et veniet tibi quasi viator,* melius 24,33 cursor i. e. prompte et celeriter apud te adveniet *egestas,* et *pauperies,* penuria, inopia, quasi vir scuto armatus, aggressor fortis, G ὥσπερ κακὸς ὁδοιπόρος, ὥσπερ ἀγαθὸς δρομεύς. Alia est sors hominis impigri, uti G et vulg, in disticho habetur; industriae et diligentiae promittitur messis abundans; fons exhibet perennem aquam, indeficientem; ergo messis talem proventum dabit qui large per totum annum praesto erit. Hos versus collocat *Bickell* post 24,29.

12. *Homo apostata, vir inutilis* | *graditur ore perverso;* 13. *annuit oculus, terit pede,* | *digito loquitur;* 14. *pravo corde machinatur malum,* | *(et) omni tempore iur-*

gia seminat; 15. huic extemplo veniet perditio sua, | (et) subito conteretur nec habebit ultra medicinam.

Adnectit ad antecedentia Iansenius: fere enim qui piger est et otiosus in alia vitia maiora prolabitur. Secundum textum hebr. septem enumerantur vitia hominis iniqui, facinorosi. Homo scil. iniquus (vir Belial, alias in vulg.) et vir scelestus is est, qui ambulat (στρεβλεύμασι στόματος, *Sym.*) in perversitate oris, cui itaque falsitas, mendacium et cetera sermonis vitia in consuetudinem abierunt; porro nictans oculis suis (hebr.), qui nictatione oculorum facinorosos, calumniatores, detractores animat, ut fortiter pergant in male coeptis; nictatione etiam exprimitur irrisio, despectio, animi inconstantia, fraudulentia — dein *terit pede,* loquens pede (hebr.) G σημαίνει δὲ ποδί, qui occulta signa dat pede deceptionis seu fraudis causa; alii vocem explicant, uti in vulg. *terit,* similiter S, τρίβων (*Aq.*), προςτρίβων (*Sym.*); ergo מלל fricare, confricare? digitis signa dans (hebr.) fallaciae, irrisionis causa, cf. Is. 58,9 si desieris extendere digitum; Eccli 27,25 annuens oculo fabricat iniqua; eodem modo signo quodam digitorum aliis indicari potest, quomodo arte et fraude socios circumveniant; quod in vulg. legitur *pravo corde* v. 14 hebr. perversitates in corde, supple gerens, tamquam quintum dicitur vitium hominis nequam; praeprimis declaratur hypocrisis, dolus, perfidia *machinatur malum,* G τεκταίνεται κακὰ ἐν παντὶ καιρῷ et tandem *iurgia seminat,* lites provocat, lites aliis intendit iis creans molestias, excitans discordias et contentiones, G ταραχὰς συνίστησιν πόλει, melius S concitat (altercationem) inter duos. Propterea (hebr.) v. 15 *extemplo veniet perditio sua, subito* (inopinato) *conteretur,* neque erit sanatio (hebr.); poena et pernicies neauit averti; restitutio in integrum iusto Dei iudicio non concedetur.

16. *Sex sunt quae odit Dominus, | et septimum detestatur anima eius : 17. oculos sublimes, linguam mendacem, | manus effundentes innoxium sanguinem, 18. cor machinans cogitationes pessimas, | pedes veloces ad currendum in malum; 19. proferentem mendacia testem fallacem, | et eum qui seminat inter fratres discordias.*

Eiusmodi sententiae numeris adstrictae habentur infra 30,15. 18. 21. 29; Iob 5,19; similiter Eccli 23,21; 25,9; 26,5. 25. 28; iam praeformantur apud Amos 1,3. 6. 9. 11. 13; 2,1 etc. Sex odit Dominus et septem abominatio animae eius (hebr.); effertur gradatio. In quinque prioribus nominantur membra, quibus homo vel vitium demonstrat et exprimit vel quibus utitur ad scelus; in sexto et septimo directe homo seu persona nominatur. Primo loco nominatur superbia; quae oculis, superciliis maxime proditur; Eccli 10,15 initium omnis peccati est superbia, et 23,5 extollentiam oculorum ne dederis mihi. Odit Deus

mendacium, fallaciam, caedem innocentis, consilia iniqua, quorum quasi organum assignatur cor pro homine deliberante et pessima quaeque appetente; odit actiones quibus illa consilia celeriter executioni mandantur, ad quas actiones homo festinare dicitur; unde *pedes veloces* etc.; odit eum qui spirat mendacia testis mendax et qui lites provocat inter fratres (hebr.); repetuntur verba ex v. 14; de teste mendace cf. 14,5. 25; 19,5. 9. In istis sententiis numeris distinctis id cumprimis effertur quod ultimo loco ponitur. Itaque prae ceteris abominationi est Domino ille qui altercationes, lites, inter fratres excitat, seu *qui seminat inter fratres discordias,* v. 14 iurgia. Accuratius inquirit *Lap.* cur seminare discordias sit peccatum gravissimum et haec affert : tollit caritatem; sequuntur caedes, non una, sed multae; oriuntur plurima peccata : odia, calumniae, rixae, lites, incendia; evertitur civitas, collegium, unio civium, etc. Sed bene advertit Iansenius, in hebr. non esse nomen numeri ordinalis septimum, sensum itaque esse : sex sunt quae odit Dominus, imo septem sunt quae abominatur; « et proinde nostrae lectionis sensus esse debet, si velimus habere sensum genuinum : sex sunt, quae odit, imo et septimum simul cum illis detestatur ». — Hos versus 6,1-19 collocant *MK* post 9,18; *Bickell* autem ponit 6,12-19 post 24,34.

Continuatur 6,20-7,27 argumentum 5,3 inceptum. Ipsa allocutione duae orationis partes distinguuntur : fili mi 6,20 et 7,1, quibus epilogus brevis accedit 7,24-27. Prior oratio constat quinque distichis prooemii 6,20-24 et decem distichis (dempto v. 29) adhortationis et doctrinae. Pariter alteri orationi praemittuntur quinque disticha introductoria, sequuntur viginti, quibus seductio miseri iuvenis depingitur; concluditur epilogo admonitionis cum quattuor distichis (7,1-5. 6-23. 24-27). Cavendum esse ab adulterio utrimque inculcatur.

20. *Conserva, fili mi, praecepta patris tui | et ne dimittas legem matris tuae;* 21. *liga ea in corde tuo iugiter | (et) circumda gutturi tuo;* 22. *cum ambulaveris gradiantur tecum, | cum dormieris custodiant te | et evigilans loquere cum eis;* 23. *quia mandatum lucerna est, et lex lux, | et via vitae increpatio disciplinae;* 24. *ut custodiant te a muliere mala, | (et) a blanda lingua extraneae.*

Admonetur discipulus ad studiose retinendam doctrinam, cuius praestantia et utilitas brevi commendatur; v. 20 cf. 1,8; liga ea super cor tuum, cf. 3,3; intellectu et affectu serva ea; considera ea tamquam ornatum. Praestantia praeceptorum exhibetur v. 22. 23 : si incedis, te ducent; si dormis, vigilant super te; si expergisceris, confabulabuntur tibi (hebr.). Exhibetur tristichon; in omni vitae conditione praecepta sapientiae summam praebent utilitatem. Id autem efficere possunt propter innatam eorum excellentiam v. 23 : lucerna sunt et

lux; docent recta, illustrant mentem, ut recta videat et amplectatur; et via qua pervenitur ad veram vitam sunt increpationes disciplinae (hebr.); docent et dirigunt hominem, ut tandem vitae felicis fiat particeps; qua in institutione disciplinae unum ex praecipuis in eo continetur, ut discipulus v. 24 custodiatur *a muliere mala*, *a blanda lingua extraneae*; 5,3. In v. 22 *Bickell* supplet ab initio unum stichum: et sapientia, ipsa te servabit; eo modo utique removetur tristichon et habentur, uti assolet, duo disticha; insuper explicatio habetur ad formas femininas תנחה, תשמר etc.

Vitanda est occasio seu ansa adulterii; quae si non sedulo cavetur, ruina certissime sequitur, quam excipit maxima ignominia et ultio gravissima (v. 25-35).

25. *Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, | nec capiaris nutibus illius;* 26. *pretium enim scorti vix est unius panis, | mulier autem viri pretiosam animam capit;* 27. *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, | ut vestimenta illius non ardeant?* 28. *aut ambulare super prunas, | ut non comburantur plantae eius?* 29. *sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, | non erit mundus, cum tetigerit eam;* 30. *non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, | furatur enim, ut esurientem impleat animam;* 31. *deprehensus quoque reddet septuplum, | et omnem substantiam domus suae tradet;* 32. *qui autem adulter est, | propter cordis inopiam perdet animam suam;* 33. *turpitudinem et ignominiam congregat sibi, | et opprobrium illius non delebitur;* 34. *quia zelus et furor viri | non parcet in die vindictae;* 35. *nec acquiesces cuiusquam precibus, | nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

Cavendum est ne quis sibi ipsi creet periculum adulterandi. Quare monet Sapiens v. 25 ut coerceatur cupiditas; cf. Ex. 20,17; Deut. 5,21 non concupisces uxorem proximi tui; et Eccli 25,28 : ne respicias in mulieris speciem; porro dicens : neve capiat te palpebris suis (hebr.) simul monet, ne mulier malae famae curiosius aspiciatur, quia id advertens nutibus, palpebratione allicere solet; cf. Eccli 26,12 fornicatio mulieris in palpebris illius agnoscetur. Nam facile quidem, exiguo pretio, occasio scortationis obtinetur, at mulier matrimonio iuncta animam pretiosam venatur; scil. quia illam, ut *Ians.* adnotat, exponit perdendam a suo marito; hic videtur esse sensus v. 26; prior stichus ex hebr. est : nam pro muliere meretrice (vel propter mulierem) usque ad tortam panis — id quod communiter explicant : pervenitur ad paupertatem, ita ut solum torta panis relinquatur (cf. 1 Sam. 2,36; *Del. Wild*). At verba videntur intelligi debere eo sensu quo G et vulg. acceperunt : pro ea vel propter eam tibi deveniendum est solum usque ad tortam panis — et ita stichum esse explicandum censent *Bickell* (qui delet עד usque ad) et *Frank.*, qui textum secundum G emendat; cf. Eccli 7,27. Duabus comparationibus

declaratur in v. 27 et 28 : qui amat periculum, peribit in eo. Si quis non statim fortiter concupiscentiae resistit (v. 25), aestus libidinis exoritur, quo facillime in scelus pertrahitur. Accommodate ab igne depromitur comparatio; nam « concupiscentia quasi ignis exardescit » (Eccli 9,9). Sicut nemo ignem colligere potest in vestium plicaturas (in sinum), ita ut ipsae vestes non incendantur, ita qui ad alienam cum libidine accedit, turpi incendio peribit. Omittunt v. 29 *Bickell* et *MK* tamquam glossam solius explicationis causa positam; cf. Eccli 9,11-13.

Quantum scelus sit adulterium, effertur comparatione cum furto instituta. Et v. 30 non despiciunt furem (hebr.) legi oportebit cum interrogatione : nonne fur, quia fur est, despicitur, cum furetur ad esuriem explendam? Saepe quidem explicant : eum non despici, imo ei misericordiam impertiri; cui acceptioni accedit vulg. *non grandis est culpa*, G οὐ θαυμαστόν, sim. S; at cum in subsequentibus furtum gravi poena infligendum esse affirmetur, melius convenit prior sententia per interrogationem lecta. Insuper, si quis esurie laborat, num statim furtum eius erit excusandum? cur non petitione utitur? Unde non omnino verum est talem furem non despici. Praeterea attendatur oportet vis comparationis : si iam fur despicitur furto ex esurie commisso (cum tamen esuries eum aliquo modo excuset; furatur quia esurit); quanto magis adulter est exsecrandus, qui bonum multo excellentius furatur marito, non panem, sed uxorem: quae vis satis perit, si furem potius misericordia prosequendum tibi finxeris. Porro fur *deprehensus quoque reddet septuplum,* videtur dici generatim pro compluries, reddet plura; nam si quis furatus fuerit bovem, quinque boves pro uno restituet, et quattuor oves pro una ove (Ex. 23,1); ita si bovem vel ovem occiderit vel vendiderit; si vero inventus fuerit apud eum bos vivus, sive ovis, duplum restituet (Ex. 22,4); si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur (v. 3 l. c.); ita indicatur, quomodo in poenam omnes suas opes perdere possit.

Iam de malitia adulterii v. 32 adulterans mulierem vecors est; perdens se ipsum, is hoc facit (hebr.) i. e. qui se ipsum perdere vult, hoc facit. Tamquam vecordia et insania — carens corde nominatur adulter — adulterium exhibetur; cur non sua uxore contentus est? Cur aliunde et ex scelere quaerit, quod cum Dei benedictione a propria uxore habere potest? Et quid tandem acquirit? v. 33 verbera et ignominiam inveniet (hebr.) G ὀδύνας τε καὶ ἀτιμίας ὑποφέρει, *et opprobrium illius non delebitur*; maculam indelebilem sibi ipse inurit. Insuper incurrit in vindictam mariti laesi v. 34 nam zelotypia est furor

viri (hebr.) nec parcet in die vindictae, sine misericordia ulla exiget poenas — v. 35 nec accipiet quidquam pecuniae ad redimendam iniuriam; bene G οὐκ ἀνταλλάξεται οὐδενὸς λύτρου τὴν ἔχθραν, neque plurimis donis se placari sinet, neque indulgebit, etsi multiplices donum (hebr.). Si ergo dies vindictae i. e. iudicii publici forensis advenerit, si adulter coram tribunali iudicis sistitur et actio a marito laeso intentatur, nullum admittitur placamen, nullis donis res componi potest.

Etiam alteri orationi contra adulterium quinque disticha adhortationis praemittuntur :

7,1. *Fili mi, custodi sermones meos,* | *et praecepta mea reconde tibi;* 2. *(fili) serva mandata mea et vives,* | *et legem meam quasi pupillam oculi tui;* 3. *liga eam in digitis tuis,* | *scribe illam in tabulis cordis tui;* 4. *dic sapientiae : soror mea es,* | *et prudentiam voca amicam tuam;* 5. *ut custodiat te a muliere extranea,* | *et ab aliena quae verba sua dulcia facit.*

Vide 4,4; si servaveris, vives. Quanta cura et sollicitudine servare oporteat, indicatur comparatione eius curae et aestimationis qua unusquisque pupillam oculi prosequitur. Cura et aestimatio *continua* declaratur v. 3; intimo animo firmiter recondatur necesse est; cf. 3,3; hic tamquam annulus pretiosus (6,21; Ex. 13,9. Deut. 6,8). Quae modo nominata sunt praecepta, mandata, lex, nunc dicuntur v. 4 sapientia, intelligentia; nam quae illis praeceptis commendantur, ipsa est sapientia, quacum intima familiaritas est fovenda; cf. 4,6. 8; Eccli 15,2 sapientia describitur tamquam mater honorificata, tamquam sponsa. Quem in finem et quali utilitate ista cura sit exhibenda et intima consuetudo et amicitia sapientiae colenda, describitur v. 5; cf. 2,16; 6,24. Iam eiusmodi mulieris artes depinguntur et periculum manifestatur quo iuvenis imprudens capiatur v. 6 seq.

6. *De fenestra enim domus meae* | *per cancellos prospexi,* 7. *et video parvulos,* | *considero vecordem iuvenem,* 8. *qui transit per plateam iuxta angulum* | *et prope viam domus illius graditur,* 9. *in obscuro, advesperascente die,* | *in noctis tenebris et caligine.* 10. *Et ecce, occurrit illi mulier ornatu meretricio,* | *praeparata ad capiendas animas,* 11. *garrula et vaga, quietis impatiens,* | *nec valens in domo consistere pedibus suis;* 12. *nunc foris, nunc in plateis,* | *nunc iuxta angulos insidians;* 13. *apprehensumque deosculatur iuvenem,* | *et procaci vultu blanditur, dicens :* 14. *victimas pro salute vovi,* | *hodie reddidi vota mea;* 15. *idcirco egressa sum in occursum tuum,* | *desiderans te videre, et reperi;* 16. *intexui funibus lectulum meum,* | *stravi tapetibus pictis ex Aegypto;* 17. *aspersi cubile meum* | *myrrha et aloe et cinnamomo;* 18. *veni, inebriemur uberibus* | *et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies;* 19. *non est enim vir in domo sua* | *abiit via longissima;* 20. *sacculum pecuniae secum tulit,* | *in die plenae lunae reversurus est in domum suam.*

Narrat Sapiens (hebr., vulg.) eventum a se observatum, ut osten-

dat quam necessario monendi sint iuvenes et quale illis immineat periculum ab aliena quae verba sua dulcia facit (v. 5). Unde rite adiungitur v. 6 cum *enim*, כִּי; sed secundum G statim de muliere est sermo, quae ex domo sua per fenestram in plateas prospiciat (similiter S), quem proponendi modum *Frank.* merito praefert. Ipsa itaque mulier; prospiciens per fenestrae cancellos vidit inter simplices (imperitos, hebr.) et consideravit inter filios iuvenem vecordem; ergo ex turba quadam iuvenum unus aliquis eius attentionem prae aliis excitavit. Et videt, quomodo is v. 8 transeat *per plateam iuxta angulum,* secundum hebraeam punctationem : angulum eius, ubi mulier illa (cf. v. 5) habitat, et viam domus eius teneat, viam qua ad eius domum pervenitur; appellatur vecors, quia *in obscuro,* in crepusculo (hebr.), quod mox in tenebras pro ratione regionis palaestinensis vertitur, prope domum mulieris versatur. At uti textus hebr. legitur, illud *eius* non careret difficultate ; in v. 5 sermo est omnino generalis; ergo difficile erit in v. 8 vocem intelligere de certa quadam muliere adultera, quae vel narratori vel iuveni vecordi iam nota erat. Quae difficultas in G vitatur. Ipsa enim mulier prospicit per cancellos et videt iuvenem illum transeuntem in platea iuxta angulum suum et incedentem in via prope domum suam (cf. *Frank.*). Hebr. corrige ex G.

Et tunc v. 10 *ecce, occurrit illi mulier ornatu* (habitu) *meretricio*; alterum stichum veteres intellexerunt de gratia, qua animi capiantur; G ἡ ποιεῖ νέων ἐξίπτασθαι καρδίας, similiter S; textus hebr. custodita corde, nequit intelligi; coniectant vel formam aliquam de עיר, vel צוד cf. Ez. 13,20. 18. Qualem sese ostendere soleat mulier adultera, describitur v. 11. 12; *garrula,* hebr. strepitum faciens, excitata? inquieta (*Frank.*), *vaga* hebr. pervicax, domi manere quiete minime valet; v. 12 modo in platea, modo in locis publicis, et prope quemvis angulum insidiatur. Bene exhibetur in hac concursatione aestus et perturbatio malae libidinis. In v. 13 pergitur in narratione (v. 10 incepta) : manu apprehendit eum et osculatur eum, faciem suam facit procacem et iuvenem invitat v. 14 ad epulas sacrificales, quae cum sacrificiis ex voto factis coniungebantur (Lev. 7,16); hebr. victimae pacificorum super me; *hodie reddidi vota mea;* ut libido excitetur, epulae sumptuosae instrui solent; cf. Osee 4,11 fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. Atque blande affirmat v. 15 explicite *idcirco egressa sum in occursum tuum* ad quaerendam faciem tuam et inveni et (hebr.), G ποθοῦσα τὸ σὸν πρόσωπον, S nam exspectabam te videre. Blanditur exhibens sollicitudinem eum inveniendi et gaudium magnum de felici et fausto occursu.

Iam exponit quid praeparaverit; v. 16 *intexui funibus lectulum meum,* G κειρίᾳ τέτακα τὴν κλίνην μου, i. e. funes, κειρίαν intellige institas, quibus sponda culcitam fert, seu quibus sponda (lectus) intenditur; in textu hebr. vitium est, אטון poni debet in priore sticho et מרבדים in secundo, uti G et vulg. habent (cf. *Frank.*), *stravi tapetibus pictis ex Aegypto*, variis coloribus, varie virgatis tegumentis stravi lectum. Insuper pretiosis unguentis et odoriferis herbis cubile instruxit v. 17. *aspersi cubile meum myrrha,* resina ex arbore quam vocant balsamodendron myrrha; adhibebatur unguentum (cf. Cant. 5,5; Esth. 2,12) et ad vestes odoribus perfundendas (Ps. 44,9); *aloe,* lignum odoriferum, ad suffimentum erat in usu, *et cinnamomo,* cortex est ex ramis arboris, cui nomen laurus cinnamomum; pertinebat quoque ad sacrum unguentum (Ex. 30,23); ceterum de istis aromatibus vide Lexicon biblicum (editum a P. Hagen) I c. 196. 938. Providit itaque adultera mollem lectum, providit titillationem sensuum aromatibus; iam aperte provocat ad voluptates v. 18 veni, inebriemur amoribus usque mane (hebr., dodim amores; dadim ubera) G ἀπολαύσωμεν φιλίας, *fruamur cupitis amplexibus,* G ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι, hebr. delectemur inter nos amationibus.

Quo efficacius omnem removeat cunctationem, securitatem promittit v. 19 *non est enim vir* maritus *in domo sua, abiit via longissima,* procul abiit, cuius rei testimonium quoque est, v. 20 *sacculum pecuniae secum tulit* scil. pro viatico longioris itineris; *die plenae lunae reversurus est in domum suam*; « poterat diem scire moecha, tum ex mariti dictis, tum ex eius negotiis » (*Lap.* qui novem illecebras ex textu enumerat, quibus iuvenis alliciatur). De voce כסא vide Ps. 81,4 hebr., ubi vox opponitur novilunio; apud Assyrios quoque deus Lunus tempore plenilunii apparet coopertus tiara regia (cf. *Wild. Kugler*, Stern-Kunde und Sterndienst in Babel I. p. 274 sub M I R).

v. 21. *Irretivit eum multis sermonibus, | et blanditiis labiorum protraxit illum;* 22. *statim eam sequitur | quasi bos ductus ad victimam, | et quasi agnus lasciviens et ignorans, | quod ad vincula stultus trahatur; | . . . . | donec transfigat sagitta iecur eius;* 23. *velut si avis festinat ad laqueum, | et nescit quod de periculo animae illius agitur.*

24. *Nunc ergo, fili mi, audi me, | et attende verbis oris mei;* 25. *ne abstrahatur in viis illius mens tua, | neque decipiaris semitis eius;* 26. *multos enim vulneratos deiecit, | et fortissimi quique interfecti sunt ab ea;* 27. *viae inferi domus eius, | penetrantes in interiora mortis.*

In v. 21 invenitur ab aliquibus gradatio : flexit eum multa sua institutione (doctrina) et levore labiorum suorum protrusit eum (cf. *Del. Wild.*). Describitur vesania et pernicies, in quam sese proiicit

qui adulterae adhaeret v. 22 qui adulteram sequitur, est *quasi bos ductus ad victimam*, quasi ratione carens et nihil cogitans sese implicat in summum periculum; item altera comparatione in vulg. *quasi agnus lasciviens*[1], luxuria aestuans, et *ignorans*, sine ulla consideratione, prorumpit in barathrum; *ad vincula* in turpissimam se tradit captivitatem; tertia comparatione depingitur insanus eius agendi modus v. 23 *velut si avis festinat ad laqueum*; sicut avis rationis expers, ita ille, voluptate ebrius et hac ebrietate rationem opprimens festinat praeceps in interitum. Demum indicari videtur periculum mortis: *donec transfigat sagitta iecur eius*, quae sententia satis abrupte ponitur, neque satis intelligitur. Textus hebr est valde obscurus et corruptus; nam quid sibi vult : כעכס אל מוסר אויל et sicut compes (?) ad correptionem stulti. Sensum aptum praebet G in hoc sticho : καὶ ὥσπερ κύων ἐπὶ δεσμοὺς (secunda comparatio) scil. ἄγεται, quod facile ex priore comparatione suppletur; dein : ἢ ὡς ἔλαφος τοξεύματι πεπληγὼς εἰς τὸ ἧπαρ, bene declaratur sententia in hebr et vulg obscura; σπεύδει δὲ ὥσπερ ὄρνεον εἰς παγίδα etc. Ita habentur tres versus : unus, ut in hebr et vulg, comparationem bovis exhibens; alter comparationem canis et cervi habens, tertius comparationem avis praebens. Etiam S exprimit fere textum graecum. Et merito censet *Peters* hebr ex textu graeco esse emendandum (cf. Biblische Zeitschrift, 1906, p. 191), proin scribendum v. 22 וככלב אל מוסר דכאיל secundum G.

Subditur non sine emphasi adhortatio v. 24-27; v. 25 ne declinet ad vias eius cor tuum, noli errare in semitis eius (hebr.). Et quantam stragem adultera edat, seu quot viros luxuria domuerit ac domet, graviter v. 26 monetur : multi sunt occisi quos illa deiecit, et robusti erant omnes trucidati eius (hebr.), qui scil. per adulteria et condemnationem iudicialem vel bona, honorem, vel ipsam vitam perdiderunt. Ita v. 27 *viae inferi domus eius*, domus adulterae est multiplex via ad inferos; sunt viae descendentes ad cubicula (penetralia) mortis; vide 2,28; 5,5. 9; 9, 18. Ita explicatur quoque 6,25.

Quo efficacius absterreat Sapiens omnes ab adulterio, in quo multitudinem stultitiae collectam esse supra asseruit (5,23; cf. 6, 32.33), iam proponit excellentiam sapientiae et magna eius bona in medium profert 8,1-9,12. Invitaverat mulier procax sermone blando iuvenes; e regione eius Sapientia introducitur veluti altera mulier, invitans homines ad se sermone, qui merito efficacior esse deberet cum ex personae invitantis probitate, integritate, excellentia, tum ex fructu quem affert sequentibus se (*Jans.*).

1. Videtur Hieronymus ob oculos habuisse partim versionem *Sym.* σκιρτῶν ἐπὶ δεσμῶν ἄφρων. Etiam ex *Sym.* apparet textum mas. hoc loco esse corruptum.

Non in obscuritate et in angulo quodam, sicut adultera, verum in plena luce et in locis quam maxime apertis ac publicis Sapientia loquitur, non unum aliquem, sed omnes invitat, praeprimis eos qui maxime egent institutione ac prudentia (8,1-5). Audite me, inquit, quia sermones mei sunt de rebus magnis et veris et sanctis (6-9), et sapientia pretiosior est auro et margaritis (10-11). Iam ipsa Sapientia hanc suam excellentiam explicat et probat : possideo prudentiam, pietatem; odio habeo perversitatem; scientia et virtus et rerum experientia apud me est; per me principes et reges recta decernunt; qui me diligunt, gloria et opibus a me donabuntur; proventus meus omni auro est pretiosior, affert iustitiam et thesaurum bonorum (12-21). Sed unde tanta bona promittere potest Sapientia? Hoc declaratur v. 22-31 ipsa scil. origine Sapientiae, quae est ab aeterno, ante omnes creaturas, quae cum formarentur, ipsa Sapientia artifex adstitit Creatori, laetabunda de opere sapienter instituto et delectata de filiis hominum. Quae cum talis tantaque sit, audienda est omni sedulitate; beatus qui eam sedulo quaerit et invenit; cum ea habebit vitam et beatitatem; vae illi, qui eam spernit (32-36).

Tamquam breve prooemium praemittitur 8,1; dein v. 2-11 habentur decem disticha; item v. 12-21 decem disticha, quibus Sapientia suam explicat excellentiam; etiam in tertia parte, in qua de origine Sapientiae agitur et de eius artificio in rerum ordinatione, efficiuntur decem disticha v. 22-31 paucis amplificationibus demptis; concluditur exhortatione 5 distichorum.

8,1. *Numquid non Sapientia clamitat, | et prudentia dat vocem suam?* 2. *in summis (excelsisque) verticibus supra viam, | in mediis semitis stans,* 3. *iuxta portas civitatis, | in ipsis foribus loquitur, dicens :* 4. *O viri, ad vos clamito, | et vox mea ad filios hominum;* 5. *intelligite parvuli, astutiam, | et insipientes animadvertite;* 6. *audite quoniam de rebus magnis locutura sum, | et aperientur labia mea, ut recta praedicent;* 7. *veritatem meditabitur guttur meum, | et labia mea detestabuntur impium;* 8. *iusti sunt omnes sermones mei, | non est in eis pravum quid neque perversum;* 9. *recti sunt intelligentibus, | et aequi invenientibus scientiam;* 10. *accipite disciplinam meam, et non pecuniam, | doctrinam magis quam aurum eligite;* 11. *melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, | et omne desiderabile ei non potest comparari.*

Lenociniis adulterae exhibitis et ruina et pernicie ex illis demonstrata aptissime rediens Sapiens ad 1,20 proponit sapientiam omnes invitantem et optima quaeque offerentem.

Ipsa quaestione *numquid non*, seu nonne, indicatur agi de re valde nota. Atque sapientia in fastigio locorum superiorum supra viam, ut scil. a praetereuntibus audiatur, *in mediis semitis*, (eodem modo emenda hebr.) (pro בית scribe בתוך) ibi scil. ubi viae in varias partes

dividuntur, consistit, *iuxta portas*, ubi ampliora loca esse solent et populus congregatur, in ostio (ore) civitatis (hebr.), i. e. ubi est ingressus et exitus, *in ipsis foribus*, in introitu forium, proin in locis maxime apertis et frequentatis clamitat (cf. 1,20). Ad omnes dirigit vocem v. 4; imprimis vero ad eos qui maxime indigent v. 5; simplices hortatur, ut audiant ad acquirendam prudentiam, stultos, ad acquirendam intelligentiam rectumque affectum, i. e. cor (hebr.). Et quam digna sit cui maxima attentio praestetur declaratur v. 6; *audite*, quia nobilia (sublimia) loquar, et apertio labiorum meorum rectitudines (hebr.), eximia et recta pronuntiabit. Et affertur ratio v. 7 nam veritatem meditabitur (loquetur) palatum meum, et abominatio labiorum meorum iniquitas (hebr.); vera loquitur, exsecratur autem et diris prosequitur iniquitatem, aptius ad parallelismum legitur G χείλη ψευδῆ, item S. Exinde autem efficitur, quod in v. 8 habetur : in iustitia, *iusti*, sinceri *sunt omnes sermones mei*, non est in eis quidquam distortum, implicatum, tortuosum. Omnes v. 9 utpote veri agnoscentur apud virum intelligentem, et utpote recti apud eos qui nacti sunt scientiam. Quare consequitur avide hos sermones esse excipiendos v. 10 : *accipite disciplinam meam, et non pecuniam*; est per modum comparationis: avidius excipite disciplinam quam pecuniam; prae pecunia eligite disciplinam; cf. 17,12 (hebr.); Eccli 25,17-21 ; et scientiam accipite prae auro electo (hebr.). Nam pretium eius superat cunctas res pretiosas v. 11, nam melior est sapientia quam margaritae et pretiosissima quaeque illam non adaequant (hebr.); cf. 3,15, Job 28,18. In sequentibus probat hanc suam excellentiam.

12. *Ego sapientia habito in consilio | et eruditis intersum cogitationibus;* 13. *timor Domini odit malum, | arrogantiam et superbiam et viam pravam | et os bilingue detestor;* 14. *meum est consilium et aequitas | mea est prudentia, mea est fortitudo;* 15. *per me reges regnant | et legum conditores iusta decernunt;* 16. *per me principes imperant, | et potentes decernunt iustitiam;* 17. *ego diligentes me diligo, | et qui mane vigilant ad me, invenient me;* 18. *mecum sunt divitiae et gloria | opes superbae et iustitia;* 19. *melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso | et genimina mea argento electo;* 20. *in viis iustitiae ambulo, | in medio semitarum iudicii;* 21. *ut ditem diligentes me, | et thesauros eorum repleam.*

Et primo quidem profitetur sapientia de se quod habeat plenam possessionem prudentiae ערמה consilii (vulg.), κατεσκήνωσα βουλήν, *Sym.* κατῴκησα πανουργίαν; habitare aliqui explicant de familiari consuetudine, alii de pleno dominio seu potestate sapientiae, qua disponat de prudentia; *Frank.* pro שכן vocem סכן legi vult (ich verstehe mich auf Klugheit); in altero sticho : scientiam et considerationes possideo. Quibus descriptio quaedam sapientiae continetur, quae si perfecta

est, omni genere prudentiae, scientiae, deliberationum, sollertiae excellit. Praeterea sapientia non solum intellectum excolit ac ditat, sed voluntatem quoque. Quare in v. 13 timor Domini est odium mali (hebr.), et sapientiae initium est timor Domini (1,7) timor Domini ipsa est sapientia (Iob 28,28; Ps. 110,10. Eccli 1,16); unde sapientia quoque odit arrogantiam et insolentiam et viam malitiae et os perversitatum, sermones perversos, fraudulentos, fallaces. Iam explicat qualia bona habeat et quae commoda tribuere possit v. 14 mihi consilium et salus G ἀσφάλεια, i. e. si quis indiget consilio et auxilio, mihi utrumque praesto est, ego (sum) intelligentia, mihi praesto est fortitudo, qua scil. quae sapienter excogitata, deliberata, consulta sunt, efficaciter et fortiter in opus deducantur; cf. Iob 12,13. 16 eadem de Deo dicuntur; quare iam exhibetur sapientia in intimo cum Deo nexu.

Quodcumque recte, ordinate, sapienter fit, per sapientiam fieri docetur v. 15 *per me reges regnant* et principes *iusta decernunt*; quod in altero sticho explicite dicitur, scil. *iusta decernunt*, simile in priore supplendum est. Ordo socialis qui auctoritate publica et prudenti legislatione continetur et conservatur, instituitur per sapientiam; item v. 16 *per me principes imperant* et nobiles — omnes iudices terrae (hebr.); singuli ordines, magistratus, quidquid bene gerunt ac disponunt, fructus est et effectus sapientiae. Et sapientia quae tanta bona praestat et in se concludit, valde affabilis est et benigna v. 17 *ego diligentes me diligo* et qui quaerunt me, invenient me (hebr.); cf. 4,7 initium sapientiae est : acquire sapientiam; Sap. 6,13; initium sapientiae est concupiscere sapientiam (Sap. 6,18). Et profecto operae pretium est illam sedulo quaerere; nam v. 18 *mecum sunt*, in mea potestate et possessione sunt, ut distribuam, *divitiae et gloria, opes superbae* [1], magnificae, praeclarae, *et iustitia,* bona externa et bonum animi; per sapientiam homo fit dives, honoratus, iustus coram Deo eique gratus et acceptus.

Cum itaque sapientia talia bona contineat et praebeat, merito dicitur v. 19 *melior est fructus meus,* effectus, utilitas, commodum quod ex sapientia acquiritur, *auro* et auro purissimo (hebr.), *et genimina mea,* proventus meus, *argento electo*; cf. 3,14. Idque explicatius proponitur modo quo se sapientia habeat erga diligentes se v. 20 *in viis iustitiae ambulo*, iuste et secundum debitam aequitatem et considerationem ago, v. 21 eo quod diligentes me hereditare

1. Hebr. עתק G κτῆσις πολλῶν, *Sym.* βίος παλαιός. *Theod.* ὕπαρξις παλαιά *Aq.* ὕπαρξις μετ' εἰρήνης?

faciam opes, *et thesauros eorum repleam.* Iam in antecedentibus innuitur modo loquendi, ultra figuram personificationis sublimius quidquam in descriptione sapientiae intelligi; nam ea sibi adscribit quae solius Dei sunt v. 14 et « ego sum intelligentia », ordinem cursumque rerum humanarum a se dirigi ac disponi (v. 15. 16); se optima quaeque diligentibus praebere (v. 17-21). Quod igitur subindicatum ac praeformatum est, in sequentibus clare enuntiatur :

22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* | *antequam quidquam faceret*
a principio. 23. *Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis,* | *antequam terra fieret;*
24. *nondum erant abyssi et ego iam concepta eram,* | *necdum fontes aquarum erupe-*
rant, 25. *necdum montes gravi mole constiterant,* | *ante colles ego parturiebar,* 26. *adhuc*
terram non fecerat, | *et flumina et cardines orbis terrae,* 27. *quando praeparabat coelos*
aderam, | *quando certa lege et gyro vallabat abyssos,* 28. *quando aethera firmabat sur-*
sum, | *et librabat fontes aquarum,* 29. *quando circumdabat mari terminum suum,* | *et*
legem ponebat aquis, me transirent fines suos, | *quando appendebat fundamenta terrae,* |
30. *cum eo eram cuncta componens,* | *et delectabar per singulos dies,* | *ludens coram eo*
omni tempore, 31. *ludens in orbe terrarum,* | *et deliciae meae esse cum filiis hominum.*

De origine sapientiae haec enuntiantur : bis dicitur חוללתי genita, vel nata sum v. 24. 25 et quidem ante creaturas, G (Κύριος) γεννᾷ με v. 25; semel v. 23 נסכתי instituta sum (uncta sum?) G ἐθεμελίωσέν με. Quaestio est de v. 22 et de notione verbi קנה; stricta notio creandi non potest conciliari cum duplici altera assertione *genita sum* scil. a Deo, ex Deo; quare altera notio assumi debet, aut notio generalis *condidit me,* aut acquisivit me, *possedit me,* ἐκτήσατό με (*Aq. Sym. Theod.*) sc. initium viae suae (hebr.), etiam G ἀρχήν. Iam initium viae Domini est initium agendi et providendi; nam via usurpatur pro actione, negotio; refertur ad Dei actionem ad extra. Antequam igitur Deus quidquam faceret, *possedit* seu habuit sapientiam initium agendi. Veteres ita concipiunt : sapientia postquam relationem habere coepit erga res creatas, tunc initium facta est viarum Dei agendi et providendi, ad opera quae exsistentiam a Creatore habent (Didymus alex. M. 39,1631; item Olympiodorus, M. 90,476). Cur Deus inceperit agere ad extra, ratio et principium assignatur sapientia quam acquisivit, habuit; eamque possedit *priorem operibus suis ex tunc* (hebr.), ex tunc parallelismo iungitur a saeculo (Ps. 93,2). Recentiorum interpretationem : creavit me tamquam primitias creationis, tamquam primum operum suorum ab antiquo (*Frank. Wild.*), primo patet non esse unice eam quae textui hebr. respondeat, et secundo excluditur duplice illo *nata sum.* Illa interpretatio nullatenus est necessaria; nam קנה in omnibus locis in nostro libro habet notionem acquirendi; cf. 1,5; 4,5.7; 15,32; 16,16; 17,16; 18,15; 19,8; 20,14; cur ergo hoc uno loco

alia esset seligenda? In v. 23 accuratius determinatur originem sapientiae longissime distare a tempore rerum creatarum : *ab aeterno ordinata sum* πρὸ τοῦ αἰῶνος, ab initio ἐν ἀρχῇ, ante prima tempora terrae. Idque in sequentibus longiore enumeratione proponitur v. 24-26; cum nondum essent maria, nata sum (hebr.); origo dicitur nativitas ex Deo scil.; indicatur notio plane aliena a creatione; cum nondum essent fontes aquis onusti (hebr.) et v. 25 antequam montes essent infixi, ante colles genita sum. Notionem nativitatis versiones veteres exprimunt; ita in v. 25 G γεννᾷ με, S v. 24 genita sum, v. 25 concepta sum, *Aq.* v. 25 πρὸ βουνῶν ὠδινήθην, item *Theod.* et *Sym.* ἐμαιώθην. Satis clare iam affirmatur hypostasis, persona et merito ss. Patres et veteres interpretes in sapientia hoc loco describi docent λόγον, Verbum Dei, Filium Patris coaeternum Patri, ab aeterno genitum seu natum a Patre. Repetitur in v. 26 : nondum fecerat terram et campos et summam pulverum orbis terrarum (hebr.).

Origine eius aeterna, diu ante creaturas exposita, declaratur quid sapientia in ipsa creatione et rerum dispositione praestiterit : in singulis operibus ipsa aderat simul cum Deo, aderat tamquam artifex et laetabunda de operibus v. 27-30. Ipsum opus creationis per singula quaedam ob oculos ponitur; primo mentio fit v. 27 operis maxime eximii : *quando praeparabat coelos,* ibi ego *aderam*, cum delinearet gyrum (coeli convexa) supra faciem abyssi (maris, hebr.); intelligitur constitutio firmamenti quo aquae superiores dividuntur ab inferioribus (cf. Gen. 1,7), *quando aethera* (nubes, coelum in quo nubes coguntur) *firmabat sursum*; post coelum, firmamentum, nubes, sermo transit ad regiones terrestres : *et librabat fontes aquarum,* G καὶ ὡς ἀσφαλεῖς ἐτίθει πηγάς, hebr. cum firmarentur fontes abyssi; verbum עזוז alii explicant, cum prorumperent; alii, cum domaret (includeret), quae explicatio certe optima esset, si notione verbi posset commendari. Sed usu verbi habetur notio : se firmum exhibere, quae notio hic quoque congruit. Nam statim subditur, qua ratione fontes illi firmi, vel fortiter prorumpentes sint coerciti v. 29 : quando ponebat mari terminum suum, ut aquae non praetergrederentur mandatum suum; cf. Ier. 5,22; Iob 38,10,11; Ps. 103,9. Uti Gen. 1,9 congregentur aquae, et appareat arida, ita eodem ordine hic post mentionem maris et aquarum, sermo infertur de terra firma : *quando appendebat* (constituebat) *fundamenta terrae;* in opere creationis et ordinationis rerum : *cum eo eram,* eram ad eius latus, prope eum, *cuncta componens,* אמון opifex, τεχνῖτις (Sap. 7,21) G ἁρμόζουσα, apte ordinans (*Sym. Theod.* ἐστηριγμένη), S cum crearet fundamenta terrae, ea cum ipso constitui; veteres itaque sapientiam partem habuisse in

creatione rerum ac dispositione merito affirmant; recentiores quandoque explicant : eram sub eius tutela (*Frank.*), vel (cum Aq. τιθηνουμένη) eram alumna eius (*Wild.*). Opus creationis maxima laetitia prosecuta est v. 30 *et delectabar per singulos dies,* et eram tota delectatio (hebr.); cf. Gen. 1,4. 10. 12. 18. 21. 25 repetitum illud : et vidit Deus quod esset bonum, et 1,31 viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona — ita merito delectatio illa sapientiae exprimitur, *ludens coram eo omni tempore,* quo lusu oblectatio, facilitas in rerum productione et maxima varietas significatur, quae in omni rerum genere innumeris modis exhibetur; unde v. 31 *ludens in orbe terrarum,* in quo maxime hominibus haec copia et diversitas innotescit; verum prae omni rerum genere sapientia in deliciis habet : *et deliciae meae (esse) cum filiis hominum,* totam rerum creationem tandem tendere ac dirigi ad hominem, imaginem Dei, hac quoque sententia enuntiatur; cf. Ps. 103,31 laetabitur Dominus in operibus suis.

Uti textus traditur, versibus constat undecim, qui numerus recedit ab analogia iam saepius observata. Verum facile numerus consuetus decem versuum restituitur; stichus alter in v. 28 et pariter stichus alter in v. 29 repetitiones continent; quare ideo iam dubium movent; iis ergo deletis habebis versus decem.

32. *Nunc ergo, filii, audite me, | beati qui custodiunt vias meas;* 33. *audite disciplinam et estote sapientes, | et nolite abiicere eam;* 34. *beatus homo qui audit me, | et qui vigilat ad fores meas quotidie, | et observat ad postes ostii mei;* 35. *qui me invenerit, inveniet vitam, | et hauriet salutem a Domino;* 36. *qui autem in me peccaverit, laedet animam suam, | omnes qui me oderunt, diligunt mortem.*

Dixerat sapientia : deliciae meae cum filiis hominum; quare nunc denuo filios adhortatur, sicut 5,7 et 7,24, promittens felicitatem iis qui praeceptis sapientiae obsequuntur; hebr. *et* beati, quod facile intellexeris : nam beati. Inter praecepta primum quasi locum tenet illud : *audite disciplinam,* accipite institutionem, castigationem; haec scil. est via ad sapientiam; *et estote sapientes* i. e. ut evadatis sapientes, nolite despicere; cf. 1,25. Qualem sedulitatem discipulus exhibere debeat, declaratur v. 34 metaphora sumpta vel a discipulis qui ad scholam magistri accedunt, vel ab aulicis qui ad fores palatii sedulo assident, ut aspectum et favorem regis capiant; cf. Eccli. 14,24; audire debet sapientiam vigilando ad fores eius quotidie; continua sedulitate opus est; studium continuum addiscendi delineatur. Praemium autem quod vigilando et custodiendo acquiritur, enuntiatur in v. 35 *inveniet vitam* beatam scil. cf. 3,13-18; *et hauriet* beneplacitum a Domino, id est omnia ea quae sunt signa et documenta beneplaciti Dei, ergo bene vulg. *salutem* seu benedictionem, bona a Domino. Qui vero non inve-

nit sapientiam, qui ab ea deerrat (hebr.), ipse sibi vel vitae suae damnum infert v. 36 *qui autem in me peccaverit* scil. non quaerendo, negligendo, *laedet animam suam,* seipsum, vitam suam; hebr. חטא proprie recedere de via, deerrare, fine excidere; inde sequitur notio peccandi; hic adhibetur in oppositione ad invenire; ergo aberrare, non assequi; *omnes qui me oderunt, diligunt mortem;* cf. 1,32; 2,22; 4,19; 5,4.23.

In cap. 9 repetitur maiore vi invitatio sapientiae (v. 1-12), cui opponitur pravum stultitiae lenocinium (v. 13-18). Habet sapientia palatium, convivium praeparavit, misit ancillas ut invitarent ad epulas homines simplices et egentes scientia (v. 1-6); affertur ratio, cur derisores non invitentur (v. 7-8); sapientibus autem reprehensio et doctrina praebet utilitatem; per sapientiam acquiritur longa vita, derisores sibi ipsis nocent (v. 9-12). Dein personificatione quadam inducitur stultitia, quae pariter transeuntes invitat et insipientes allicit exhibendo vetitas voluptates esse dulciores (v. 13-18). Duae facile distinguuntur strophae (6-6), quibus tertia accedit de stultitia pariter sex versibus constans.

9,1. *Sapientia aedificavit sibi domum,* | *excidit columnas septem;* 2. *immolavit victimas suas, miscuit vinum,* | *et proposuit mensam suam;* 3. *misit ancillas suas ut vocarent* | *ad arcem et ad moenia civitatis :* 4. *si quis est parvulus, veniat ad me,* | *et insipientibus locuta est :* 5. *venite, comedite panem meum,* | *et bibite vinum quod miscui vobis;* 6. *relinquite infantiam et vivite,* | *et ambulate per vias prudentiae.*

7. *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit,* | *et qui arguit impium, sibi maculam generat;* 8. *noli arguere derisorem, ne oderit te,* | *argue sapientem et diliget te;* 9. *da sapienti (occasionem) et addetur ei sapientia,* | *doce iustum et festinabit accipere.* 10. *Principium sapientiae timor Domini,* | *et scientia sanctorum prudentia.* 11. *per me enim multiplicabuntur dies tui,* | *et addentur tibi anni vitae,* 12. *si sapiens fueris, tibimet ipsi eris,* | *si autem illusor, solus portabis malum.*

Domus seu palatium sapientiae iam indicatur 8,34; nunc exhibetur domus eius fulta et ornata septem columnis; *excidit,* ita hebr. quoque, columnas efformatas esse non sine arte innuitur, G ὑπήρεισεν, similiter S constituit; septem columnae ad formam et constructionem domus requiri possunt; quattuor enim pro angulis domus in formam oblongi quadrati erectae; duae affigebantur parieti interiori quo domus in duo separabatur domicilia; tertia collocabatur in medio pariete cubiculi interioris (cf. *Frank. Wild.*); aliis numerum septenarium commemorari placet utpote sanctum, alii mystice explanant de septem artibus liberalibus, de septem donis Spiritus sancti (cf. *Lap. Calm.*). Paratum est convivium; cf. 7,14; neque enim sapientia in alliciendis ad se hominibus minus esse potest sagax et industria,

quam eius inimica, adultera illa. Plus exhibet industriae ad invitandos quam plurimos; v. 3 *misit ancillas,* epulis paratis fieri solet invitatio (cf. Tob. 2,2; Esth. 6,14; Luc. 14,17) et per eas ipsa invitat supra terga altitudinum urbis (hebr? prope loca urbis alta), ut scil. a praetereuntibus et incolis urbis audiatur, v. 4 quis (est) simplex, divertat huc (hebr.); quicumque est simplex, divertat huc, i. e. *veniat ad me,* G ἐκκλινάτω πρὸς μέ, item S; *et insipientibus,* egenti corde (ei qui eget intelligentia eaque indiget) *locuta est* (vel alia punctatione : ei loquar) : v. 5 *venite, comedite panem meum*; qualis sit cibus, declaratur v. 6 relinquite simplicitatem, i. e. inopiam sapientiae, ergo acquirite vobis sapientiam, *et vivetis*, eam constanter vita et actione sequamini, *ambulate per vias prudentiae*; cf. Is. 55,1; praecepta sapientiae eiusque doctrina sunt alimenta verae vitae; sunt panis et vinum convivii sapientiae; cf. Eccli. 13,3 cibabit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum; Is. 55, 1. 2.

Quos vero sapientia non invitet et quare, declaratur v. 7 *qui erudit,* reprehendit vel coarguit, *derisorem*, sumit sibi opprobrium, *et qui arguit impium,* ei (est) macula, vel maculam sibi acquirit (assumendo verbum hebr. ex priore sticho); nam sese exponit risui et ludibrio derisoris, qui praecepta contemptu spernit; neque prudens est eiusmodi homines monere, quia ad maiorem potius provocantur malitiam; Eccli. 32,6 ubi auditus non est, non effundas sermonem; simile Matth. 7,6 nolite sanctum dare canibus; facile insuper fit, ut derisor iratus et irritatus monitione petulanti lingua probra et calumnias in monentem effutiat (cf. *Lap. Calm.*). Impius enim odit, uti monitionem, ita monitorem; unde v. 8 *noli arguere derisorem, ne oderit te*; aliter cum sapienti : *argue sapientem et diliget te,* sapientiae seu virtutis studiosum, hominem vere prudentem, si monueris, argueris, gratus tibi erit; agnoscit enim beneficium correptionis. Quare v. 9 da sapienti G ἀφορμήν, *occasionem* (simile supple in hebr.) et sapiens erit amplius; doce iustum et addet doctrinam (hebr.); da sapienti scil. monitionem, correptionem; ille capiet utilitatem, emendabit defectum, corriget negligentiam; sapiens et iustus hoc loco eodem sensu in parallelismo dicitur; nam vere sapiens vir est probus, pius, iustus; et vere iustus et secundum Dei mandata vivens eo ipso se praebet vere sapientem. Nam v. 10 *principium* (initium) *sapientiae est timor Dei,* pietas et religio (cf. 1,7. Iob 28,28. Ps. 110,10; Eccli. 1,16) et cognitio sanctissimi (est) intelligentia (hebr.) Dei scil. sanctissimi, קדשים in parallelismo cum יהוה et in forma plurali, sicut אלהים; cognitio Dei est cultus Dei et reverentia, amor, obsequium;

qui hanc cognitionem animo fovet et opere exhibet, vera quoque intelligentia praeditum se ostendit. Haec omnia autem docet sapientia; et fructus eius institutionis et praemium iterum commendatur in v. **11** *per me enim multiplicabuntur dies tui*; advertunt istud *enim* bene referri ad v. 6; neque congruere ad v. 10; quare v. 7-10 alieno loco hic poni et interrumpi sermonem sapientiae illa quasi parenthesi vel interpositione (cf. *Bickell, Wild.*). De ipsa sententia vide 3,2.16; 4,10; 10,27; *et addentur tibi* (hebr. addunt?) *anni vitae*; cf. Ps. 20, 5; 90,16. Bona et benedictio sapientiae tibi ipsi obvenient v. **12**; sin autem illusor es, tu *solus portabis* (*malum*), ut bene supplet vulg., et G μόνος ἂν ἀντλήσεις κακά, portabis scil. culpam et poenam; cf. Ps. 7,17 in verticem ipsius iniquitas eius descendet. G, S additur ad v. 12 tibi et amicis tuis eris sapiens, σοφὸς ἔσῃ καὶ τοῖς πλησίον.

In oppositione ad sapientiam describitur mulier stultitia.

13. *Mulier stulta (et) clamosa* | *plenaque illecebris et nihil omnino sciens*; 14. *sedet in foribus domus suae* | *super sellam in excelso urbis loco,* 15. *ut vocaret transeuntes per viam* | *(et) pergentes itinere suo :* 16. *qui est parvulus declinet ad me,* | *et vecordi locuta est :* 17. *aquae furtivae dulciores sunt,* | *et panis absconditus suavior.* 18. *Et ignoravit quod ibi sint gigantes,* | *(et) in profundis inferni convivae eius.*

Describitur mulier stultitia (hebr.), *clamosa,* cf. 7,11 (ibi vulg. vocem reddit garrula) strepitum faciens, concupiscentia excitata (*Frank.*); dein appellatur hebr. fatuitas פתיות, vulg. *plena illecebris,* S adulatrix, G ἐνδεὴς ψωμοῦ; alter stichus in hebr. et vulg. *et nihil omnino sciens*, iterum stultitiam proponere videtur; melius convenit quod habet G et S quoque[1] ἣ οὐκ ἐπίσταται αἰσχύνην, non novit pudorem; plane impudens est; in hebr. pro מה scribi oportet כלמה. Ipsa quoque v. **14** *sedet in foribus domus suae super sellam*; habet domum suam in conspicuo loco urbis, *in excelso urbis loco*, unde transeuntes videre et alloqui et invitare potest ingredientes in directum vias suas (hebr.), vult *Frank.* incedentes in iustitia. Invitat eodem modo, uti in v. 4; ipsis vero nominibus *parvulus* (simplex, fatuus), *vecors* quibus ipsa utique non utitur, Sapiens iam satis declarat, qui tandem illius invitatione decipiantur; etiam hic fit invitatio ad convivium; sub cuius figura voluptates illicitae tamquam maxime dulces proponuntur; nitimur in vetitum semper cupimusque negata. Modus loquendi pro re nata adaptatur ad v. 5; metaphora aquae declaratur quoque ex 5,15-20. Quid quam maxime opponatur sapientiae, hisce clare docetur, scil. peccata carnalia, quorum species una, adulterium, exhibetur, uti 7,14-18. In eo vitio iure quoque cernitur fastigium

1. Ita in codice ambrosiano a Ceriano photolithographice edito (Mediolani 1876).

et quasi ipsa persona stultitiae; nam per luxuriam maxime vires superiores deordinantur, ratio et voluntas (cf. S. Thom. 2,2 qu. 153 a. 5 c.). Et stultus ille ac vecors qui blanditiis illis ac promissionibus capitur (cf. Eccli. 23,24 seq.) v. 18 non cogitat ibi esse inferos, in profundis inferni eos qui ab ea invitati erant (hebr.); domus igitur adulterae iam quasi scheol consideratur, maiore emphasi quam antea 7,27 ubi domus eius erat via ad inferos. G et S efferunt stichum priorem : terrigenae apud eam pereunt; alterum stichum praebet G καὶ ἐπὶ πέτευρον ᾅδου συναντᾷ. In vulg. *gigantes* intellige de incolis in scheol, רפאים est scil. nomen stirpis hominum procerae staturae Deut. 2,11. 20; 3,11. Ios. 12,4 etc. verum indicantur etiam (etymologia : macidi) mortui; cf. Is. 14,9; 26,14. 19; supra 2,18 vulg. vocem reddidit inferos (Ps. 87,11 imo eandem vocem legimus in vulg. medici : aut medici suscitabunt pro hebr. mortui surgent).

Parabolae Salomonis.

10,1. *Filius sapiens laetificat patrem; | filius vero stultus moestitia est matris suae.* 2. *Nil proderunt thesauri impietatis; | iustitia vero liberat a morte.* 3. *Non affliget Dominus fame animam iusti; | et insidias impiorum subvertet.* 4. *Egestatem operata est manus remissa; | manus autem fortium divitias parat. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; | idem autem ipse sequitur aves volantes.* 5. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; | qui autem stertit aestate, filius confusionis.* 6. *Benedictio Domini super caput iusti; | os autem impiorum operit iniquitas.* 7. *Memoria iusti cum laudibus; | et nomen impiorum putrescet.* 8. *Sapiens corde praecepta suscipit; | stultus caeditur labiis.* 9. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; | qui autem depravat vias suas, manifestus erit.* 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem; | et stultus labiis verberabitur.*

Inscriptionem non habent G, S; syr. hexapl. praebet : aenigmata Salomonis. Bene notat *Rabanus* : « novum ponit titulum, quia novum genus locutionis incipit, ut non sicut prius de singulis bonorum malorumve partibus diutius disputet, sed alternis versibus actus utrorumque describat ». Et repetitus titulus indicat proprie ea quae sequuntur dici parabolas (*Ians.*).

Excepto v. 10 et 4 b (qui versus non est in hebr. et ab Hieronymo aliunde transsumptus; cf. 9,12) singulae sententiae parallelismo antithetico efferuntur. Filius *sapiens* est probus, *stultus* improbus; « ita passim hoc libro sapiens vocatur probus, stultus vero improbus; quia vera sapientia est ipsa virtus et probitas, ac vicissim summa insipientia est vitium et improbitas » (*Lap.*). Matri tribuitur *moestitia*, תוגה cf. 14,13 (luctus), 17,21 (ignominia, vulg.); Ps. 118,28 (taedium), fortasse, quia mulieres affectibus plus indulgere solent;

Lap. hanc quoque rationem affert, quia indulgentia matris saepe in culpa est malae educationis filii, dum severitas patris filium reddit probum. Opes iniuste acquisitae v. 2 non proderunt, non afferent utilitatem, scil. uti 11,4 declaratur, in die ultionis seu irae Domini; Deus enim quando peccatores punit, eiusmodi muneribus non placatur; cf. Ez. 7,19; argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Verum *iustitia liberat* a perditione, cf. 11,19 iustitia ad vitam; 12,28 in semita iustitiae vita. Tempore iusti iudicii Dei in peccatores sola iustitia praebet securitatem; quare satius est esse pauperem cum iustitia quam ex iniquitate ditissimum. Uti iam in v. 2, ita in 3, illa supponitur norma retributionis temporalis antiquo foederi propria; « in vetere testamento ordinarie Deus non permittebat Iudaeos iustos affligi fame, quia promiserat eis opum frugumque abundantiam, si legem suam observarent » (*Lap.*); cf. 13,25; Ps. 36,25 non vidi iustum derelictum nec semen eius quaerens panem; et potest addi cum *Ians.* esse sententias indefinitas, quae quod in plurimum fit pronuntiant. In v. 3 b et desiderium (hebr. הוה concupiscentiam, aviditatem?) impiorum repellet; cf. 11,6; Ps. 33,11; 36,19; impiorum conamina acquirendi opes subvertet cf. Ps. 1,4.

In v. 4 lege cum S, G, vulg. רֵאשׁ, *egestatem,* paupertatem efficit, producit piger, seu *manus remissa*; diligens producit opes. Alii textum mas. רָאשׁ vertunt : pauper fit qui gerit manum remissam, vel egenus est qui operatur fraudulenta manu (ita versio tigurina, Vatablus, Del.); sed עשׂה nequit ita coniungi. Adiungitur in vulg. versus qui solum in G, S legitur, sed post 9,12; qui mendaciis sibi commoda parare studet, frustra ac vane laborat, est ut homo qui sequitur aves avolantes, i. e. nihil tandem acquiret. Iterum in v. 5 inculcatur : diligentia ditat : colligit in aestate filius prudens; sopori indulget in messe filius G παράνομος (simpliciter : nequam); cf. 6,8.9. Ex notione aramaica מביש esse explicandum in nostro libro *Lagarde* contendit, et eo sensu revera redditur in G hoc loco et 12,4 κακοποιός (cf. *Lagarde,* Anmerkungen z. gr. Uebers. der Proverbien, p. 23). Monet itaque Sapiens, ut *Ians.* adnotat, observandum esse tempus et occasionem in rebus agendis, ut suum quisque pro tempore faciat officium nec occasionem sibi sinat elabi. « Non enim hac aliisque sententiis spectandum quid verba tantum ad literam significent, sed quemadmodum in adagiis et proverbiis, ad quid sententiae illae sint accommodandae et quomodo ad varia applicari per similitudinem commode possint ».

In v. 6 hebr. benedictiones capiti iusti scil. sunt; G, et vulg. : *benedictio Domini super caput iusti,* iustus benedictionem a Domino repor-

tabit; Ps. 23,5 hic accipiet benedictionem a Domino; benedictio defluet in caput iusti, quasi operiet caput eius; *os autem impiorum operit iniquitas* i. e. poena iniquitatis, malum, pernicies obvolvet os, vultum, caput impii; similiter S. Textus hebr. autem : et os impiorum operit iniquitatem, obvolvit, in se continet iniquitatem, abscondit iniquitatem; cf. v. 11; ad quem sensum stichus prior ita ex opposito intelligi potest, ut dicatur : capiti, seu ori iusti sunt benedictiones; iustus cogitat et loquitur benedictiones; impius ore, sermone continet mala, quibus scil. aliis noceat eosque perdat.

Qualem memoriam apud posteros relinquat iustus, declaratur v. 7 *memoria iusti* ad benedictionem, seu benedictioni est (hebr.), G μετ' ἐγκωμίων, vulg. *cum laudibus*; quomodo sit benedictioni, habetur exemplum Gen. 48,20; faciat tibi Deus sicut Ephraim et sicut Manasse vel Ps. 111,7 in memoria aeterna erit iustus, Eccli 44,1 laudemus viros gloriosos, 14 nomen eorum vivit in generationem et generationem. De impio autem dicitur Iob 18,17 memoria illius pereat de terra; cf. supra 2,22 et hoc loco *nomen impiorum putrescet,* ut res putrida putebit et foetebit; cum nausea eius nominis mentionem faciunt, G σβέννυται, sim. S exstinguetur; sed *Aq. Sym.* σαπήσεται, uti hebr. ירקב. Legendum censet *Frank.* ינקב maledicitur; cf. 11,26; alii praeferunt יוקב (cf. *MK.*). Uti 2,1 et 7,2, ita similiter in v. 8 *sapiens corde praecepta,* institutiones, consilia, *suscipit,* sese erudiendum curat; stultus labiis i. e. qui stulta loquitur, labitur (hebr.) cf. 6,13. Verbum לבט etiam Os. 4,14 occurrit (vulg. vapulabit, LXX συνεπλέκετο); recentiores ei notionem labendi, concidendi, pereundi attribuunt; apud Syros significat impellere, instigare, excitare; substantivum לבטא ictuum inflictio; unde interpretatio vulg. *stultus caeditur* commendatur. LXX eo loco praebet ὑποσκελισθήσεται, (fortasse ילכד capietur), *Aq.* δαρήσεται, *Sym.* βασανισθήσεται, *Theod.* φυρήσεται.

Certus de divina ope et protectione esse potest et ideo tuto et secure vivere, v. 9 *qui ambulat simpliciter,* ingenue, in integritate, sine fictione et dolo, is quoque *ambulat confidenter,* secure, tuto; nam ex norma veteris legis iustus et innocens sub peculiari protectione Dei constituuntur; *qui autem depravat,* distorquet, *vias suas,* qui fraudulenter, ficte agit, *manifestus erit,* cognoscetur, fictio enim et pravitas diu latere nequeunt quin se indicio aliquo prodant et deprehendantur (*Lap.*). At iam *Lap.* advertit aliquos vertere : conteretur, proin supponi pro יודע parva mutatione ירוע, quam lectionem *Frank.* quoque commendat, quia ea habetur apta oppositio ad priorem stichum (cf. 11,15, ubi eodem modo inter se opponuntur : affligetur — securus erit). Nam hominem pravum deprehendi, cognosci tamquam talem,

satis debile est, et quia antea homini innocenti et sincero promittitur securitas vitae, viro perverso pernicies instare dicenda erat. In v. 10 agitur de homine maligno, irrisore : *qui annuit oculo,* nictatur petulanter, irrisorie, *dabit dolorem* scil. aliis, quos irridet, G annuere μετὰ δόλου, similiter S; repetitur in hebr. et vulg. 8 b; G (et S) ὁ δὲ ἐλέγχων μετὰ παρρησίας εἰρηνοποιεῖ, qui autem arguit cum libertate, pacificat; quae sententia bene opponitur sticho priori : qui alios irridet vel iis invidet, iis creat molestiam; qui autem cum libertate alios reprehendit, pacem, bonum illorum efficit; ita etiam *Bickell* stichum hunc effert. Reprehensio iusta libere facta opponitur irrisioni et malignitati; dolori opponitur pax seu bonum aliorum.

11. ***Vena vitae os iusti; | et os impiorum operit iniquitatem.*** 12. ***Odium suscitat rixas; | et universa delicta operit caritas.*** 13. ***In labiis sapientis invenitur sapientia; | et virga in dorso eius qui indiget corde.*** 14. ***Sapientes abscondunt scientiam; | os autem stulti confusioni proximum est.*** 15. ***Substantia divitis urbs fortitudinis eius; | pavor pauperum egestas eorum.*** 16. ***Opus iusti ad vitam; | fructus autem impii ad peccatum.*** 17. ***Via vitae custodienti disciplinam; | qui autem increpationes relinquit, errat.*** 18. ***Abscondunt odium labia mendacia; | qui profert contumeliam, insipiens est.*** 19. ***In multiloquio non deerit peccatum; | qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.*** 20. ***Argentum electum lingua iusti; | cor autem impiorum pro nihilo.*** 21. ***Labia iusti erudiunt plurimos; | qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.***

Sermones iusti viri docent alios recte vivere, ut a Deo vitam beatam consequantur (*Lap.*) i. e. *vena,* fons, *vitae os iusti,* fons salutis, vitae felicis sunt colloquia iustorum; impiorum autem sermones abscondunt in se, continent oppressionem; cf. 10,6; Ps. 27,3 qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum; Ps. 10,7 (hebr.) sub lingua eius labor et dolor. Quanta diversitate inter se distent odium et amor, declaratur v. 12 *odium suscitat rixas;* qui gerit animum alienum, aversum ab aliquo, omnem arripit occasionem, vel etiam fingit, ut eum carpat, reprehendat, cum eo contendat, eius defectus palam traducat; sed qui alium revera diligit, defectus eius et naevos non in vulgus spargit, sed *operit,* abscondit, apud se retinet; cf. 17,9. Ampliore sensu quam hic contextus exigit, eadem verba leguntur Iac. 5,20 et 1 Petr. 4,8. Aliter legit S : ignominia operit omnes delinquentes. — Vir prudens et cordatus semper loquitur sapienter, ad rem, uti pro rerum hominumque conditionibus exigitur, et ita loquens omnibus gratus et acceptus evadit, *invenitur sapientia* in labiis eius in v. 13, in sermonibus eius; at qui caret corde i. e. intelligentia, eo modo blaterat, quo sibi castigationem attrahit : hebr. virga (est) dorso carentis corde; cf. 19,29; 26,3. Aliter habet G ὃς ἐκ

χειλέων προφέρει σοφίαν, ῥάβδῳ τύπτει ἄνδρα ἀκάρδιον et S quoque exprimit graecum; et est sensus : in labiis quidem sapientis vere invenitur sapientia; at haec ipsa sapientia est veluti virga in dorso insipientis, quia quantumvis salubrem, ac sapientem admonitionem stultus non secus exsecratur quam virgam nec minus ea affligitur et cruciatur quam virga (*Ians.*)

Aliud discrimen sapientem inter et stultum demonstratur v. 14 *sapientes abscondunt,* recondunt, reservant sibi (cf. 2,1; 7,1) *scientiam,* non omni loco et quavis occasione eam proloquitur sapiens, sed eam recondit, ut tempore opportuno eam promat; vel si quid audivit de alio, id apud se celat, neque in vulgus spargit; os autem stulti vastatio propinqua (hebr.); stultus quaecumque audivit, statim inconsiderate divulgat; quidquid ei venit in mentem, temere manifestat; suspiciones, rumores, calumnias propagat; quare haud raro multum damni, ruinam pacis, vastationem et perturbationem efficit; cf. Eccli. 9,25 terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit. Opes et divitiae sunt possessoribus quasi arx, urbs fortis, qua tuto se continent, v. 15; divitiae divitem muniunt, roborant contra varios vitae casus, amicos ei et defensores conciliant; at ruina pauperum est paupertas eorum (hebr.) i. e. paupertas pauperem exponit inermem iniuriis, vexationibus; non est ei munitio seu vallum, sed ruina, G συντριβή. Ad rem dicitur Eccl. 7,23 : sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Quod vulg. habet *pavor pauperum egestas eorum,* unum solum effert ex multis illis quae in ruina continentur, scil. ob pauperiem eos animis cadere et timore deiici. Veteres applicationem faciunt ad divitias spirituales et inopiam spiritualem. Assignatur in v. 16 differentia inter labores et quaestum iusti et impii : *opus iusti* i. e. id quod labore sibi comparat, quaestus iusti, *ad vitam,* ei bene cedit ad vitam felicem; ei affert benedictionem; *fructus autem impii,* proventus impii, *ad peccatum,* ei cedit ad perniciem, in poenam peccati; vel explica ex notione primitiva חטא (cf. 8,36 non invenire, aberrare, propositum non assequi, fine excidere); quod impius sibi acquirit, est ad inanitatem.

Quid iudicandum sit de disciplina et reprehensione, explicatur v. 17 *via vitae,* custodiens disciplinam (hebr.), si quis custodit disciplinam, haec est ei via ad vitam felicem; *qui autem increpationes relinquit, errat,* aberrat a recta via quae ducat ad vitam felicem, ergo peribit. Prior stichus punctatione hebr. efferri potest (uti iam *Ians.* adnotat אֹרֵחַ) : viator ad vitam est qui custodit disciplinam; ita dura illa iunctio vitatur (cf. *Ewald, Wild. MK.*). Homo mendax celat inimicitias v. 18 *abscondunt odium labia mendacia;* mendax simulat

amicitiam, quo efficacius noceat; *qui profert contumeliam,* calumniam spargit, *insipiens est,* stultus, improbus, utpote contrarius et inimicus sapientiae et virtutis.

Facile committitur defectus in multiloquio v. 19 quare vir prudens retinet seu coercet labia sua i. e. sermones suos, linguam suam custodit; *non deerit peccatum*, explica de quolibet naevo, « quia labente lingua et fallente memoria ac rapiente prurigine loquendi facile veris immiscent falsa, utilibus noxia, necessariis vana et otiosa; ac difficile, imo impossibile est ut cautelam ac circumspectionem quae requiritur, omnibus suis dictis adhibeant » (*Lap.*); cf. 13,3. Quare petitur : pone, Domine, custodiam ori meo (Ps. 140,3) et Eccli. 22, 33 : quis dabit ori meo custodiam et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis et lingua mea perdat me? et 28,28 : ori tuo facito ostia et seras. Sed pretiosi sunt sermones iusti v. 20 *argentum electum lingua iusti*; at quae impii mente versantur vel eorum intelligentia flocci habenda sunt : *cor autem impiorum pro nihilo,* S amaritudo, fel; varia coniectantur, cum hebr. כמעט sicut parvum non congruat (cf. *MK.*). Hoc distichon suppletur et magis explicatur sequenti v. 21 *labia iusti erudiunt plurimos*, hebr. pascunt i. e. regunt; sermones, doctrina iusti aliis multis prosunt eosque dirigunt ad recte vivendum; verum stulti peribunt *in cordis egestate*, quia carent intelligentia. In priore sticho explicatur, qua ratione sit lingua iusti argentum electum; in altero, ad quid tandem impii perventuri sint. Ex ipsa oppositione et nexu hoc apparet iustum accipi pro sapiente, impium pro stulto et has notiones iam eodem sensu usurpari.

22. *Benedictio Domini divites facit | nec sociabitur eis afflictio.* 23. *Quasi per risum stultus operatur scelus, | sapientia autem est viro prudenti.* 24. *Quod timet impius veniet super eum; | desiderium suum iustis dabitur.* 25. *Quasi tempestas transiens non erit impius, | iustus autem quasi fundamentum sempiternum,* 26. *Sicut acetum dentibus et fumus oculis, | sic piger his qui miserunt eum.* 27. *Timor Domini apponet dies, | et anni impiorum breviabuntur.* 28. *Exspectatio iustorum laetitia |, spes autem impiorum peribit.* 29. *Fortitudo simplicis via Domini, | et pavor his qui operantur malum.* 30. *Iustus in aeternum non commovebitur | ; impii autem non habitabunt super terram.* 31. *Os iusti parturiet sapientiam, | lingua pravorum peribit.* 32. *Labia iusti considerant placita, | et os impiorum perversa.*

Prosperitas favore Dei conceditur v. 22. Benedictio Domini, haec ditat (hebr.), in hoc membro hebr. pronomen nequaquam est otiosum; opponitur enim fortunae et nostrae diligentiae (*Ians.*); Dei itaque benedictio est propria et praecipua causa ditans homines iustos; cf. Eccli. 11,23 facile est enim in oculis Dei subito ditare paupe-

rem, et « nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt aedificantes ». (Ps. 126, 1.2); *nec sociabitur eis afflictio*, Deus facit, ut eis quos ditat non societur afflictio, sed ut cum quiete et pace fruantur bonis, ut omnis absit moeror, dolor; ita quidem vulg. et similiter G, S; sed hebr. potius edicit : et non addit labor cum ea i. e. sola benedictio Dei, non labor hominis cum ea efficit prosperum successum; quae sententia congruit cum Ps. 126,1. 2. At hebr. verti quoque potest : et non addit (Dominus) laborem cum ea, qua ratione veteres intellexerunt. Sicuti iocus est stulto facere flagitium (hebr.); v. 23 *quasi per risum stultus operatur scelus*, indicatur, quanta facilitate et pronitate improbus sese proiiciat in rem turpem (cf. hebr. זמה), quanta quoque oblectatione, et insuper flagitium tamquam rem nullius quasi momenti considerat : iocus est. Ei opponitur : sapientia est viro intelligentiae; quae sententia tamen satis debilis esse videtur comparata sticho priori; id quod iam bene sensit *Ians.* unde ita invertit : prudenter vir sapiens intelligit quam seria res sit operari scelus et ad quantum malum perducat hominem; hoc intelligere est viro magna sapientia (cf. *Lap.*). Idem sensit *Frank.*, quare emendat textum כחמה : sicut ira viro intelligenti, i. e. si flagitium perpetratur, pro stulto est res de qua ridet, pro sapiente autem est res indignationis et irae.

Proponitur norma retributionis et iudicii : non est pax impiis — dicite iusto, quoniam bene (cf. Is. 3,10) v. 24 *quod timet impius*, cf. 1,26, *veniet super eum*; desiderium autem iustorum dabit (hebr.) scil. Deus; impii timent iudicium Dei; iusti autem desiderant, ut Deus iudicet et causam iusti tueatur. Et ita eveniet; v. 25 *quasi tempestas transiens*, i. e. celeriter, sicut tempestas transiens, impius abripietur; sed hebr. potius : cum tempestas scil. Dei iudicium transeat, impius iam non apparet; iustus autem ista tempestate iudicii non concutietur; verum est *fundamentum sempiternum;* cf. Ps. 124,1 qui confidunt in Domino sicut mons Sion; non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem. Impius vero est sicut pulvis quem proiicit ventus a facie terrae (Ps. 1,4); securitas iusti describitur Ps. 90. In v. 26 subito apparet illa forma, quae praecipue cernitur in parte illa Proverbiorum 25,1-29,27; raro in hac parte (11,22); v. 26 *sicut acetum dentibus,* suo acrore scil. dolorem dentibus affert et stuporem; cf. Ez. 18,2 uvam acerbam comederunt et dentes obstupescunt, *et fumus oculis,* est ingratus et molestiam affert, *sic piger his qui miserunt eum,* molestiam creat et damnum iis infert. Sequitur in v. 27 alia sententia normam illam exhibens retributionis (cf. v. 24. 25) *timor Domini,* pietas, cultus Dei *apponet dies*; cf. 3,2; 4,10; Ex.

20,12; *et anni impiorum breviabuntur,* Ps. 54,24. Bene erit iustis v. 28 *exspectatio iustorum laetitia,* quod sperant et quod illis obveniet, est salus et gaudium; *spes autem impiorum peribit*; frustra sibi promittunt pacem et felicitatem; misere se esse deceptos deprehendent; cf. Iob 8,13; Ps. 111,10 desiderium peccatorum peribit. Dei modus agendi rebusque providendi est firma protectio viri in integritate et simplicitate vitam agentis v. 29 *fortitudo simplicis,* munimentum, arx quaedam firma simplici est *via Domini*; verum haec via Domini, seu ratio gubernandi sortes hominum est *pavor,* ruina cf. v. 15, *his qui operantur malum*; cf. 21,15. Melius explicabis hebr. : fortitudo est Iahve simpliciter ambulanti. Pro via G habetur φόβος, timor, cultus Dei : ὀχύρωμα ὁσίου φόβος Κυρίου, et eo modo textus bene restitui potest. Uti in v. 25, ita in v. 30 *iustus in aeternum non commovebitur;* securus ac tutus sub Dei gubernatione vivet; impii autem non incolent terram, vel quia morte praematura abripiuntur, vel quia ab hostibus expellentur. Iustum esse simul sapientem etiam indicatur v. 31 *os iusti parturiet,* fructum affert *sapientiam* cf. v. 11; et lingua perversitatum exscindetur (hebr.); cf. 8,13 os perversitatum odivi; homo qui perversa, insidiosa loquitur delebitur e populo Dei, pro qua poena נכרת adhiberi solet (Ex. 12,15. 19; 31,4; Lev. 7,20 sq. Num. 9,13, etc.). Et simili oppositione dicitur v. 32 *labia iusti considerant placita,* iustus cogitat, quomodo loquatur quae placita sunt; *os impiorum perversa*; impii mente volvunt, quomodo perversa et insidiosa proferant; eorum os seu loquela sunt perversitates (hebr.), nisi verbum e priore sticho supplere malueris.

11,1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum, | et pondus aequum voluntas eius.* 2. *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; | ubi autem est humilitas, ibi et sapientia.* 3. *Simplicitas iustorum diriget eos, | et supplantatio perversorum vastabit illos.* 4. *Non proderunt divitiae in die ultionis; | iustitia autem liberabit a morte.* 5. *Iustitia simplicis diriget viam eius; | et in impietate sua corruet impius.* 6. *Iustitia rectorum liberabit eos, | et in insidiis suis capientur iniqui.* 7. *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, | et exspectatio sollicitorum peribit.* 8. *Iustus de angustia liberatus est, | et tradetur impius pro eo.* 9. *Simulator ore decipit amicum suum; | iusti autem liberabuntur scientia.* 10. *In bonis iustorum exsultabit civitas, | et in perditione impiorum erit laudatio.* 11. *Benedictione iustorum exaltabitur civitas, | et ore impiorum subvertetur.*

In commercio servandam esse iustitiam et integritatem saepius inculcatur; ita quoque v. 1 bilances fraudis, *statera dolosa, abominatio est apud Dominum*; et lapis perfectus (seu integer), pondus itaque iustum, nec maius nec minus, beneplacitum eius (hebr.); pondera ex lapide, ferro, aere conficiebantur, ne attritione paulatim pondus alte-

raretur. In emendo et vendendo iustitia servetur oportet; quare mensura duplex seu pondus severe prohibetur; ne scil. emptor aliquid addat vel venditor demat; unde Deut. 25,14 non habebis in sacculo diversa pondera maius et minus, nec erit in domo tua modius maior et minor; cf. Os. 12,7; Am. 8,5; Mich. 6,11 et infra 16,11 et 20,10. Homines superbi sibi acquirent ignominiam v. 2 venit superbia et venit ignominia (hebr.); illi vero qui modesti, humiles sunt, eo ipso se praebent sapientes, et cum humilibus sapientia (hebr.) vel apud humiles est vera sapientia. Significatur superbiae comitem esse ignominiam, humilitatis autem sapientiam; idque vel ob id quia superbus excaecatus sua superbia alios fere contumelia et ignominia afficit, humilis autem sapienter apud se agnoscit quam ex se nihil sit ac proin neminem prae se facile despicit; insuper superbia maxime est exsecrabilis Deo et hominibus; punit Deus superbos aut errore in consiliis capiendis aut infelicitate eventuum, homines autem communiter superbum despiciunt; praeterea superbus facile committit, unde ignominiam et contumeliam patiatur. Ab eiusmodi periculis servatur humilis, cuius animi dispositio quam maxime apta est ad agendum prudenter, et sicut Deus superbis resistit, ita humilibus dat gratiam (*Ians.*).

Securitas et felicitas continget iustis v. 3 *simplicitas,* integritas, *iustorum diriget eos,* scil. tuto ducet; vastatio autem et ruina continget perfidis : et perversitas perfidorum vastabit eos (hebr.); sua ipsorum pravitate sibi calamitatem creant. Ab ultione divina et poena peccator non poterit se opibus suis redimere, v. 4 *non proderunt divitiae in die ultionis,* irae; cf. 10,2; Ez. 7,19; Soph. 1,18; una salus consistit in iustitia coram Deo; cf. 10,24.30. Idem quoque enuntiatur in v. 5 *iustitia simplicis diriget viam eius,* facit viam eius rectam, planam; homo integer moribus vitam aget felicem, absque offendiculo; verum in iniquitate sua cadet iniquus; ipse sibi perniciei est; cf. 5,22; Ps. 7,17 in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Tempore iudicii divini et iustae retributionis v. 6 *iustitia rectorum liberabit eos;* at perfidi capientur in sua concupiscentia, aviditate (hebr.), qua scil. in varia peccata impulsi sunt quorum poenas luere debebunt; cf. Iac. 1,15 concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. Prout v. 7 legitur in hebr. et vulg., uterque stichus eandem enuntiat sententiam, id quod mirum videtur; G autem priorem stichum aliter effert : mortuo homine iusto non perit spes, *et exspectatio sollicitorum peribit,* hebr. אונים alii explicant virorum iniquitatis, alii robustorum, alii (tanquam notionem abstractam) improbitatis; *Bickell*

corrigit אולים G τῶν ἀσεβῶν, ita S quoque. Duas sententias comparatione inter se efferri censet *Lap.* : sicut in morte perit omnis spes impii, sic pariter omnis exspectatio hominum anxie et sollicite cupiditati opum inhiantium. In v. 8 sensus esse videtur : dum iustus ex periculo liberatur, impius loco eius in idem periculum incidit; *et tradetur impius pro eo* i. e. in eius quasi locum succedit, in eandem scil. angustiam. Id praeprimis evenire solet, si impius iusto malum inferre studet. Tum Deus iustum liberat et facit ut impius poenam talionis luat et in malum incurrat quod iusto struxit; uti Aman incurrit in furcam quam struxerat Mardochaeo, et inimici Danielis in fauces leonum quos Danieli appararant; senes adulteri inciderunt in lapidationem quam machinati erant Susannae (*Lap.*). Ad hunc locum notat Didymus alex. : « cum laqueus positus sit ab impio adversus iustum, pius eripitur a Deo; impius vero a divina providentia derelictus in illum cadit; traditur impius non ab alio, quam a sua propria malitia, quoniam iam antea se tradiderat in mentem reprobam » (M. 39,1634). Homo improbus utique conatur perdere proximum; at iustus, qui simul qua iustus, est sapiens quoque (cf. 10,20.21.31) scientia sua salvus evadet; ita in v. 9 *simulator,* hypocrita, vel generatim improbus (hebr.) *ore decipit,* perdit, perdere vult, *amicum suum* vel proximum suum; *iusti autem liberabuntur scientia sua ab insidiis,* similiter v. 6. In prosperitate et felicitate, cum prospere iustis omnia succedunt (*Lap.*) v. 10 *exsultabit civitas*; est enim iustitia et virtus per se amabilis et veneranda et eam a Deo praemio affici omnibus valde exoptatum; impios autem interire et tolli *erit laudatio,* iubilatio, communis laetitia; laudatur Dei iustitia; erit gaudium, quod ab impiorum vexatione et iniuriis omnes sunt liberati; cf. 28,12.28; 29,2. Quare sit gaudium, etiam ratio redditur v. 11 *benedictione iustorum exaltabitur civitas,* cum iusti bene precantur civitati, Deus preces eorum exaudit; piis eorum desideriis obsequens civitati prosperitatem largitur; e contra *ore impiorum* i. e. eorum dolis, calumniis, obtrectationibus, quibus odia et inimicitiae et dissidia gignuntur, *subvertetur*; quare etiam est exsultatio, si eiusmodi pacis perturbatores et seminatores discordiarum et seditionum tolluntur.

12. *Qui despicit amicum suum indigens corde est,* | *vir autem prudens tacebit.* 13. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana;* | *qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* 14. *Ubi non est gubernator, populus corruet;* | *salus autem, ubi multa consilia.* 15. *Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo;* | *qui autem cavet laqueos, securus erit.* 16. *Mulier gratiosa inveniet gloriam;* | *et robusti habebunt divitias.* 17. *Benefacit animae suae vir misericors;* | *qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit.* | 18. *Impius facit opus instabile;* | *seminanti autem iustitiam*

merces fidelis. | 19. *Clementia praeparat vitam;* | *et sectatio malorum mortem.* 20. *Abominabile Domino cor pravum;* | *et voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant.* | 21. *Manus in manu non erit innocens malus;* | *semen autem iustorum salvabitur.* 22. *Circulus aureus in naribus suis,* | *mulier pulchra et fatua.* 23. *Desiderium iustorum omne bonum est;* | *praestolatio impiorum furor.*

Hominis stulti est, proximi vitium et defectum cum contemptu notare, de eo loqui, eum vilipendere et deprimere; qui contemptus ex superbia oritur, superbia vero ipsa fere proxime accedit ad insipientiam; unde vere in v. 12 dicitur : *qui despicit amicum,* proximum, *suum, indigens corde est,* eget intelligentia, vecors est; *vir autem prudens tacebit,* in silentio secum rem perpendit, non statim alterius defectum evulgat, cavet secum ipso a iudicio praecipite, rem celat, neque se iudicem et monitorem omnium esse existimat. Minime secreti tenax est qui calumniari et detrahere solet v. 13 *qui ambulat fraudulenter* ad calumniandum, calumniator, *revelat arcana; qui autem fidelis est animi,* fidus, vir spectatae fidei, *celat amici commissum,* rem tegit (hebr.), apud se servat. Qua observatione simul traditur norma prudentiae omnibus, ut bene perpendant, cui tandem res graves et quae secretae manere debeant communicandae sint. Quam opus sit regimine pro multitudine, declaratur v. 14 si deest gubernatio, prudens consilium et administratio (cf. hebr.), *populus corruet,* opponitur ad v. 11 exaltabitur; in altero sticho regi seu magistratui traditur doctrina valde utilis, ne scil. suae quisque prudentiae nimium fidat; nam *salus autem* erit, *ubi multa consilia* in multitudine consiliariorum; cf. 15,22; 24,6. Eccl. 10,16 vae tibi terra, cuius rex puer est.

Rem periculo plenam cernit Sapiens in fideiussione, seu cautione v. 15 *affligetur malo qui fidem facit pro extraneo,* quia vel si fidem fecit (hebr.); cf. 6,1-5; qui odit fideiussionem, securus erit; תוקעים proprie manu plaudentes, manu data sese obligantes — verum hic certe adhibetur tamquam nomen abstractum, sicuti similia habentur Zach. 11,7.14; Eccl. 4,1 (*Frank.*); זר alienus, extraneus; attamen etiam adhibetur in notione magis generali alius quidam; v. g. 1 Reg. 3,18 et Prov. 5,17; 6,1 et hac notione explica hoc loco, uti quoque ex 6,1-5 suadetur. Explica vulg. cum *Ians. : qui autem cavet laqueos* hoc est, fideiussiones quibus homo se ipsum illaqueat et obligatum facit, *securus erit* a multis periculis et molestiis. Quod v. 16 *mulier gratiosa inveniet gloriam,* honorem, auctoritatem, existimationem, exhibetur in narratione de Abigail, de Esther et Iudith *et robusti,* hebr. violenti, tyranni, *habebunt,* accipient, acquirent *divitias*; notat *Ians.* : in utroque membro idem est verbum, in cuius repetitione consistit vis

et elegantia huius versus; ad verbum ergo sic habetur : mulier gratiae apprehendet gloriam, et fortes apprehendent divitias. Cum aliis in locis opes et divitiae proponantur tamquam merces quam Deus iustis largiatur (cf. 3,10. 16. 33; 6,11; 8,18. 21; 10,22 benedictio Domini, haec ditat), hoc loco fortasse sententia est : uti mulier gratiosa veluti vi quadam sibi acquirit honorem, ita violenti vi sibi arripiunt possessiones. Aliter textum efferunt G et S : mulier gratiosa suscitat viro gloriam; thronus autem ignominiae mulier odio habens iusta. Divitiarum indigi fiunt pigri, fortes autem nituntur divitiis. Unde aliqui coniectant G legisse חרוצים i. e. diligentes, assidui. Verum textus hebr. potest retineri. Nam habetur oppositio inter effectum quem obtinet gratia et violentia; iam 22,1 melius est nomen bonum quam divitiae multae; super argentum et aurum gratia bona; mulier ergo gratia sua maius bonum consequitur, honorem, quam violentus sua violentia. Secundum G textum hebr. duobus distichis esse constituendum, censent *Bickell, Frank. MK.*

Ex norma retributionis divinae explicetur oportet v. 17 *benefacit animae suae* i. e. sibi ipsi *vir misericors,* sibi bonum procurat, sibi prodest; nam sua in alios misericordia sibi favorem Dei conciliat, fontem bonorum omnium; dum e contra affligit carnem suam crudelis (hebr.), quia duro suo in alios agendi modo iram et vindictam Dei iusti iudicis sibi attrahit. Interpres vulg. intellexit carnem de propinquis; cf. Gen. 37,27 frater enim et caro nostra est. Sententiam hanc alii quandoque explicant : qui sibi beneficus est, erit etiam misericors erga alios; qui in se ipsum durus est, erit crudelis in alios. Quae tamen acceptio iam eo relinquenda est, quia in vita communi nullatenus vera comprobatur. Nam saepe is qui pro se bene sollicitus est, in alios est parcus; neque quicumque sibi aliquid denegat, in alios crudelis est; imo e contra saepe qui sibi ipsi multum laboris et abnegationis imponit, in alios valde mitis ac clemens esse invenietur. Cernitur eadem norma retributionis in v. 18 *impius facit opus instabile,* quaestum fallacem vel mendacem (hebr.), quod ille acquirit, fallax est; non manet; e contra *seminanti iustitiam merces fidelis,* stabilis, constans; cf. 10,16. Eadem norma effertur quoque in v. 19 *clementia*[1] *praeparat vitam* felicem scil. ac longam (cf. 3,2. 16-18; 8,35), *et sec-*

1. In hebr. צדקה iustitia. Notum est vocem tempore posteriore saepius reddi ἐλεημοσύνη, ita Eccli 7,10 et 12,3 in hebr. legitur צ׳, graece autem ἐλεημοσύνη; idem cernitur Dan. 4,24. Quae vocis acceptio quasi etiam apparet hic in versione latina clementia. Etiam alias in Proverbiis vox non tam iustitiam quam probitatem et integritatem, totam indolem viri probi, fidelis, benigni designat; cf. 10,2; 11,4-6,18; 12,28; 13,6, etc. ubi attendendum est quid in membro parallelo *iustitiae* opponatur.

tatio malorum mortem praematuram (cf. 1,26.27.32; 2,18-22; 4,19; 5,5.23). In hebr. legitur initio v. 19 כן, potest verti : item (ita) iustitia ad vitam; alii : firmus in iustitia (*Frank.*), G, S legerunt בן υἱὸς δίκαιος; ita *Bickell* quoque; alii emendant רֹעֶה cf. 15,14, Os. 12,2. Ps. 37,3 (*Wild. MK.*) : qui studet iustitiae, ei erit ad vitam; operam dare iustitiae est saluti, et qui consectatur malum, ei erit ad mortem.

Cor perversum, vel hebr. perversi corde abominationi sunt Domino
v. 20 et beneplacitum eius sunt integri quoad viam, quoad vitae rationem, *et voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant*; cf. 2,21. Obscurum est quid sibi velit in v. 21 יד ליד; G varia supplet χειρὶ χεῖρας ἐπιβαλὼν ἀδίκως, S extendens manum suam contra alium, vulg. *manus in manu,* recentiores non consentiunt; esse aenigma ait *Lap.* et enumerat duodecim expositiones. Dictio legitur quoque 16,5; recentes proverbii loco complosionem manuum significari autumant qua exprimatur : profecto, vere *non erit innocens,* impunitus, *malus,* certissime poenas luet improbus; aliis placuit exponere : per generationes (de manu in manum), quae expositio ex altero sticho orta esse videtur. In midrasch ad Proverbia locutio hunc in modum declaratur : veni et vide; homini sunt duae manus; si cum una furatur, cum altera autem eleemosynam largitur, non erit in futuro tempore innocens; item si quis ore iuramentum emittit corde autem id repudiat, num erit impunitus? minime; nam « manus in manu, non erit innocens malus » (cf. Wünsche, *l. c.,* p. 36, ubi plura eiusmodi exempla ponuntur); *semen* (filii, posteri) *autem iustorum salvabitur*; cf. Ex. 20,5 visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me. In v. 22 occurrit primum exemplum eorum proverbiorum, in quibus symbolum et res immediate iuxta ponuntur (cum particulis comparationis cf. 10,26) v. 22 *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua*; ista parabolarum forma praesertim habetur cap. 26. Mulieres eiusmodi anulis per dextram narium partem traductis sese ornare solebant (Gen. 24,47). Finge suem tali anulo ornatum et habes imaginem mulieris pulchrae, sed carentis sensu, ingenio seu intelligentia (cf. hebr.); iunguntur male pulchritudo et stoliditas; corporis ornatus et mentis morumque foeditas. Uti 10,24 et 28 sors iusti et impii declaratur, ita hic v. 23 *desiderium iustorum omne bonum est,* dumtaxat bonum est (hebr.); iusti scil. ex Dei retributionis norma non exspectant ultimatim nisi bonum; *praestolatio impiorum furor*; impii solum praestolari et exspectare possunt iram Dei. Prior stichus posset quidem explicari, ut alii volunt : iustus nil aliud desiderat nisi bonum; sed ex altero sticho cogimur sententiam de sorte utrique obventura

explicare, non autem de utriusque animi sensu et appetitu quem continuo foveant; iustis tandem (in die Domini) nihil nisi bonum instat, impios manet ira eius. Non substantivum, sed verbum exprimunt G ἔλπις ἀπολεῖται, al. ἀπόλλυται, syr. hexapl. abit.

24. *Alii dividunt propria et ditiores fiunt;* | *alii rapiunt non sua et semper in egestate sunt.* 25. *Anima quae benedicit impinguabitur,* | *et qui inebriat ipse quoque inebriabitur.* 26. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis,* | *benedictio autem super caput vendentium.* 27. *Bene consurgit diluculo qui quaerit bona,* | *qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.* 28. *Qui confidit in divitiis suis corruet,* | *iusti autem quasi virens folium germinabunt.* 29. *Qui conturbat domum suam possidebit ventos;* | *et qui stultus est serviet sapienti.* 30. *Fructus iusti lignum vitae* | *et qui suscipit animas sapiens est.* 31. *Si iustus in terra recipit,* | *quanto magis impius et peccator!*

Saepe expensas fieri cum lucro, tribus declaratur sententiis v. 24-26. Ita v. 24 hebr. est large tribuens et additur adhuc; quamvis aliqui large de suis opibus tribuant, tamen ditiores fiunt; omnia prospere iis cedunt benedictione Dei. Et est e contra qui retinet de debito, solum ad inopiam (hebr.); avarus et nimis parcus non auget, sed minuit divitias. Id itaque experientia constare aliquando Sapiens asserit, quod contrarium esse videtur, ditescere liberalem, inopem fieri parcum. Alterum stichum G effert εἰσὶν καὶ οἱ συνάγοντες ἐλαττονοῦνται, et similiter S, et ita quoque vulg. illud συνάγοντες ampliatur *rapiunt non sua,* qua declaratione clarius indicatur ex norma retributionis eos debere constitui in egestate. Convenienter aptari posse hanc sententiam etiam ad dona spiritualia veteres monent. Qui enim ea in aliorum utilitatem expendunt, talenta sibi data conduplicant; qui vero eis non bene utuntur, sed abstinent ab aequo et bono quod per ea operandum erat, pauperiores fient, iuxta illud Christi : omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo (*Ians.*). Simile ex aliis quoque sententiis facile colliges. Prior stichus nova sententia confirmatur v. 25 *anima quae benedicit impinguabitur,* anima benedictionis (hebr.) i. e. quae benedictionem, bona, distribuit, vel etiam quae benedictionem, gratiarum actionem ab aliis accipit ob beneficia praestita; hac liberalitate favorem Dei sibi conciliat et bonis ab eo ditabitur. Similiter, *qui inebriat,* alios reficit, recreat, ipse quoque recreabitur, amplam reportabit mercedem. Verum qui ex aliorum inopia ditescere vult, maledictionibus se obnoxium reddit v. 26 *qui abscondit,* retinet (hebr.) *frumenta,* maledicit ei populus; qui in annonae caritate retinet frumentum, quo scil. carius vendat is maledictionibus obruitur; inopes maledicere solent oppressoribus, illamque maledictionem non carere effectu, vide Eccli. 4,5.6.

Contra tales agit Amos 8,4-7. Sed qui tempore caritatis annonae frumentum vendit pretio consueto, hic beneficus laudatur : *benedictio super caput vendentium,* ab hominibus et a Deo ei obveniet benedictio ; cf. 10,6.

Iterum norma retributionis statuitur v. 27 hebr. : qui sedulo quaerit bonum, appetit beneplacitum, scil. Dei, qui sectatur malum, veniet ei. Sensus vulg. videtur esse : *qui quaerit bona,* sedulo surgit iam summo mane ; sine tergiversatione optime usus tempore ad opus se accingit ; G sensum refert, qui operetur bonum, eum quaerere gratiam bonam. E contra *investigator malorum opprimetur ab eis* ; improbus sibi ipsi maximo est damno ; cf. Eccli. 27,29 qui foveam fodit incidet in eam, et qui statuit lapidem proximo offendet in eo et qui laqueum alii ponit peribit in illo. Similiter sequitur ex norma retributionis, v. 28 *qui confidit in divitiis suis,* iste (hebr.) *corruet* ; talis quippe fiducia reputatur inter scelera, vide Iob 31,24 et Ps. 51,9 ; *iusti autem quasi* (*virens*) *folium germinabunt* ; cf. Ps. 51,10 ego autem sicut oliva fructifera speravi in misericordia Dei ; cf. Os. 14,6 ; optimum habebunt successum ; bene prosperabunt. In v. 29 enuntiatur eum qui male administrat rem familiarem, redactum iri ad extremam inopiam : *qui conturbat domum suam, possidebit ventos,* hereditabit ventum (hebr.) i. e. nihil tandem habebit, in nulla re successum habebit. Ita ad inopiam redactus servus fit stultus sapienti corde (hebr.) ; debebit apud virum prudentem famulari.

Quae iustus loquitur et agit, aliis sunt commodo et utilitati v. 30 *fructus iusti* (G iustitiae) *lignum vitae* ; cf. 3,18 ; iustus aliis ostendit viam ad arborem vitae, ut scil. ad vitam felicem perveniant ; sapiens quoque sua agendi ratione et sua doctrina *suscipit animas,* alios ad se attrahit, alios lucratur, eos omni opere dirigit ad virtutem et salutem (*Lap.*). Stichum hunc alterum G et S aliter efferunt : auferuntur autem intempestivae animae iniquorum ; qui stichus ob antithesin melius commendatur quam quod in hebr. legitur. Et praeterea monet *Frank.* לקח נפש solum significare vitam eripere, uti habetur 1,19 et eodem modo Ps. 31,14 et Ez. 33,6. Dein advertit G 10,6 et 13,2 legi ἄωρον (uti hoc loco ἀφαιροῦνται δὲ ἄωροι ψυχαὶ παρανόμων), ubi hebr. vox חמס reperitur ; unde colligit etiam in textu nostro pro חכם sapiens illam vocem esse legendam ; et ita distichum conficit : fructus iustitiae arbor vitae, et rapit vitam iniquitas.

Sensum quem G exhibet in v. 31 etiam sequitur S. Petrus : et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt (1 Petr. 4,18) ; ita quoque S ; ad eundem sensum etiam hebr. accipi potest : ecce iustus in terra recipit i. e. si iustus pro levioribus non manet impuni-

tus, *quanto magis impius et peccator?* ita *Lap. Calm. Del.*; et *recipit* in utroque sticho eadem notione accipitur; alii explicant de remuneratione iustorum hac in vita, ex qua quasi exigatur punitio improborum; sed ex remuneratione iustorum non sequitur maiorem punitionem iniquorum inferri debere; ceterum experientia quoque haec norma minime stabilitur. Quare prior explicatio retinenda erit, cui etiam *recipit* semel eodem sensu adhibitum favet. Iustos autem etiam pro minoribus puniri, exempla habes in Aaron et Moyse; puniri pro gravioribus, satis docet historia David.

12,1. *Qui diligit disciplinam diligit scientiam; | qui autem odit increpationes insipiens est.* 2. *Qui bonus est hauriet gratiam a Domino; | qui autem confidit in cogitationibus suis impie agit.* 3. *Non roborabitur homo ex impietate; | et radix iustorum non commovebitur.* 4. *Mulier diligens corona est viro suo; | et putredo in ossibus eius quae confusione res dignas gerit.* 5. *Cogitationes iustorum iudicia; | et consilia impiorum fraudulenta.* 6. *Verba impiorum insidiantur sanguini; | os iustorum liberabit eos.* 7. *Verte impios et non erunt; | domus autem iustorum permanebit.* 8. *Doctrina sua noscetur vir; | qui autem vanus et excors est patebit contemptui.* 9. *Melior est pauper et sufficiens sibi, | quam gloriosus et indigens pane.* 10. *Novit iustus iumentorum suorum animas; | viscera autem impiorum crudelia.* 11. *Qui operatur terram suam satiabitur panibus; | qui autem sectatur otium stultissimus est. Qui suavis est in vini demorationibus | in suis munitionibus relinquit contumeliam.*

Oppositio habetur v. 1 : amans disciplinam sapit, odio habens increpationes desipit; unde facile eruitur, ubi sit subiectum et praedicatum grammaticale. Nam per se posset prior stichus ita intelligi, ut diligens disciplinam sit praedicatum : qui diligit scientiam amans est disciplinae, cum in hebr. saepe praedicatum priorem locum occupet; verum in altero sticho בער est praedicatum (desipit, homo brutus est), ergo simili modo explica priorem. Ceterum indicatur nexus intimus inter disciplinam et sapientiam, inter fugam correptionis et stultitiam. Vir bonus v. 2 accipiet a Domino favorem, salutem cf. 8,35, habebit beneplacitum Dei, at virum dolosorum consiliorum damnat, impium reputat Dominus (hebr.); quod vulg. habet, explica de cogitationibus dolosis, consiliis fraudulentis, quibus sibi bonum successum promittens nititur. Impietate minime afferri robur et stabilitatem docetur v. 3; haberi autem et acquiri per virum iustum; cf. 10,2. 25; si radix firma est, firma est arbor; cf. 11,30; aliqui vident in radice symbolum posteritatis, uti semen, generatio iustorum non commovebitur, firmiter ac feliciter permanebit. Mulier fortis describitur 31,10; hic in v. 4 dicitur : *mulier diligens* (fortis חיל hebr. in utroque loco) *corona est viro suo,* sua scil. diligentia, sedulitate, prudenti rei familiaris administratione mulier strenua viro procurat

opes, honorem, aestimationem; et sicut caries in ossibus eius nequam (hebr.), mulier flagitiis dedita virum affligit, dedecorat, infamia afficit, molestia et moerore conficit; ossa putredine seu carie paulatim mollia fiunt, concidunt; ita mulier nequam robur, honorem, dignitatem viri destruit.

Non solum actiones et verba, verum etiam v. 5 *cogitationes iustorum* (sunt) *iudicia,* ad normam recti et iuris fiunt; dum e contra *consilia impiorum fraudulenta,* alios decipere et damno afficere student. Haud incongrue advertit *Ians.* : « ut solidum huius versus assequamur sensum, oportet observare elegantiam quae est in lingua originali; sunt enim hic in unoquoque membro tres tantum dictiones, syllabarum numero cum iisdem fere punctis sibi correspondentes. Ad verbum sic est : cogitationes iustorum, iudicium; consilia impiorum, dolus; hoc est, iustorum cogitationes omnes in hoc sunt ut iustitiam servent; e contra improbi illuc omnia sua consilia conferunt, ut per dolos et fraudes circumveniant alios ». Indicatur quale sit argumentum cogitationum et consiliorum. Verbis dein insidias struunt v. 6 *verba impiorum insidiantur sanguini* cf. 1,11; sunt insidiae (hebr.), insidiantur calumniis, falsis accusationibus, oppressionibus; cf. Mich. 7,2. Sed *os iustorum,* consilia, monita, sermones *liberabit eos* cf. 10,11 vena vitae os iusti; multiplicem utilitatem aliis praebent; ostendunt quomodo e periculis sese eripiant; aliis patrocinantur suffragio suo. Minus congruit quod *Frank.* vult : iusti sermonibus suis se ipsos e periculis eripiunt; aliud est quod legitur 11,6. Monet *Ians.* : os iusti Danielis liberavit Susannam ab insidiis seniorum. Verum impii concident ruina v. 7 *verte impios et non erunt,* hebr. infinitivus ponitur, quo actio magis efferatur : vertit impios, evertit, subvertit, scil. Deus; cf. 10,25; quam primum ruunt, etiam plane disparent; *domus autem iustorum permanebit*; cf. v. 3; 10,25.

In hebr. v. 8 secundum intelligentiam suam laudatur vir; vulg. *doctrina sua noscetur vir,* explica eodem sensu : noscetur cum aliorum laude et existimatione; at perversus corde erit contemptui (hebr.); id quod explicatius vulg. habet; cor hoc loco potius pro intelligendi facultate poni videtur; vir insipiens, stolidus patet contemptui, quippe qui distorta proferat et modo perverso, a ceterorum hominum ratione longe alieno, sentiat et loquatur. Sententia plana est ex vulg. v. 9 *melior est pauper et sufficiens sibi,* praestantior est plurisque merito fit pauper qui laborando sufficientem sibi victum procurat, *quam gloriosus et indigens pane,* qui nobilem se et magnificum iactat et ne panem, victum quidem habet. In sticho priore hebr. habet : melior est qui parvi penditur et servum

habet, vel in meliore conditione is est qui quamvis contemptus sit tamen servum habet qui ei victum labore suo procurat — exiguo pretio posse servum comparari et in usu esse apud orientales monent, ut vir etiam exiguae rei familiaris habeat servum. Veteres tamen aliter textum explicant, G et *Sym.* δουλεύων ἑαυτῷ, item S, et recentiores quoque עֹבֵד (obed) esse legendum censent (*Bickell, Frank. MK.*) et explicant : satius est ut quis sit contemptus et agrum suum colat, quam ut quis se gloriose iactet dum non habeat quod comedat; cf. Eccli. 10,30 melior est qui operatur et abundat in omnibus quam qui gloriatur et eget pane. Agere videtur Sapiens contra opinionem popularem, labore manuum sibi victum comparare rem esse contemptu dignam, et virum pauperem qui cogatur laborare esse contemptibilem.

Iustus misericors est, crudelis impius v. 10 *novit iustus iumentorum suorum animas* i. e. attendit, curam gerit suorum iumentorum; anima symbolum est et sedes appetitus, affectionis; rationem igitur habet, ne nimium illis onus et laborem imponat; *viscera autem impiorum crudelia,* cor crudele et durum habet impius; sedes affectuum reponitur apud veteres in visceribus; S viscera impii sunt occlusa. In lege varia statuuntur quibus iumentorum et avium ratio habetur Ex. 20,10. Deut. 22,4. 6. 10; 25,4. Commendatur industria v. 11 *qui operatur terram suam satiabitur panibus*; a Sapiente agricultura saepius commendatur; cf. Eccli. 7,16. 24; 20,30; *qui autem sectatur otium,* ריקים res vanas, LXX μάταια, *stultissimus est,* 28,19 aptius ad priorem stichum legitur : satiabitur egestate (hebr.). Additur alterum distichon G, vulg. : *qui suavis est in vini demorationibus* διατριβαῖς, qui iucundus in vini conversationibus (symposiis) immoratur, *in suis munitionibus relinquit contumeliam,* in domibus, urbibus, locisque aliis relinquet infamiam et ignominiam. In ebrietate enim talia committuntur, quae dedecori sint.

12. *Desiderium impii munimentum est pessimorum;* | *radix autem iustorum proficiet.* 13. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo;* | *effugiet autem iustus de angustia.* 14. *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis* | *et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.* 15. *Via stulti recta in oculis eius,* | *qui autem sapiens est audit consilia.* 16. *Fatuus statim indicat iram suam;* | *qui autem dissimulat iniuriam callidus est.* 17. *Qui quod novit loquitur index iustitiae est;* | *qui autem mentitur testis est fraudulentus.* 18. *Est qui promittit et quasi gladio pungitur conscientiae;* | *lingua autem sapientium sanitas est.* 19. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum;* | *qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacii.* 20. *Dolus in corde cogitantium mala,* | *qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

In v. 12 G, S sensum planum exhibent : ἐπιθυμίαι ἀσεβῶν κακαί (S ad

faciendum malum). Textum vulg. explicant : desiderant impii muniri ac roborari pessimos, ut scil. eorum societate et robore se suamque impietatem communiant et stabiliant contra viros principesque pios et probos (*Lap.*), vel : impii praesidium e pessimis petunt, securos se ac beatos censent pessimorum approbatione et patrocinio (*Calm.*); vulg. supponit hebr. מצור; textus mas. fert מצוד; venatio? praeda? rete; igitur : cupit flagitiosus praedam venaticam malorum; vel ex notione vocis certa : desiderium flagitiosi est rete malorum; vel (ex aramaismo) : flagitiosus cupit capere רֵעִים proximos (*Wild.*). Verum hae omnes sententiae non satis congruunt neque opponuntur ad alterum stichum : *radix autem iustorum proficiet,* S germinabit, G ἐν ὀχυρώμασιν, hebr. יתן dabit (supplent : fructum; alii emendant איתן perennis). Ut habeatur oppositio *Bickell* ita textum mutat : columnae impii corruentes, radix iustorum munimentum (ἐν ὀχυρώμασιν?). Sermonem fraudulentum sedulo esse vitandum docet v. 13 hebr. in malitia labiorum (est) laqueus malus, vel (emenda secundum G נוקש, similiter S) in malitia labiorum capitur malus; sensu eodem vulg. *ruina proximat malo,* perditio ei instat, eum manet; *effugiet autem iustus de angustia*; cf. 11,8; iustus enim cautus est et verax in loquendo; ideo periculum illud quo malus obstringitur evitat, quia praevaricationem labiorum sedulo vitat; cf. 29,6.

Retributio non deerit v. 14 *de fructu oris sui* verborum *unusquisque replebitur bonis,* si utique bonos sermones, quasi semen bonum, emiserit; et opus hominis retribuet ei (Deus); ita hebr. (qeri); eodem sensu in vulg. legitur. In v. 15 recurrit monitum iam 3,7 datum : *via stulti recta in oculis eius,* stultus id quod ipse concipit, iudicat, amat, concupiscit, censet esse aequum et rectum; cum is soleat simul esse superbus, pertinax, obstinatus, et suis cupiditatibus et opinionibus affixus, non ei in mentem venit alios consulere. Aliter agit sapiens : *qui autem sapiens est audit consilia*; cf. 13,10; sapiens enim de se demisse censet; inde suo iudicio non satis fidens alios consulit; id quod magnae est prudentiae, quia unus minime omnes rerum conditiones potest habere perspectas; quattuor oculi, ut aiunt, plus vident quam duo. Alia effertur agendi ratio stulti et sapientis v. 16 *fatuus statim indicat iram suam*; si quid molesti expertus est, statim hoc aliis indignabundus et stomachans enarrat et aegritudinem animi prae se fert; at tegit ignominiam callidus (hebr.), vir prudens silet et apud se retinet, si qua ignominia affectus est, satius esse censens illam occultare. Bene notat *Lap.* : « hinc illud elegans Hebraeorum proverbium : בכיס (in crumena) בכוס (in calice), בכעס (in ira) maxime cognoscitur indoles et ingenium hominis; in crumena eius avaritia

seu liberalitas, in calice sobrietas vel ebrietas, in ira eius prudentia vel imprudentia ». Priorem stichum effert vulg. sicut G et S; hebr. per emphasin : fatuus — mox cognoscitur ira eius.

Inter se opponuntur testis verax et testis mendax : v. 17 hebr. qui spirat veritatem (testis verax), annuntiat iustitiam i. e. rectum, testis mendax annuntiat fraudem (hebr.); homo veritatis amans *index iustitiae est* i. e. id enuntiat quod verum et rectum est; mendax autem *testis est fraudulentus*; cf. 6,19. Comparantur temere garrulus et sapiens v. 18 hebr. : est effutiens sicut compunctiones gladii, et lingua sapientium sanatio (est sanans); bene sensum G εἰσὶν οἳ λέγοντες τιτρώσκουσιν μάχαιραι, sunt qui loquentes vulnerant ut enses; similiter S sunt qui loquuntur pungentes enses; qui itaque acerba loquacitate alios vehementer laedunt et pungunt; sapiens vero sermonibus suis medicinam, sanationem affert moestis et afflictis. Interpres vulg. verbum בטה retulit ad Lev. 5,4 et Num. 30,7 et explicavit de promissione temere facta, cuius promittentem mox poeniteat : *quasi gladio pungitur conscientiae* : cur me obstrinxi? cruciatur recordatione; *lingua sapientium sanitas,* sapiens ea loquitur quibus eius pax et bonus animi habitus non turbatur. Pariter verax et mendax comparantur v. 19 *labium veritatis firmum erit in perpetuum,* et quamdiu durat et permanet mendacium? in hebr. (ad verbum) : dum nictor oculis, i. e. per brevissimum momentum, lingua mendax; « veritas est stabilis et aeterna, falsitas labilis et momentanea » (*Lap.*). Verax homo firmiter a Deo protegetur; mendax non poterit diu latere; ex norma retributionis id colligendum est. Quod vulg. habet : *testis repentinus,* explica (et similiter G μάρτυς δὴ ταχύς et S) qui temere, sine praevia consideratione loquitur *concinnat linguam mendacii,* sese exponit periculo falsi testimonii. Versiones non legerunt עד donec, sed עֵד testis. Ad oppositionem habendam in v. 19 textus hebr. plane factus est : veritas aeterna, mendacium momentaneum. Vulgaris sententia est mendacem oportere memorem esse; mendacia inter se non cohaerent; qui mentitur, vix sibi diu constare potest; mox deprehenduntur architecti mendaciorum, quia pugnantia narrant. Alia effertur oppositio in v. 20 *dolus in corde cogitantium,* fabricantium, *mala,* isti nihil nisi perniciem creant et dolorem; e contra felicitatem, gaudium procurant : *qui autem pacis ineunt consilia* (*sequitur eos*) *gaudium,* qui ea decernunt, consulunt quae aliis pacem, felicitatem efficiunt, qui itaque veram aliorum utilitatem cordi habent, hisce praesto est laetitia. Apud fabricatores malorum invenitur fraus et deceptio; apud promoventes pacem et bonum, laetitia (antithesis iucunda in lingua originali : mirma, simcha, *Ians.*).

v. 21. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit; | impii autem replebuntur malo.* 22. *Abominatio est Domino labia mendacia; | qui autem fideliter agunt, placent ei.* 23. *Homo versutus celat scientiam, | et cor insipientium provocat stultitiam.* 24. *Manus fortium dominabitur, | quae autem remissa est, tributis serviet.* 25. *Moeror in corde viri humiliabit illum, | et sermone bono laetificabitur.* 26. *Qui negligit damnum propter amicum iustus est, | iter autem impiorum decipiet eos.* 27. *Non inveniet fraudulentus lucrum; | et substantia hominis erit auri pretium.* 28. *In semita iustitiae vita; | iter autem devium ducit ad mortem.*

Quod in Psalmo 90 multis modis celebratur de protectione Dei iustis concessa, brevi formula praedicatur quoque v. 21 non occurret iusto quidquam molestiae (infortunii, hebr.); cf. Ps. 90,10 non accedat ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; norma retributionis hoc loco brevissime proponitur; iustus felix est in protectione Dei, *impii autem replebuntur malo*; G, S priorem stichum aliter reddunt : οὐκ ἀρέσει τῷ δικαίῳ οὐδὲν ἄδικον, qua acceptione oppositio evanescit et cum ea forma usitata proverbiorum; textus hebr. et forma verbi hebr. commendatur quoque Ps. 91,10. In vulg. indicatur firma fides et fiducia iusti, qua sibi conservat animi aequitatem et pacem, quidquid accidat. Deus qui est ipsa veritas abominatur v. 22 *labia mendacia,* voluntas seu beneplacitum eius sunt facientes veritatem (hebr.) sive *qui fideliter agunt*; cf. 6,17; 11,20. Quale sit in loquendo discrimen inter prudentem et stultum, tangitur v. 23 *homo versutus,* cautus, *celat scientiam* id quod scit, arcanum, vel peculiare artificium quod sibi magno lucro est (cf. 10,14); ex adverso *cor insipientium* proclamat, alta voce praedicat *stultitiam,* omnia quae audierunt statim propagant et effutiunt, qua loquacitate sibi ipsi notam inconsiderantiae et imprudentiae inurunt. Vir prudens non iactat suam scientiam neque aliis eam quasi obtrudit; insipiens vero nugas et ineptias nequit apud se retinere; cf. v. 16. Quod in vulg. habetur cor insipientium provocat stultitiam ita potest accipi : cor insipientium latentem in se stultitiam non cohibet, sed provocat ad exercendum et manifestandum se stulto sermone. Commendatur itaque hoc versu silentium, ut per quod et scientia et stultitia prudenter tegitur; procacitas loquendi damnatur, per quam scientia et insipientia imprudenter detegitur (*lans.*). Commendatur sedulitas v. 24 *manus fortium,* sedulorum, strenuorum, *dominabitur*; nam diligentia et labore parantur opes, auctoritas, dominium; *remissa tributis serviet* homo piger fit tributarius, mercenarius; cum enim desidia sua aut rem familiarem dilabi et perire siverit aut nihil sibi acquisierit, debebit tandem ad vitam sustentandam se in servitium dare.

Sollicitudo, angor, sive v. 25 *moeror in corde viri* deiiciet, incurva-

bit illud (cor); sermo bonus laetificabit illud; cura anxia animum sternit; sermo iucundus erigit. Qui damnum suum negligit, ut proximi commodis consulat, certe insigniter iustus et caritate plenus est; quem sensum habet vulg. v. 26. De textu hebr. varia tentata sunt; punctatione mutata aliqui vertunt : explorat pascuum (מִרְעֵהוּ) suum iustus, iustus sedulo seligit viam suam (?), G praebet ἐπιγνώμων δίκαιος ἑαυτοῦ φίλος ἔσται, quod Procopius ita explicat, qui Deum agnoscit iudicem eiusque voluntatem facit, vere se ipsum amat; *iter autem impiorum decipiet eos,* impii itinere suo ruunt in perniciem. Alii priorem stichum explicant : reprehendit (יסר) amicum suum iustus; S dat proximo suo iustus bonum consilium. In v. 27 homo piger et diligens inter se opponuntur; *non inveniet fraudulentus,* piger, *lucrum*; hebr. aliqui vertunt : non assabit piger venationem suam, vel non excitabit, scil. quia nimis piger est; alii verbo mutato, vertunt, ut G, S, vulg: οὐκ ἐπιτεύξεται, non inveniet, θήρας, piger non invenit feram, vel fera pigro non occurrit, quia ob desidiam laborem venationis subire non vult. Aliter se habet vir sedulus : κτῆμα δὲ τίμιον G, quae verborum collocatio attendatur oportet; quare hebr. vertendum erit : substantia viri diligentis erit pretiosa; vulg. falso חרוץ aurum intellexit. Iterum effertur terminus oppositus ad quem tenditur ratione vitae opposita v. 28 *in semita iustitiae vita,* terminus eius qui incedit in via iustitiae est vita, beatitas; *iter autem devium* declinans a iustitia, G ὁδοὶ δὲ μνησικάκων, S viae iracundorum, *ad mortem,* ad perniciem. Textus mas. eodem modo erit emendandus (cf. *Bickell, Wild. MK.*).

13, 1. *Filius sapiens doctrina patris,* | *qui autem illusor est non audit, cum arguitur.* 2. *De fructu oris sui homo satiabitur bonis;* | *anima autem praevaricatorum iniqua.* 3. *Qui custodit os suum custodit animam suam;* | *qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala.* 4. *Vult et non vult piger;* | *anima autem operantium impinguabitur.* 5. *Verbum mendax iustus detestabitur;* | *impius autem confundit et confundetur.* 6. *Iustitia custodit innocentis viam;* | *impietas autem peccatorem supplantat.* 7. *Est quasi dives cum nihil habeat;* | *et est quasi pauper cum in multis divitiis sit.* 8. *Redemptio animae viri divitiae suae,* | *qui autem pauper est increpationem non sustinet.* 9. *Lux iustorum laetificat;* | *lucerna autem impiorum exstinguetur.* 10. *Inter superbos semper iurgia sunt;* | *qui autem agunt omnia cum consilio reguntur sapientia.* 11. *Substantia festinata minuetur,* | *quae autem paulatim colligitur manu multiplicabitur.* 12. *Spes quae differtur affligit animam;* | *lignum vitae desiderium veniens.*

Quia filius sapiens doctrinam patris non solum suscipit, sed etiam in se refert ac repraesentat, sicut imago repraesentat suum exemplar, dici potest v. 1 *filius sapiens* (*est*) *doctrina patris;* alii, uti praeter alia iam *Lap.* indicat, assumunt verbum audit ex altero sticho : filius sapiens audit doctrinam, disciplinam patris; alii textum emendant :

filius sapiens amat disciplinam. G ὑπήκοος πατρί, item S filius sapiens est obediens, subditus patri; hebr. explicarunt formam hophal a יסר; fortasse haec emendatio commendanda est (cf. *Lagarde*); *illusor non audit*, i. e. non dicto audiens est, non obedit increpationi; cf. **12,1**. Iustus, G ἀγαθός, sermonibus suis sibi bona comparat v. **2**; cf. **12,14**; dicitur quidem in universum *homo*, איש, verum intelligi iustum ex re ipsa et ex oppositione elucet; *anima* i. e. desiderium, appetitus, studium, *praevaricatorum*, perfidorum, est oppressio (hebr.) vel suppleto verbo ex priore sticho : anima comedit oppressionem, satiatur oppressione, seu crudelitate in alios exercita; i. e. perfidi alios opprimere desiderant; cf. **12,10** viscera impiorum crudelia. Verbum ex priore sticho apte suppleri iam monuit *Lap.* : sicut anima bona satiatur fructu boni sui eloquii quo alios docuit bona, dum propter illud gaudebit se id boni praestitisse, sic ex adverso anima praevaricatorum satiabitur iniquitate, est aliis violenta. Talem animam perituram esse S effert, immature perituram esse G habet (idem fere stichus **11,30** apud G, S).

Commendatur v. **3** custodia oris; nam ista custodia simul custoditur anima a defectibus et peccatis; cf. Eccli. **28,29. 30** attende ne forte labaris in lingua; nam diducens labia (hebr.), G ὁ δὲ προπετὴς χείλεσιν, vulg. bene sensum declarat *inconsideratus ad loquendum sentiet mala*, ruina ipsi (hebr.), sibi ipsi perniciem creat, sibi ipsi erit ruinae; cf. **10,19**. Bene describitur in vulg. v. **4** piger, *vult et non vult*; pigri voluntas est languida et torpida, ut ipse nesciat an velit an nolit; et quod nunc vult, mox non vult abhorrens omnem serium conatum et laborem. Ex hebr. desiderat vehementer et nihil est (i. e. frustra) anima pigri; sed e contra *anima autem operantium impinguabitur*, desiderium strenuorum ubertim explebitur; sedulitate et industria opes acquiruntur. Iustus v. **5** *verbum mendax detestatur*, alienus est ab omni fraude; Deus enim est veritas; iustus imaginem Dei in se referens pariter veritatem colit; *impius autem confundit*, hebr. foetidum reddit i. e. calumniatur, aliis maculas suis mendaciis aspergit, et pudore afficit (hebr.) i. e. alios suis detrectationibus et mendaciis afficit ignominia eosque facit erubescere. Ita habetur oppositio ad iustum veritatis amatorem et sectatorem. Possunt quidem verba hebr. verti (ut v. g. *Frank.* vertit) : agit impudice et ignominiose; verum necessario requiritur oppositio ad studium veritatis, cui deditus est iustus.

Probitas fruitur protectione divina v. **6** *iustitia custodit* integritatem viae (hebr.) i. e. eum qui sancte, integris moribus vivit; homo pius in sua pietate et integritate habet firmissimam promissionem fore, ut singulari ratione a Deo custodiatur et protegatur; e contra,

impietas autem peccatorem supplantat, peccatum (hebr., abstractum pro concreto? vel scribendum חטא?). S iniquum perdit iniquitas eius; *Bickell* quoque emendat : impios perdit peccatum, sicut etiam in codice alexandrino G legitur. In v. 7 hebr. traditur monitum, ne quis specie externa seu simulatione sese decipere sinat : est qui se iactat (fingit, simulat) divitem, et nihil habet, et qui se simulat pauperem et habet opes multas, ita genuine vertendum esse, iam *Lap.* monet. Inculcatur itaque, non facile esse iudicandum ex specie externa, eo quod illa saepe fallat, quia ex rationibus vel virtutum vel vitiorum alius et alius aspectus seu habitus assumi potest. Pro diversis delictis poena pecuniaria erat statuta seu compensatio v. g. in animalibus praestanda; cf. Ex. 21,22; 22,7-17. Lev. 6,5. Deut. 22,19. 29; quare dives facile poterat poenam exsolvere et pecunia sua se redimere v. 8 *redemptio animae,* λύτρον pro se vel pro vita *viri divitiae suae*; cf. Eccl. 7,13 sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Alii cogitant de latronibus, ex quorum manibus et ex periculo mortis dives se redimere potest (*Del. Wild.*) et ad hanc acceptionem accommodant alterum stichum : sed pauper non audit increpationem (hebr.), « sed pauperi nihil tale metuendum est; procul ab illo timor invidiae, procul latronum metus, nec erit qui eius marsupium petat stricto in iugulum pugione » (*Calm.*); explicant : non audit i. e. non necesse est ut audiat, non debet audire. Nam « pauper saepe increpationes, accusationes, lites ob hoc evadit, quod pauper sit, quod non habeat opes quibus alii inhiant » (*Lap.*). At cum verba sint eadem quae v. 1 leguntur, ea acceptio manet dubia. G οὐχ ὑφίσταται ἀπειλήν inops non sustinet comminationem.

Symbolum prosperitatis ac felicitatis est lux, sicut tenebrae adversitatis et infelicitatis; unde v. 9 *lux iustorum laetificat* (si hebr. piel legitur); eorum felicitas et ipsis et aliis est gaudio, quia in ea praemium cernunt virtutis; hebr. laetatur i. e. eorum prosperitas est magna valde; verum si quid prosperitatis habere videntur impii, mox evanescet : *lucerna* (exigua illa felicitas) *impiorum exstinguetur*; cf. Iob 18,5; 21,17.

Solum iurgium (exsistit) in superbia i. e. per superbos (ita hebr.) et cum accipientibus consilium sapientia; superbia gignit lites; qui bona consilia sequuntur, se sapientes exhibent. Eundem fere sensum praebet vulg. in v. 10; cf. 11,2, quare hic quoque aliqui legi malunt : et cum humilibus sapientia (*Frank. MK.*). Sed accipere aliorum consilia, prudentiae simul ac modestiae (humilitatis) signum est; solum forma hebr. niphal hic exhiberet sensum ac notionem plane singularem (נועצים). Aliter stichos exhibent G, S : malus (רע pro רק) cum

arrogantia facit mala; sui ipsorum cognitores sunt sapientes. In hebr. יתן explicari poterit : iurgium dant (homines) in superbia, vel cum G emenda : iurgium dat malus in superbia; cf. 10,24. In v. 11 hebr. fert : divitiae ex vanitate minuentur, scil. acquisitae ex vanis, iniquis modis artibusque; similiter G μετὰ ἀνομίας, item S; vulg. *substantia festinata,* ἐπισπουδαζομένη, nimia festinatione per fas et nefas corrosa, *minuetur,* cf. 20,21, etiam hic hebr. legendum cum G erit מבהל et haec notio in syr. hexapl. etiam attribuitur *Sym.* et 5. versioni; qui enim celerrime divites fieri volunt, etiam iniustos modos acquirendi non abhorrent; quare quae iniuste acquisita sunt, non poterunt consistere; et colligens ad manum i. e. paulatim locupletabitur, augebit divitias. Qui enim sensim colligit, is non temere nec praecipitantia nimia id facit, sed prudenter, ideoque opes firmas, stabiles efficit, nec inconsiderate collectas expendit, seu prodigit, sed eis addere quotidie satagit (*Lap.*). Etiam in hoc sticho G addit μετ' εὐσεβείας et similiter S in iustitia. Dilatio desiderii angit et cruciat mentem v. 12 *spes quae differtur affligit animam,* facit cor aegrotum (hebr.); retardatio rei speratae molesta evadit; impletio iucunda : *lignum* arbor *vitae desiderium veniens,* impletum; cf. 3,18; 11,30; est impletio desiderii quasi quidam fructus arboris vitae, quo homo novo vigore et robore confortatur et suavissime exhilaratur et voluptate quadam perfunditur. Infirmitati seu aegrotationi cordis pulchre opponitur lignum vitae, cuius est vivificare cor et sanare eius infirmitatem. Spe protracta cor fit languidum, animus quasi tabe quadam conficitur; at rei desideratae praesentia animus novas haurit vires et confortatus exhilaratur (cf. *Ians.*). Inde insinuatur admonitio, ne quem promissionibus detineamus; id quod satis tangitur in G et S. G enim et similiter S ita fere habent : melior est qui incipit auxiliari quam is qui promittit et in spem adducit (vel animum suspensum tenet in exspectatione). Nam beneficium inopi bis dat, qui cito dat.

v. 13. *Qui detrahit alicui rei ipse se in futurum obligat; | qui autem timet praeceptum, in pace versabitur. Animae dolosae errant in peccatis; | iusti autem misericordes sunt et miserantur.* 14. *Lex sapientiae fons vitae, | ut declinet a ruina mortis.* 15. *Doctrina bona dabit gratiam; | in itinere contemptorum vorago.* 16. *Astutus omnia agit cum consilio; | qui autem fatuus est aperit stultitiam.* 17. *Nuncius impii cadet in malum; | legatus autem fidelis sanitas.* 18. *Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam; | qui autem acquiescit arguenti glorificabitur.* 19. *Desiderium si compleatur delectat animam; | detestantur stulti eos qui fugiunt mala.* 20. *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit; | amicus stultorum similis efficietur.* 21. *Peccatores persequitur malum; | et iustis retribuentur bona.* 22. *Bonus relinquit heredes filios et nepotes; | et custoditur iusto substantia peccatoris.* 23. *Multi cibi in novalibus patrum; | et aliis congregantur absque iudicio,* 24. *Qui parcit virgae odit filium suum, |*

qui autem diligit illum instanter erudit. 25. Iustus comedit et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis.

Verba vulg. in v. 13 explicari possunt, qui male de qualibet re loquitur, hanc sibi obligationem inducit, sive ut asserta defendat, sive ut revocet seque mendacis nota inuri sinat (*Calm.*); qui detrahit rei bonae, eam contemnit, hic obligat se iudicio Dei (*Lap.*). Communiter explicant hebr. qui contemnit verbum, i. e. monitum legis vel sapientium, ei oppigneratur, i. e. postea poena edoctus intelliget sibi incubuisse debitum obedientiae (cf. *Wild.*); alii : qui contemnit monitionem, peribit (sibi, in suum damnum; vel melius delebitur לו, *Frank.*); *qui autem timet praeceptum,* qui legem Dei reveretur et observat, *in pace versabitur,* LXX ὑγιαίνει, hebr. retribuetur ei (**11,31**), vel alia punctatione : securus, tutus erit; *Aq. Sym.* et **5.** versio : εἰρηνεύει. Adiungitur in vulg. distichon, quod G legitur ad v. 9 : *animae dolosae errant in peccatis,* a recta via declinant, in tenebris errant; *iusti autem misericordes sunt et miserantur* cf. Ps. **36,21**; **111**,5. Institutio ac doctrina sapientis v. 14 est *fons vitae,* affert vitam felicem; cf. **10,11**; cuius effectus est, *ut declinet a ruina mortis,* ut recedatur a laqueis mortis (hebr.); ea scil. doctrina imbutus procul abest a laqueis mortis, ab infelicitate et interitu; novit scil. quomodo varia pericula evitet. — Gratus et acceptus est vir intelligens et probus v. 15 *doctrina* intelligentia, *bona dabit gratiam*; cf. **3,4**; sed via praevaricatorum *vorago*, ἐν ἀπωλείᾳ, S ad interitum; hebr. איתן sensu caret; scribendum erit אידם pernicies eorum (cf. *Wild. MK.*); modus vivendi, conversatio perfidorum ipsis erit perniciei. Sed in oppositione ad priorem stichum potius exspectandum erat : via perfidorum dabit odium, aversionem, vel ingrata et exosa est. Vir prudens cuncta agit consideratione praemissa v. 16 *astutus* hebr. omnis prudens agit cum scientia, *agit cum consilio*; stultus, *fatuus* expandit (hebr.) *aperit stultitiam*; cautus agit cum deliberatione; stultus res temere aggreditur, importune; subsidia inepta adhibet, et ita prodit coram omnibus stultitiam; cf. **12,23**.

Agitur in v. 17 de nuntio seu legato; ex eo quod *legatus fidelis* dicitur esse *sanitas,* i. e. salutaris, scil. iis qui eum miserunt bonum praestat obsequium, facile consequitur in priore sticho agi a contrario de nuntio malo qui creet molestiam et calamitatem iis qui eo usi sunt; unde hebr. merito emendatur a recentioribus יפיל : nuntius impius *facit cadere* in malum (cf. *Wild. Frank. Bickell, MK*), affert calamitatem. — Quanti momenti sit disciplina, statuitur v. 18 *egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam*; a Deo punitur egestate, ab

hominibus ignominia; insuper reiecta probitate et prudentia facile fit, ut ipsa res familiaris pessumdetur et apud homines opprobrium incurratur; verum custodiens increpationem, seu *qui acquiescit arguenti,* institutionem seu disciplinam qui animo suscipit, *glorificabitur*, auctoritatem sibi et honorem acquiret, quia rite edoctus prudenter omnia peragit et probe ac pie vivens divina benedictione fruitur.

De v. 19 notat *Calm.* : « sententia est per se quidem perspicua, sed non satis agnoscitur, quo nexu utrumque membrum huius versiculi iungatur; hebr. desiderium impletum dulcescit animae, et abominatio stultorum (est) recedere a malo. Quantum nos capimus voluptatis, cum desideratis potimur, tanto horrore abominantur stulti quaecumque a mali consecutione eos impediunt ». Bonorum desiderium implet Deus et eo impleto gaudent; tale sibi promittere minime possunt illi quibus est abominationi relinquere malum, et qui hac ipsa sua animorum dispositione se probant esse stultos; nam sibi occludunt Dei beneficia; cf. Eccli. 1,26. Aliter neque incongrue explicat *Ians.* quomodo prior pars conveniat sequenti. Res enim desiderata si habeatur delectat animum, ac ob id fit ut stulti qui bonis praesentibus quae desiderant gaudent nolint recedere ab illis. Dicunt enim : praestat frui praesentibus desideratis quam spe futurorum cruciari ac desideratis carendo recedere a malo.

Quibuscum commercium habendum sit, qui vitentur, innuitur v. 20 *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit,* hebr. (ketib) ambula cum sapientibus et sape; cf. Eccli. 6,36; 8,10; 9,21; et conversans cum stultis male habebit, affligetur (hebr., 11,15; nota roe — jeroa); discet scil. ab eo mores improbos et ita iram Dei et calamitatem sibi attrahet; imo sibi ipse sola imprudentia parabit flagella. Denuo firma retributionis norma statuitur v. 21 *peccatores persequitur malum,* infortunium, fortuna adversa; cf. 11,21. 27; et iustis retribuet (Deus) bonum (hebr.). Quae sententia statim comprobatur v. 22 *bonus relinquet heredes filios et nepotes,* facit hereditare filios filiorum; opes eius transeunt ad nepotes; imo ad divitias boni etiam accedent opes peccatoris : *et custoditur* (servata manet) *iusto substantia peccatoris* vel possessio. Peccatores non per generationes transmittent opes; diu enim prosperitas malorum consistere nequit; cf. Eccl. 2,26. Iob 27, 17. Sap. 10,19 iusti tulerunt spolia impiorum.

Quid proprie enuntietur in v. 23, obscurum est : *multi cibi in novalibus patrum,* hebr. vertunt : novale pauperum (ניר ראשים) i. e. praebet multum cibum; novale est ager qui prima vice colitur. Si isti pauperes pii sunt, declaratur benedictio Dei qua abundantia cibi illis

suppeditatur. Et alter stichus varie vertitur : et est qui pereat improbitate (*Del.*); et (יש) possessio corrasa modo iniusto (*Frank.*). Sed utraque acceptio non caret difficultate. Et in priore quidem mirum est affirmari *aliquos* perire improbitate; nam omnes impios punitum iri, constans est assertio in hoc libro; neque sensus esse potest aliquos pios perire improbitate aliorum; id quod pariter est contra normam retributionis constanter assertam ; — in altera versione dubium movet versio *corrasa,* nam voci נספה communiter tribuitur notio pereundi, etc. Praeterea sensus quoque praebet offensionem; priorem stichum ita mutat *Frank.* multi cibi novale *impiorum*; exsisteret ergo distichon quo opes impiorum efferuntur, sed ita ut contra impietatem et iniustitiam nihil poenae aut calamitatis indicaretur, id quod pariter est contra indolem libri huius. Textus vulg. potest ita intelligi : multos cibos parant sibi filii ex agris patrum (si insistant laboribus patrum et eorum diligentiam aemulentur) — at imprudenter aliis congregantur, i. e. quia prodigi sunt et bona in alios profundunt; vel negligentes et improvidi sinunt sua perire et ab aliis occupari (*Lap.*). In G (et similiter S) habetur sententia : iusti facient in divitiis annos multos; iniusti autem peribunt brevi. Ex *Theod.* praebet syr. hexapl. : magnus comedit novale indigentium.

Traditur doctrina quaedam educationis v. 24 *qui parcit virgae odit filium suum*; cf. 3,12. Eccli. 30,1, ubi additur ratio castigationis utilis et necessariae : ut laetetur in novissimo suo et non palpet proximorum ostia; modus et mensura castigationis exponitur altero sticho : *qui autem diligit illum, instanter erudit,* hebr. mature quaerit ei disciplinam; G ἐπιμελῶς παιδεύει, diligenter erudit; item S sollicite eum instituit. Imbuendus est puer bonis moribus; ad id autem opus est institutione, doctrina et castigatione quoque, qua germina malarum cupiditatum exscindantur seu reprimantur. Demum repetitur fere gnome 10,3 in v. 25 *iustus comedit* ad saturitatem animae suae, ad saturitatem suam (hebr.); iustus non premitur inopia; habet quo satietur; cf. Ps. 36,25 iunior fui, et senui et non vidi iustum derelictum et semen eius quaerens panem; verum penuria affligitur improbus : venter impiorum egebit (hebr.) non saturatur, sed egestate et fame conficitur; eodem sensu explica *insaturabilis,* ob penuriam et egestatem, in quam vel ob socordiam vel ob Dei maledictionem incurrit (*Lap.* hinc et insaturabilis sumi potest pro *insaturatus*; et revera in latinitate vulg. hoc non est inauditum; ita dicitur vitulus conflatilis i. e. conflatus Ex. 32,4; plaga desperabilis i. e. desperata Ier. 15,18; odibilis i. e. exosus Eccli. 7,28. Tit. 3,3; similiter sculptilis, tornatilis, placabilis).

14,1. *Sapiens mulier aedificat domum suam; | insipiens exstructam quoque manibus destruet.* 2. *Ambulans recto itinere et timens Deum | despicitur ab eo qui infami graditur via.* 3. *In ore stulti virga superbiae; | labia autem sapientium custodiunt eos.* 4. *Ubi non sunt boves praesepe vacuum est; | ubi autem plurimae segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* 5. *Testis fidelis non mentitur; | profert autem mendacium dolosus testis.* 6. *Quaerit derisor sapientiam et non invenit; | doctrina prudentium facilis.* 7. *Vade contra virum stultum, | et nescit labia prudentiae.* 8. *Sapientia callidi est intelligere viam suam; | et imprudentia stultorum errans.* 9. *Stultus illudet peccatum, | et inter iustos morabitur gratia.* 10. *Cor quod novit amaritudinem animae suae, | in gaudio eius non miscebitur extraneus.* 11. *Domus impiorum delebitur; | tabernacula vero iustorum germinabunt.*

Formam v. 1 ab origine fuisse talem, qualis in vulg. cernitur, merito censet *Frank.*; effertur enim in textu mas. prudentissimae mulierum; ad quod minime congruit singularis cum suffixo pronominis sing. fem. בֵּיתָהּ; idem obstat emendationi ab aliis propositae : sapientia mulierum.

Quare aut cum vulg. legere oportebit, aut solum scribere : sapientia aedificat domum suam et stultitia eam destruit. Sed qualem domum aedificat sapientia? Sententia vulg. optime congruit; cf. 12,4. Per domum intellige familiam et rem familiarem, pro qua mulier strenua et sapiens optime providet; quam vero mulier iners et stulta negligit et pessumdat. Quod vulg. dicit in v. 2 iustum despici a flagitioso, utique accidere potest; at plana et clara est sententia ex hebr. : ambulans in rectitudine est timens Iahve; et perversus viis suis despicit eum (Iahve). Ut habeatur plenus parallelismus, explica : qui ambulat in rectitudine, timet seu colit Deum. Ita indicatur bonam et iustam vitam facillime coniungi cum cultu Dei et tali vita quasi praeparari et induci cultum Dei, dum moribus perversis gignatur contemptus Dei. Sicut virtus parit timorem et cultum Dei, sic vitium et vitiosa vita parit Dei et religionis contemptum (*Lap.*). Sed iam veteres interpretes advertunt sensum etiam esse posse causalem : causa cur quis ambulet recta virtutis via, est timor Domini; et causa cur quis perverse ambulet, est quia despicit Deum. Discrimen explicationis est in collocatione praedicati et subiecti : ambulans... timens Deum. Praedicatum saepe priore loco poni notum est. Verti quoque potest : ambulans in rectitudine timet Dominum etc., ita ut significetur vitam ipsam testari internum Dei vel timorem vel despectum.

Sermo stulti, seu v. 3 *in ore stulti virga superbiae,* lingua sua quasi virga iactantiae et arrogantiae alios flagellat conviciando, calumniando, irridendo; verum ita sibi ipsi quoque haud raro verbera infligit, dum aliorum in se concitat iram et vindictam. Alii parumper corrigunt hebr. legentes : sermo stulti est virga pro eius tergo ita, ut

pro גאוה (superbia) legatur גוה (tergum eius; גו tergum); sed G βακτήρια ὕβρεως et similiter S, *Theod.* Verba autem seu *labia sapientium custodiunt eos*; sapientes suis sermonibus sibi cavent, se tuentur et incolumes se servant; ergo prudenter, modeste loquuntur, alieni a superbia et mordacitate; cf. 10,13; 13,3. — Ubi non sunt iumenta, agricultura prostrata iacet v. 4 *ubi non sunt boves, praesepe vacuum est,* agri non coluntur, ideoque et frumentum et palea deest; horreum et praesepe vacuum est. Eius rei oppositum est : et copia proventuum in robore bovis (hebr.) i. e. ubi taurus robustus habetur ad colendum agrum. Quid haec sententia sibi hic vult? commendaturne agricultura? aut cura animalium, ut 12,10? exhiberi doctrinam censet *Del.* ut apta adhibeantur subsidia ad certam rem assequendam. Bene *Calm.* indicari ait, ubi labor formidatur, proventus nullos percipi; sententiam dein applicant ad varios ordines hominum et ad strenue laborandum (cf. *Lap.*). Ceterum *fortitudo* hoc loco potius dici de numero, iam *Calm.* adnotavit et consentiunt recentiores : magnus proventus, cum multi possidentur tauri (*Frank.*).

Fere repetitur 12,17 et 6,19 in v. 5 *testis fidelis non mentitur,* spirat autem mendacia testis falsus seu *dolosus.* Frustra quaerit homo profanus et petulans sapientiam v. 6; nam in malevolam animam non introibit sapientia (Sap. 1,4); timor Domini initium est sapientiae; a tali autem timore Dei *derisor,* cuius indoles petulantia et irrisio est, longe abest. E contra prudenti, intelligenti, scientia est *facilis*; a tali facile acquiritur; nam prudens intelligitur esse pius; habet itaque mentem bene dispositam; talis cordate et serio quaerit et ab aliis quoque doceri desiderat; cf. 2,1-6. Sequuntur tria apophthegmata de stultis; v. 7 *vade contra virum stultum* i. e. si contra eum disputas, ipse tamen *nescit labia prudentiae,* non intelliget sermones prudentiae, quibus tu eum dedocere volueris. Sed paulo aliter in hebr. : recede a stulto viro; cf. Eccli. 22,14 cum stulto ne multum loquaris; et ratio, cur recedendum sit a stulto, affertur (quia si cum eo fueris) non cognovisti labia scientiae, sermones quibus quidquam utile didiceris. Potest hebr. etiam intelligi : ambula coram viro stulto (cf. *MK.*). Alio modo legit G (et similiter S) omnia contraria viro stulto, arma autem sensus labia sapientia (similiter *Bickell*) cf. 10,21. Sapientis est providere et prospicere modum quo actiones suas prudenter disponat et peragat; ita v. 8 *sapientia callidi est intelligere viam suam,* bene attendere ad vivendi agendique rationem; stultus autem stultitiam suam manifestat fraude : fatuitas stultorum fraus (hebr.), illis est fraudi; aliis et sibi ipsi damnum inferunt; vulg. *errans,* ἐν πλάνῃ in errorem et perniciem inducuntur sua fatuitate seu *imprudentia*; cf.

12,26 iter impiorum decipiet eos (facit eos errare). Sapiens itaque bene prospicit ut tuto et secure incedat; stultus machinatur fraudem.

In v. 9 praebet vulg. *stultus illudet peccatum,* quasi iocans committit peccatum; cf. 10,23 quasi per risum stultus operatur scelus; ita fertur versio *Sym.* ἄφρονες ἐκχλευάζουσι πλημμέλειαν, verum *Aq. Theod.* ἄφρονας χλευάζει πλημμέλεια. In altero membro praebet *Sym.* καὶ ἀναμέσον εὐθέων εὐδοκία. Verum in aliquibus codicibus vulg. (uti iam *Lap.* et *Calm.* adnotant) legitur stultis illudet peccatum, id quod cum hebr. congruit; sed quo sensu? recentiores explicant אשם sacrificium pro culpa irridet stultos, iis scil. nihil proderit, frustra stulti i. e. peccatores recurrunt ad sacrificium sperantes impunitatem; eo studio potius fiunt ridiculi. Aliter apud iustos evenit : *inter iustos* (*morabitur*) *gratia,* beneplacitum i. e. iusti inter se iuncti sunt benevolentia; vel potius inter iustos beneplacitum Dei adest, pace et favore divino fruuntur in oppositione ad peccatores. Commodam emendationem affert *Frank.* : inter stultos morabitur culpa (infortunium), inter iustos benedictio; G οἰκίαι παρανόμων ὀφειλήσουσι καθαρισμὸν, οἰκίαι δὲ δικαίων δεκταὶ et similiter S quoque, qua versione innuitur via ad emendandum hebr.; lege בין ante אולים et ילין loco יליץ.

In v. 10 inseritur in vulg. relativum : *cor* (*quod*) *novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus* i. e. mens et conscientia, quae sola perfecte conscia est suae tristitiae, haec pariter perfecte gaudii erit conscia et compos, cum e tristitia emerget in gaudium; uti qui e periculo naufragii evasit in litus, hic solus uti angores in periculo sensit, ita solus evasionis et liberationis gaudium gaudiique pondus sentit et gustat et aestimat (*Lap.*). Hebr. : cor noscens amaritudinem animae suae; in altero sticho G exhibet ὕβρει, unde enascitur sensus : qui recogitat dolorem animae (quem expertus est) in eius gaudium non immiscebitur insolentia, arrogantia (cf. *Frank.* emendans זדון). Similiter monet Eccli. 11,27 in die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum et 18,25 memento paupertatis in tempore abundantiae et necessitatem paupertatis in die divitiarum. Aliam lectionem praebet *Sym.* οὐ συμμιγήσεται ἀλλοτρίοις.

Statuitur, uti 11,18 et 13,17, norma retributionis v. 11 *domus impiorum delebitur,* familia, soboles impiorum et ipsa impia interibit; cf. Ps. 108,13 fiant nati eius in interitum et generatione una deleatur nomen eius, et Ps. 20,11 perdes semen eorum a filiis hominum; cf. Iob 18,19. Is. 14,22; *tabernacula vero iustorum germinabunt,* florebunt, flores agent (hebr.); familia et soboles iustorum proficient; cf. Ps. 91,13 iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur;

127,3 filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae; ecce sic benedicetur homo qui timet Deum.

12. *Est via quae videtur homini iusta; | novissima autem eius deducunt ad mortem.* 13. *Risus dolore miscebitur, | et extrema gaudii luctus occupat.* 14. *Viis suis replebitur stultus, | et super eum erit vir bonus.* 15. *Innocens credit omni verbo; | astutus considerat gressus suos. Filio doloso nihil erit boni; | servo autem sapienti prosperi erunt actus et dirigetur via eius.* 16. *Sapiens timet et declinat a malo; | stultus transilit et confidit.* 17. *Impatiens operabitur stultitiam; | et vir versutus odiosus est.* 18. *Possidebunt parvuli stultitiam; | et exspectabunt astuti scientiam.* 19. *Iacebunt mali ante bonos, | et impii ante portas iustorum.* 20. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit; | amici vero divitum multi.* 21. *Qui despicit proximum suum peccat; | qui autem miseretur pauperis beatus erit. Qui credit in Domino | misericordiam diligit.* 22. *Errant qui operantur malum; | misericordia et veritas praeparant bona.* 23. *In omni opere erit abundantia; | ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* 24. *Corona sapientium divitiae eorum; | fatuitas stultorum imprudentia.* 25. *Liberat animas testis fidelis; | et profert mendacia versipellis.*

Iudicium facile falli posse indicatur v. 12; item 16,25; saepius via videtur plana i. e. modus agendi videtur esse proficuus, negotium utile; at in fine exoritur calamitas. Docet autem haec sententia non nitendum esse proprio iudicio, suspectaque habere propria aut vulgaria iudicia, doctos et sapientes audiendos, qui et quid sentiendum et quid agendum sine errore doceant, ne maximo tuo damno tandem experiaris viam quae recta tibi visa sit revera fuisse viam mortis, viam ad perniciem (cf. *Ians.*). Imprimis opinari potest homo variis cupiditatibus agitatus actiones suas esse bonas, honestas, et in fine incidere potest in voraginem vitiorum; cf. Eccli. 21,11 via peccantium complanata lapidibus et in fine illorum inferi et tenebrae et poenae. Imperturbatum gaudium non reperitur in vita mortali : etiam in ridendo dolet cor (hebr.) *risus dolore miscebitur* v. 13; hebr. videtur pressius enuntiare nunquam desiderio beatitudinis perfecte satisfieri; sed aliquid adhuc deesse, hominem in summo quoque gaudio quasi necessitate quadam percipere. Si haec acceptio tibi forte videtur subtilior, elige aliam : fieri posse, ut quis gaudium simulet quo intimam tristitiam tegat; ne semper putes videns hominem ridentem, eum carere moerore; *et extrema gaudii luctus occupat,* et finis gaudii est moeror (hebr.) — saepe quod cum gaudio inceptum est, in magnam vertitur aerumnam. Id valet de negotiis susceptis, praesertim vero de concupiscentiis pravis quas magna laetitia quis sequi et explere cupit et quibus in conditionem tandem miserrimam devenit. — Iusta retributio erit illi, cuius cor recessit (a Deo scil.) v. 14 ex *viis suis* satiatur apostata, secundum actiones suas ei abunde poenae infligentur; *et super eum erit vir bonus*; in meliore conditione est vir bonus; hebr.

varie explicant; uti scribitur, proxime adiacet versio : ex eo quod apud se est (vel quod sibi incumbit) (satiatur) vir bonus i. e. ex suis consiliis (uti G) actionibus ei obveniet retributio, saturitas, felicitas. Alii emendant hebr. ממעלליו loco מֵעָלָיו : ex actionibus suis (*Frank. Bickell*).

Homo simplex facile credit cuique v. 15 *innocens* (simplex) *credit omni verbo*; simplex et candidus, suspicionis expers et ex suo candore alios metiens, facile cuivis fidem adhibet; item inexpertus facile fidit cuilibet suggestioni, consilio; at *astutus,* cautus et prudens, *considerat gressus suos,* attendit ad gressum suum (hebr.), ubi scil. secure pedem figat, ne in foveam cadat; bene itaque deliberat, cui fidendum sit, quale consilium in singulis negotiis tuto sequi possit, ne temere rem aggrediatur; S : astutus discernit bonum a malo. Quae in vulg. hoc loco adiunguntur, non habentur hebr., leguntur autem in G ad 13,13; *doloso nihil erit boni;* sapiens habebit prosperum successum; et tertium membrum *dirigetur via eius,* idem enuntiat quod in secundo dicitur et est altera versio ultimorum verborum (*Bickell* ea inseruit 13,13 hebr.). Caute procedit sapiens v. 16 *timet et declinat a malo*; omni cura cavet a malo; at stultus confidens miscetur ei (uti S. Hieronymus habet, et similiter Cyprianus, Lucifer Cal. insipiens autem confidens sui miscetur impio; cf. Sabatier, Bibl. s. versiones antiquae II, p. 319); ita G μίγνυται ἀνόμῳ, et in hebr. quoque erit legendum מתערב (ut iam *Ians. Lap.* notant); insipiens scil. magna et stulta sui confidentia non solum non recedit a malo negotio, verum audacter se ei immiscet; *transilit* stultus scil. leges et iura; hebr. מתעבר excitatus est ira et sibi confidit. In ea lectione habetur oppositio ad sapientem modestum et consideratum. De iracundo et doloso agitur in v. 17 *impatiens,* iracundus, *operabitur stultitiam,* ὀξύθυμος velox ad iram agit μετὰ ἀβουλίας inconsiderate (similiter S); qui ingenio praeceps est in iram, facile primo impetu abreptus ea dicit et facit, quae postea frustra infecta esse cupiet; versipellis autem et fallaciarum machinator *odiosus est.* Quem stichum G, S notione bona vertunt φρόνιμος πολλὰ ὑποφέρει, S vir sapiens est longanimis (quietus est hebr. ישאן, ὑποφέρει ישׂא, odiosus est ישׂנא).

Quomodo sua quisque ratione progressum faciat, indicatur v. 18 *possidebunt* simplices *stultitiam*; est quidem indoles simplex bona; at simplicitas nimia, incauta, imprudens tandem evadit fatuitas, et *astuti* se coronant scientia (hebr.) sibi tamquam coronam imponunt scientiam; augent scientiam, ornantur et dominantur illa imbuti. Et eodem sensu explica vulg. *exspectabunt scientiam,* eius augmentum, perfectionem, fructum. Norma retributionis denuo proponitur v. 19

prosternentur *mali ante bonos,* vel incurvabuntur, *et impii ante portas iustorum*; pii scil. exaltabuntur; impii humiliabuntur; supplices erunt ante portas iusti eius opem implorantes. Quam intime menti Sapientis haec norma impressa est — et certe debebit áliquando esse plena retributio; verum num tempore vitae mortalis? En, quam diversa sors pauperis et divitis v. 20 *etiam proximo suo pauper odiosus erit,* imo proximus aspernatur pauperem, eius amicum vel familiarem videri sibi probro reputat; indignatur cogitans fieri posse, ut pauper quidquam petat; at *amici divitum multi,* multi se exhibent amantes divitem, a quo scil. auxilium et munera exspectantur et cuius auctoritate et gloria nominis et familiaritate etiam in se aliquid honoris pertingere posse sperant; cf. Eccli. 13,24-29. At periculose contemnitur pauper v. 20 *qui despicit proximum suum, peccat*; proximum intellige ex v. 20 pauperem; nam despiciens est ille in v. 20 cui pauper, proximus suus, odiosus erat; idem colligitur ex altero sticho : *qui miseretur pauperis* (pauperum, hebr.), *beatus erit,* felicitate donabitur a Deo. In vulg. additur : *qui credit in Domino, misericordiam diligit,* non legitur alibi; sensus tamen congruit hoc loco; nam, ut *Lap.* notat, causa cur timidi et avari sua non erogent in pauperes, est timor inopiae et diffidentia in Deum. Hanc diffidentiam qui amoverit, erit liberalis in pauperes; cf. 2 Cor. 9,10. Insuper adverte pauperes singulari ratione a Deo protegi ac commendari Ex. 23,11. Lev. 19,10; 23,22; 27,8. Deut. 15,9. 11; 24,12. 14. 15. Ps. 9,10 sq. 10,5; 11,6; 34,10; 40,2; unde intelligitur quantum Deo displiceat contemptus pauperum.

Iterum certo annuntiatur pernicies iis qui moliuntur malum v. 22 nonne (hebr.) *errant qui operantur malum,* arantes malum (hebr., cf. 3,29; 6,14); sed *misericordia et veritas,* invenitur apud arantes bonum; benignitas et fidelitas (sic hebr. intelligere poteris) ibi est, ubi sunt qui moliuntur bonum; *praeparant bona,* mercedem habebunt. Quod vulg. habet, bene respondet sticho priori : mala molientes aberrant; misericordes habebunt bona. Et revera oppositio postulare videtur, ut hebr. potius explicetur : molientes bonum (sunt) benignitas et fidelitas i. e. talia efficiunt, et eadem illis quoque contingent. Commendatur labor et industria v. 23 *in omni opere* (opere, labore, duro) *erit abundantia,* commodum, emolumentum, et verbum labiorum tantum ad detrimentum (hebr.); labore creatur emolumentum; garrulitate damnum et inopia; sensum exhibet vulg. *ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas*; inani loquacitate opes non augentur; augentur sedulo labore. Sapiens bene utetur divitiis quas habet; quare ex divitiis coronam et ornamentum sibi comparat

v. 24 *corona sapientium divitiae eorum;* si ad sapientiam viri accedunt divitiae, eius auctoritas apud populum multum augetur et multa peragere potest, quae sola sapientia non potuisset efficere. Sapiens itaque ex subsidiis humanis multum iuvatur et proficit; cf. Eccli. 7,12 utilior est sapientia cum divitiis et magis prodest videntibus solem; sicut enim protegit sapientia sic protegit pecunia. Vulgus sapientiam in homine paupere facile cum ipsa conditione vili et paupere contemptibilem habet; sicut e contra virtus cui fortuna iuncta est magnam habet admirationem vulgi.

At *fatuitas stultorum* (est et manet) fatuitas (hebr.) *imprudentia*; illa fatuitate nihil efficitur nisi quod stultum, inutile, nocivum, malum est. Partim ex G (στέφανος σοφῶν πανοῦργος) partim ex lege parallelismi *Frank*. et alii ita v. 24 emendant : corona sapientium est experientia (cf. Eccli. 25,8 corona senum multa peritia) et sertum (corolla) stultorum fatuitas (cf. *MK*.). Sequitur sententia de testibus v. 25 *testis fidelis* poterit *animas* i. e. vitam servare; suo testimonio potest innocentem, sed criminis accusatione in periculo mortis positum, liberare; aliter testis falsus, *versipellis* qui *profert mendacia*; hebr. (qui) spirat mendacia, fraus (est), fraudem committit; una littera mutata (ד loco ר) et alia punctatione efficitur sensus : qui profert mendacia, perdit, seu perdere vult (cf. *Hitzig*, *MK*.). S : profert fraudem testis mendax; G ἐκκαίει δὲ ψευδῆ δόλιος, accendit autem falsa dolosus; cf. 12,5. 17.

26. *In timore Domini fiducia fortitudinis | et filiis eius erit spes.* 27. *Timor Domini fons vitae | ut declinent a ruina mortis.* 28. *In multitudine populi dignitas regis; | et in paucitate plebis ignominia principis.* 29. *Qui patiens est multa gubernatur prudentia; | qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam.* 30. *Vita carnium sanitas cordis; | putredo ossium invidia.* 31. *Qui calumniatur egentem exprobrat factori eius; | honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* 32. *In malitia sua expelletur impius; | sperat autem iustus in morte sua.* 33. *In corde prudentis requiescit sapientia, | et indoctos quosque erudiet.* 34. *Iustitia elevat gentem; | miseros autem facit populos peccatum.* 35. *Acceptus est regi minister intelligens; | iracundiam eius inutilis sustinebit.*

Quam utilis sit pietas et pio et filiis eius, indicatur v. 26 *in timore Dei,* in cultu, pietate, religione, reponitur firma *fiducia* et fortis. Cultores Dei fortes sunt; in rebus omnibus, in periculis et adversitatibus firmam fiduciam in Deo adiutore collocant; quam pietatem filios quoque docent; unde *et filiis eius erit spes,* refugium, protectio; Deus erit refugium (hebr.) eorum, iis praebebit protectionem; cf. Ps. 90; 102,17; Ex. 20,6 faciens (Deus) misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt praecepta mea. Iste *timor Domini* (est)

fons vitae v. 27, ex timore Dei in animo concepto quasi ex fonte perenni emanant piae cogitationes, sancta consilia, actiones virtutum, quibus vita felix cum Dei benedictione impetratur; qua simul id habetur, ut recedatur a laqueis mortis (hebr.), ut scil. verus cultor Dei procul absit a pernicie, a transgressione mandatorum Dei, ab illecebris voluptatum; hisce enim quasi laqueis homines capiuntur et morti mancipantur; cf. 13,14; Eccl. 12,13 Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo.

Regis magnificentia, superbia, *dignitas* quam maxime consistit *in multitudine populi* v. 28; sine populo ruina principis (hebr.) i. e. si populus deficit, interitus principis nequit averti; G ἐν δὲ ἐκλείψει λαοῦ συντριβὴ δυνάστου, in defectu populi contritio principis; regnum seu principatus nequit consistere sine numero magno subditorum. Indicatur itaque gloriam regum non tam in magnis opibus aut castellis aut in pompa sollemni consistere quam in multitudine subditorum; simul subindicatur principibus praecipuam operam dandam esse, ut comitate et iustitia tales se exhibeant, quibus subditi libenter pareant, ne improbitate regiminis commoti discedant; potius ita se gerant clementia et sapientia, ut exteri quoque fama nominis exciti ad regnum eorum commigrent (cf. *Ians.*).

In v. 29 comparantur inter se vir patiens et impatiens seu iracundus (cf. v. 17) *patiens multa gubernatur prudentia,* multam habet intelligentiam (hebr.), qui iracundiam coercet et vincit, se ostendit virum multa prudentia praeditum, se exhibet sapientem; patiens dominatur suis affectibus; ideo in pace et tranquillitate deliberat et magna consideratione et circumspectione singula peragere poterit; e contra *impatiens,* iracundus homo, *exaltat stultitiam suam,* magnam facit stultitiam; ira abreptus cum tumultu et perturbatione inepte agit et in varias dementias sese proiicit; vel explica מרים ex ira sua reportat, secum aufert, stultitiam; cf. 3,35; G ὁ δὲ ὀλιγόψυχος ἰσχυρὸς (ἰσχυρῶς) ἄφρων, valde imprudens; similiter S; unde vocem hebr. sensu augendi explicarunt. Animi pace ipsam corporis sanitatem promoveri, declaratur v. 30 *vita carnium* (corporis) *sanitas cordis,* cor sanum hoc loco opponitur invidiae, vel aemulationi, zelo; est itaque cor mite, lene, quod careat ira et livore et immune sit a perturbationibus invidiae; et tale cor quietum multum confert ad bonam habitudinem corporis, dum e contra vehementes animi perturbationes et concupiscentiae immodicae etiam sanitati corporis nocent; nam *putredo ossium invidia,* caries ossium aemulatio, zelotypia, zelus, iracundia; Eccli. 30, 26 zelus et iracundia minuunt dies et ante tempus senectam adducet cogitatus; multos occidit tristitia;

cf. 12,4. Affert *Lap.* epigramma : livor tabificum malis venenum, intactis vorat ossibus medullas, et totum bibit artubus cruorem.

Uti in lege, ita in doctrina sapientiae quoque cura pauperum commendatur v. 31 *qui calumniatur,* opprimit, *egentem, exprobrat factori eius;* pauper est creatura Dei; qui opus spernit, opifici ignominiam infert; insuper Deus peculiarem curam lege sua et protectionem pauperibus exhibet; qui hanc contemnit et contra eam agit, legislatori facit opprobrium; cf. Iob 30,15 numquid non in utero fecit me qui et illum (servum meum) operatus est? Ps. 10,15 tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor et cf. infra 17,5 et 22,2; Deum autem creatorem et legislatorem providum *honorat qui miseretur pauperis*; cf. 19,17; is enim sequitur exemplum Dei et mandatis eius sua obedientia debitam exhibet reverentiam. In v. 32 discrimen textus et sensus ob oculos habeatur necesse est; ex hebr. et vulg. *in malitia sua expelletur impius* vel impius infortunio suo plane concidit; *sperat autem iustus in morte sua*; dum scil. impius in calamitate statim animo cadit, iustus e contra etiam moribundus plenus est fiducia. Qua sententia innuitur iustum morientem bene sperare et mercedem suae iustitiae praestolari post mortem. Hac ratione doctrina de retributione optime excolitur et tandem in altera vita normam perfecte impleri significatur. Verum ipse textus hebr. non caret dubio; nam G, S, non legebant in morte במותו, sed una littera transposita בתמו; unde sensus in altero sticho enascitur : iustus autem refugium quaerit, seu securus est, sua integritate; dum impius cadit et prosternitur impietate, iustus secure confidit sua morum innocentia; etiam recentiorum plerique hanc lectionem sequuntur (*Bick. Frank. MK.*). Certum est doctrinam de immortalitate Israelitis fuisse notam, itemque retributionem vitae alterius post mortem ex eadem doctrina necessario consequi; at quamvis in hoc libro eius rei ceteroquin clarum indicium non habeatur, lectio textus mas. tamen poterit sustineri. quia *Aq. Sym. Theod.* praebent πέποιθεν ἐν τῷ θανάτῳ ἑαυτοῦ δίκαιος.

In v. 33 habetur in vulg. laus sapientiae, *requiescit in corde prudentis*; sed sapiens eam non inclusam tenet, verum eam adhibet, ut *indoctos quosque erudiat.* Textus mas. habet in secundo sticho : et in corde stultorum noscetur, id quod sensu caret; G addita negatione οὐ διαγινώσκεται, item S et *Aq. Theod.*; sed sapientiam in corde stultorum non dignosci, est sententia valde supervacua et inanis; exspectaveris potius : et apud stultos (requiescit) stultitia, vel ut targum habet : cognoscitur stultitia. Celebratur laus iustitiae ex effectu v. 34 *iustitia elevat gentem,* exaltat gentem, affert prosperitatem, benedictionem Dei; si omnes iustitiam observant, regnat pax, negotia bene transi-

guntur, divitiae labore et industria augentur; felicitas publica in tuto collocatur atque in dies fere incrementum capit; *miseros autem facit populos peccatum,* opprobrium hominum peccatum (hebr.) חסד cf. 25,10, adhibetur notione aramaica; legisse videntur חסר G, S, ἐλασσονοῦσι minuunt autem tribus (φυλὰς) peccata. Non est pax impiis (Is. 48,22; 57,21). Intemperantia, luxuria, violenta oppressio, caedes, avaritia, superbia, uti singulos perdunt, ita totas stirpes ad pessimam redigunt conditionem. — Beneplacitum regis est de prudenti ministro v. 35 *acceptus est regi minister intelligens,* qui prudentibus consiliis et sapienti negotiorum gestione regem adiuvare potest; at ira eius erit inutilis seu nequam minister; scil. in ministrum ineptum effundetur ira regis.

15,1. *Responsio mollis frangit iram;* | *sermo durus suscitat furorem.* 2. *Lingua sapientium ornat scientiam;* | *os fatuorum ebullit stultitiam.* 3. *In omni loco oculi Domini* | *contemplantur bonos et malos.* 4. *Lingua placabilis lignum vitae,* | *quae autem immoderata est, conteret spiritum.* 5. *Stultus ridet disciplinam patris sui;* | *qui autem custodit increpationes astutior fiet. In abundanti iustitia virtus maxima est;* | *cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* 6. *Domus iusti plurima fortitudo;* | *et in fructibus impii conturbatio.* 7. *Labia sapientium disseminabunt scientiam;* | *cor stultorum dissimile erit.* 8. *Victimae impiorum abominabiles Domino;* | *votâ iustorum placabilia.* 9. *Abominatio est Domino via impii;* | *qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.* 10. *Doctrina mala deserenti viam vitae;* | *qui increpationes odit morietur.*

Res proponitur experientia commendata, sed sane ideo, ut praeprimis doctrina et admonitio tradatur 15,1 *responsio mollis,* lenis, suavis, *frangit iram,* hebr. vertit i. e. sedat iram; commendatur itaque ut irato suaviter et benigne respondeas, comiter et honorifice eum compellans et placidis utens verbis; huiusmodi responsio frangit accensam aut commotam iram; exemplum habemus in Abigail (*Lap.*); e contra verbum acerbum, pungens, dolorem excitans, ascendere facit furorem (hebr.), auget indignationem hominis irati; cf. Eccli. 8,4 non litiges cum homine linguato et non strues in ignem illius ligna, et 28,14 si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit. Sapientes pollent scientia v. 2 *lingua sapientium* bene profert *scientiam,* et ita *ornat* eam; stulti loquuntur ex abundantia cordis stultitiam, et quidem magna volubilitate; *ebullit,* large faciunt scaturire ineptias. Ubique, *in omni loco* sunt *oculi Domini,* speculantes, contemplantes *bonos et malos* v. 3; cf. Ps. 33,17 oculi Domini super iustos et aures eius in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; cf. 5,21; Eccli. 17,15 viae illorum coram ipso sunt semper; non sunt absconsae ab oculis ipsius. Uti v. 1. 2, ita v. 4 doctrinam tradit de usu et modo sermonis; lenitas linguae, *lingua pla-*

cabilis, placans, placida, leniens iram *lignum vitae,* affert fructum salutis et benedictionis; perversitas in ea (hebr.), *immoderata,* sermo durus, iracundia plenus, *conteret spiritum,* confractio in spiritu (hebr.), spiritum alterius animumque deprimit, vulnerat quasi letaliter, animi vigorem ac laetitiam destruit cf. Is. 65,14 prae contritione spiritus ululabitis; cf. Prov. 12,18 lingua sapientium sanitas est.

Repetitur fere quod dictum est 12,1 et 13,1 in v. 5 *stultus irridet disciplinam patris sui; qui autem custodit increpationes, astutior fiet,* prudens fit cf. 2,1; 4,1. 10.20. Quod in vulg. additur, deprompum est ex G : *in abundanti iustitia,* ubi multa est iustitia, integritas morum, *virtus maxima est,* ibi est robur multum; consilia et negotia iustorum bonum habebunt successum, seu iustitia sola dat robur et constantiam et ipsa tandem evadet victrix omnibus adversariis prostratis. Id enim ex altero quoque sticho colligitur : *cogitationes impiorum eradicabuntur,* seu G : οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὁλόριζοι ἐκ γῆς ἀπολοῦνται, radicitus, plene et integre de terra peribunt; uti eorum consilia et molitiones, ita ipsi quoque tandem interibunt. Itaque robur iustitiae indicat, iustam causam et iustos solos stabili modo permanere. Idem fere enuntiatur quoque in v. 6 *domus iusti plurima fortitudo,* thesaurus magnus est in domo iusti; at reditus impii destruitur (hebr.), *in fructibus impii conturbatio,* eius fructus seu proventus afferunt conturbationem; in iis nihil habetur gaudii vel utilitatis, sed solum infortunium et perturbatio, quia maledictio Dei ab eis nequit separari. Denuo inculcatur quod in v. 2 dictum est, v. 7 *labia sapientium disseminabunt scientiam*; sermonibus sapientium alii erudiuntur; *cor stultorum,* hic sane ex oppositione intelligitur : intellectus stultorum non est rectus (hebr., cf. 12,8 excors) *dissimile erit*; mens stultorum non scientiam, sed fatuitatem sparget.

Sacrificium soli Deo offerri potest; est actus adorationis et professio summae maiestatis divinae et subiectionis hominis erga Deum; haec significatio est quasi anima sacrificii; quae si deest propter perversitatem offerentium, v. 8 *victimae impiorum abominabiles Domino* evadunt, sunt abominatio Domini; cf. Is. 1,11-15; Ier. 6,20; Am. 5,21. Mal. 1,12; Eccli. 7,11; e contra preces iustorum sunt Deo gratae et acceptae : *vota iustorum placabilia,* oratio iustorum beneplacitum eius (hebr.); in sola iam precatione iusti Deus sibi complacet, dum pinguissima impiorum sacrificia ei sunt abominationi; cf. Ps. 33,16 aures eius in preces iustorum. Et cur repudiet victimas iniquorum, redditur ratio v. 9 *abominatio est Domino via impii,* eius agendi et cogitandi ratio, eius vita; iustorum preces autem ei placent, nam studiose prosequens iustitiam *diligitur ab eo*; cf. 11, 20; 12,22. Nota

ex hebr. clare efferri (piel רדף) Deum eum diligere qui firmiter, studiose prosequitur iustitiam, qui magno conatu eam attingere et exsequi nititur. Quid autem negligenti contingat, docetur v. **10** disciplina mala, i. e. castigatio mala *deserenti viam* (*vitae*), viam scil. rectam, viam cum emphasi, in qua scil. incedere oporteat (cf. Act. 9,2 via i. e. religio, cultus); *qui increpationes odit,* talis odit ipsam sapientiam, est itaque stultus, et utpote talis, *morietur*; calamitate et miseria peribit; cf. 5,23; 10,17; vel ante tempus hanc vitam temporalem amittet (*Ians.*); cf. Ps. 54,24 viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.

11. *Infernus et perditio coram Domino :* | *quanto magis corda filiorum hominum.* 12. *Non amat pestilens eum qui se corripit,* | *nec ad sapientes graditur.* 13. *Cor gaudens exhilarat faciem;* | *in moerore animi deiicitur spiritus.* 14. *Cor sapientis quaerit doctrinam,* | *et os stultorum pascitur imperitia.* 15. *Omnes dies pauperis mali;* | *secura mens quasi iuge convivium.* 16. *Melius est parum cum timore Domini,* | *quam thesauri magni et insatiabiles.* 17. *Melius est vocari ad olera cum caritate,* | *quam ad vitulum saginatum cum odio.* 18. *Vir iracundus provocat rixas;* | *qui patiens est mitigat suscitatas.* 19. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum;* | *via iustorum absque offendiculo.* 20. *Filius sapiens laetificat patrem;* | *et stultus homo despicit matrem suam.* 21. *Stultitia gaudium stulti;* | *et vir prudens dirigit gressus suos.* 22. *Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium;* | *ubi vero sunt plures consiliarii confirmantur.* 23. *Laetatur homo in sententia oris sui,* | *et sermo opportunus est optimus.*

Dominus abyssum et cor hominum investigavit (Eccli. 42,18); nudus est infernus coram illo (Iob 26,6); v. **11** *infernus et perditio* i. e. regio omnia perdens, orcus, regio mortuorum *coram Domino,* plane aperta et manifesta sunt, G φανερὰ παρὰ τῷ Κυρίῳ. Nominantur regiones quam maxime absconditae, hominibus plane ignotae; has perspectas habet Deus; ergo *quanto magis* nuda et aperta sunt coram eo *corda filiorum hominum!* cf. Ier. 17,10 ego Dominus scrutans cor et probans renes; cf. 1 Reg. 16,7; Ps. 7,10. Uti fere 9,7 et 13,1, ita monet hic sapiens in v. **12** *non amat pestilens,* irrisor[1], increpationem sibi fieri; ideoque *nec ad sapientes graditur,* cum iis non vult commercium habere, ne scil. de sua stultitia reprehendatur; cf. 1,15; 13,20; irrisor seu illusor monita cachinno exsibilat; suo contemptu, sannis, iocis, dicteriis evadit noxius; iura divina et humana in iocum vertit (*Lap.*). In vultu plerumque apparet affectus hominis, v. **13** *cor gaudens exhilarat faciem;* gaudium internum transfunditur in faciem; hanc facit hilarem, roseam, decoram et quasi efflantem spiri-

1. Hebr. לץ vertit interpres derisor, illusor; hoc loco pestilens (uti 19,25; 21,11) sicut G 19,25; 22,10; 24,9 et Ps. 1,1 λοιμός; aliis in locis stultus, detractor (1,22; 24,10), indoctus (21,24). Nominatur is, qui ridet de rebus sacris, de lege et qui ita se gerit ut ea pro ludo ac ioco habere videatur. Habetur eius quasi descriptio hebr. 21,24.

tum laetitiae; at *in moerore animi deiicitur spiritus*, fractus et demissus est; cf. Eccli, 13,31 cor hominis immutat faciem eius, sive in bona, sive in mala, et 30,25 multos occidit tristitia. Vir sapiens continuo augere studet scientiam; hoc sapiens statuit simulque monet, ut fiat in v. 14 *cor sapientis quaerit doctrinam*, scientiam; cum iam vocetur sapiens, patet eum sollicite quaerere maiorem, ulteriorem scientiam et in id ubique mentem intendere, ut ex omnibus hauriat eruditionem; ita enim describitur sapiens Eccli. 39,1 sq.; verum aliter agit stultus : *os stultorum* tractat fatuitatem (hebr.), in ea occupatum est; stultus profert inania, nugas insulsas; de usu ac notione רעה cf. 13,20.

Homo afflictus et homo laetus inter se comparantur v. 15 *omnes dies pauperis*, afflicti, miseri (hebr.)[1] *mali*; afflictus non habet ullum iucundum diem; continuo premitur pondere quodam tristitiae; aliter *secura mens*, bonus, laetus corde, (*quasi*) *iuge convivium*, scil. ac si in perpetuo versaretur iucundo ac festivo convivio. Uti legitur Ps. 36, 16 : melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas, ita quoque in v. 16 *melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni* et tribulatio cum eis (hebr.), qui scil. cum tumultu et turbatione animi congregantur et possidentur; unde bene in vulg. dicuntur *insatiabiles*, quam vocem explica eo sensu qui apud latinos quoque reperitur, scil. sensu activo : non satiantes, qui animum eiusque desideria non explent, sed potius augent, acuunt, irritant, ideoque non tam pacem secum afferunt, quam animi commotionem et turbationem. Satius est habere modicam rem familiarem, sed cum pace, quae ex timore Dei i. e. ex pietate et cultu Dei exoritur, quam habere opes magnas, sed cum perturbatione et angore, ita ut eis placide ac quiete frui non concedatur. Et similiter habetur in v. 17 melior portio oleris et dilectio ibi, quam bos saginatus et odium cum eo (hebr.), id quod vulg. bene expressit : *melius est vocari ad olera cum caritate* etc.; nam quod cum magna benevolentiae significatione exhibetur et donatur, gratum et acceptum est prae re sumptuosa, quam alter solum invitus et stomachatus dare vult; cf. 14,30. Unde facile colligitur, quaerendum esse hospitem animo hospitali praeditum, etsi non multum divitem, prae divite et avaro; tibi quoque magis proficuus est cibus communis cum animi pace et tranquillitate prae epulis exquisitis cum perturbationibus animi et curis molestis.

1. Bene notat *Ians.* : « non enim hic nomine pauperis tantum egeni significantur, sed dictio hebraica proprie quemvis afflictum significat, qui et apud nos in scripturis frequenter pauper dicitur, ut ibi : tibi derelictus est pauper ». Habetur hebr. עני.

Eadem, quae in v. 1, commendatur doctrina de utilitate lenitatis et patientiae in v. 18 *vir iracundus provocat rixas,* longanimis, *patiens* sedat iurgium (hebr.); cf. 14,29; 26,20. Eccli. 8,19; 28,11 homo iracundus incendit litem; vide infra 28,25 et 29,22. G praebet duplicem versionem : vir animosus parat rixas; longanimis autem et eam quae futura erat mitigat; longanimis vir exstinguet litigationes (κρίσεις), impius autem suscitat magis. Ex qua versione S hoc praebet distichon : vir iracundus suscitat rixam; vir longanimis antequam sit exstinguit eam (ergo τὴν μέλλουσαν עד לא הויא exprimit). Piger in nulla re proficit v. 19 *iter,* via, *pigrorum quasi sepes spinarum*; qui tali via ingreditur, ubique difficultatibus obvolutus gressus retinere cogitur, vix progressum facit; aliter *via iustorum sine offendiculo,* strata, complanata (hebr.), in qua facile ac pronum est progredi neque molestia creatur. Norma illa retributionis hac quasi parabola brevi duorum itinerantium illustratur. Piger qui simul ob pigritiam suo officio deest, ergo ab iustitia deficit, non habet successum, sed poenam, molestiam; homini recto, iusto, conceditur benedictione Dei prosperitas. Illa sententia etiam ita ab aliis inflectitur, ut pigris omnia ardua esse et impossibilia significetur; omnia esse obsita spinis, exitus omnes impediri; pigros sibi fingere ardua omnia et insuperabilia, ideoque abstinere et abhorrere ab omni conatu. Etiam alio verti potest sententia; accidit enim haud raro, ut negligentia multo maiorem creet molestiam et laborem, quam diligentia suo tempore prudenter exserta; refert v. g. *Calm.* sententiam Columellae (de Re rust. 12,2) : in re familiari laboriosior est negligentia quam diligentia. E contra homo rectus, probus strenue negotia peragit, impedimenta fortiter superat et complanat. Aliam acceptionem, quam S. Gregorius in libro Moralium 30,23 affert, *Ians.* commemorat; iter virtutis quod pigris hominibus ambulandum incumbit, videtur eis esse quasi sepes ex spinis contexta, hoc est, iudicant eam viam non tantum difficilem esse, sed impossibilem, quemadmodum impossibile est spinosam pertransire sepem, aut viam virtutum asperrimam reputant, in qua velut inter spinas incedere videntur. At contra via quam iusti ambulant virtutem amantes est eis absque offendiculo; in ea magnam facilitatem inveniunt; nihil in ea ipsos offendit atque a recto deterret sed veluti viam bene tritam et complanatam feliciter et expedite perambulant.

Fere repetitur 10,1 in v. 20 *filius sapiens laetificat patrem* scil. obedientia, probitate, virtute (*Lap.*); *et stultus homo* (ad hebr. cf. Gen. 16,12) *despicit matrem suam,* improbitate et vitiis eam ignominia et opprobrio onerat redditque aliis despectam. Stultus gaudet de

stultis suis cogitationibus, consiliis, operibus v. 21 *stultitia gaudium stulto,* hebr. carenti corde, intelligentia; cf. 10,23; at *prudens dirigit gressus suos,* recto et composito gressu per rectam et directam viam incedit; considerate, prudenter, quiete munere suo fungitur; cf. 3,6. Commendatur utilitas consultationis, ne scil. quis nimium suae prudentiae fidat, v. 22 *dissipantur cogitationes ubi non est consilium,* res cogitatae seu consilia capta franguntur, ad irritum cadunt et rediguntur, ubi non est consultatio; succedunt autem, *confirmantur,* ubi multi sunt consiliarii; cf. 11,14. — Alium sensum exhibet G, differunt, seu non exsequuntur sua consilia, qui non honorant synedria; S (negatione omissa iterum alium sensum praebet) cessare faciunt consilia, qui honorant coetus (comitia); intellige de consiliis malis, inopportunis. — Verbum opportunum praebet gaudium et utilitatem, v. 23 *laetatur homo in sententia oris sui,* laetitia viro in responsione oris sui (hebr.), ex apta responsione quam interroganti dare potest, laetitiam capit et commodum quoque et utilitatem, causam laetitiae; et verbum suo tempore (dictum), quam bonum! *sermo opportunus est optimus;* cf. 13,2; 24,26 et 25,11 mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. In G effertur stichus alter v. 22 in cordibus consultantium manet consilium (βουλή); dein adiungitur v. 23 non obediet malus illi neque dicet opportunum quid et bonum communi (τῷ κοινῷ); S autem exprimit textum hebr. Commendatur itaque appositae responsionis studium et sedula cura sermonis opportuni.

24. *Semita vitae super eruditum, | ut declinet de inferno novissimo.* 25. *Domum superborum demolietur Dominus, | et firmos faciet terminos viduae.* 26. *Abominatio Domini cogitationes malae, | et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.* 27. *Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam; | qui autem odit munera vivet. Per misericordiam et fidem purgantur peccata; | per timorem autem Domini declinat omnis a malo.* 28. *Mens iusti meditabitur obedientiam; | os impiorum redundat malis.* 29. *Longe est Dominus ab impiis; | et orationes iustorum exaudiet.* 30. *Lux oculorum laetificat animam; | fama bona impinguat ossa.* 31. *Auris quae audit increpationes vitae, | in medio sapientium commorabitur.* 32. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam; | qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis.* 33. *Timor Domini disciplina sapientiae; | et gloriam praecedit humilitas.*

Ex hebr. v. 24 semita vitae sursum intelligenti i. e. vir prudens tenet semitam vitae sursum, quae semita sursum tendit et sursum ducit, scil. in oppositione ad infernum infra — et illam ingreditur semitam, ut recedat ab inferno infra. Vitam innui post mortem beatam sursum, miseram infra, merito agnoscitur (cf. *Wild.*). Quod vulg. habet *supra eruditum* explicant semitam vitae esse ipso longe superiorem (*Lap.*); hominem itaque semita vitae elevari supra humanam

naturam, perduci ad altiora. Intelligens, prudens est ubique in hoc libro is qui Deum colit eiusque mandata observat. Uti vita dicit beatitudinem, ita infernus seu mors miseriam indicat et privationem bonorum ac felicitatis. Quod 12,7 et 14,11 dicitur, hic quoque v. 25 statuitur *domum superborum demolietur Dominus* i. e. familiam, progeniem, opes impiorum destruet; iusto iudicio Dei superbi humiliabuntur; at oppressis iura sua restituet : *firmos faciet terminos viduae*, est enim Deus pater orphanorum et iudex viduarum (Ps. 67,6; cf. Ex. 22,21); iura et possessiones illis vindicabit peculiarem curam iis impendens. Terminos agrorum transferre i. e. possessiones agrosque aliis eripere oppressionis genus est odiosum (cf. Deut. 19,14; 27,17). In v. 26 stichus prior clarum praebet sensum; abominatur Dominus consilia pravitatis; alter stichus apud G bonam praebet oppositionem ἁγνῶν δὲ ῥήσεις σεμναί purorum eloquia sancta (Deo scil. grata et accepta). In hebr. puri sermones benignitatis; puri sunt, censentur puri, grati Deo ut scil. purum opponatur abominationi; vulg. *purus sermo* censetur sermo sincerus, *pulcherrimus* et *firmabitur ab eo*, Deus eum approbat et ei effectum et successum asseret. Exemplum ad v. 27 praebet Achan qui ob cupiditatem se et familiam et possessionem perdidit (Jos. 7,24) v. 27 *conturbat domum suam*, familiam et opes, *qui sectatur avaritiam*, lucrum; ex oppositione sermo proxime est de iudice qui pecunia accepta ius pervertit, qui avaritia corrumpitur; nam *qui odit munera, vivet*; cf. Ex. 23,8 nec accipies munera quae etiam excaecant prudentes et subvertunt verba iustorum (Deut. 16,19; Eccli. 20,31). Qui cavet a corruptela, prospere aget divina benedictione; avarus ea caret, familiam, servos vexat et onerat; male parta male dilabuntur. Sequitur apud G et vulg. versus qui hebr. legitur 16,6; *per misericordiam* (G ἐλεημοσύναις) *et fidem purgantur peccata*; cf. Dan. 4,24 peccata tua eleemosynis redime; Eccli. 3,33; hisce et exercitio virtutum v. g. fidelitatis poteris a Deo veniam obtinere et Deum tibi reddere propitium. Remedium efficax ad vitanda in futurum peccata traditur in altero sticho : *per timorem autem Domini declinat omnis a malo*, timor Dei est initium sapientiae; sapientia autem magistra omnium est virtutum; ceterum valet illud : in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli. 7,40).

Sapiens considerate agit; perpendit quomodo bene et utiliter respondeat : ita hebr. v. 28 cor iusti meditatur ad respondendum; melius congruit G καρδίαι δικαίων μελετῶσιν πίστεις meditantur fidelia, sincera, iusta; vulg. *meditatur obedientiam* (fertur quoque : sapientiam, respondendi causa?); e contra *os impiorum redundat malis*, scatet ma-

lis, scaturire facit mala (hebr.); cf. 13,3; 14,16; G ἀποκρίνεται κακά, S habet uti G.

Favor Dei solis datur iustis v. 29 *longe est Dominus ab impiis* i. e. eius favor longe, procul abest ab impiis; vide v. 8; longe abest per opem, per beneficia, quae scil. illis non praestat; vicinus est iustis : *et orationes iustorum exaudiet*; cf. Ps. 33,16. Oculi fulgentes nuntii sunt felicitatis; unde v. 30 *lux oculorum*, splendor oculorum utpote annuntians fausta et prospera, *laetificat animam* (cor, hebr.); felicitate gaudet cor; eodemque modo : *fama bona*, hebr. nuntius seu rumor bonus, *impinguat ossa*, quasi sanitatem impertit corpori et vigorem, dum e contra tristitia et moeror vigorem corporis deprimunt, sanitati nocent; cf. 3,8; 12,4; 13,9. Qui reprehensiones bene suscipit, sapientibus accensendus erit v. 31 *auris quae audit increpationes vitae*, scil. quae conferunt ad vitam bonam, felicem, salutares increpationes, *in medio sapientium commorabitur*, mox ipse sapiens erit et sapientium consuetudine et conversatione honorabitur. Est ergo adhortatio, ne quis spernat increpationes, sed ut iis susceptis emendatus sciat quale emolumentum accepturus sit. Quam perniciosum sit spernere reprehensiones, traditur v. 32 abiicere disciplinam idem est ac despicere se ipsum vel animam seu vitam, felicitatem suam; *qui autem acquiescit increpationibus*, hebr. audit, *possessor est cordis*, is acquiret cor i. e. intelligentiam; nemo enim nimis sibi fidat; sed quivis exhibeat se docilem, paratum ad mores emendandos, promptum ad discendum; hac ratione acquiretur sapientia; cf. 8,36; 13,18. Adiungitur quae sit via ad sapientiam acquirendam v. 33 *timor Domini disciplina sapientiae*, cultus Dei et observatio mandatorum — hisce continetur timor Dei — disciplina est seu eruditio qua quis ducitur et pervenit tandem ad sapientiam; nam timor Domini est initium sapientiae. Sed sapientia est summa hominis dignitas et gloria et affert quoque gloriam; cf. 3,16; 8,18; sed *gloriam praecedit humilitas*, ut itaque perveniatur ad gloriam quam confert sapientia, opus est animo demisso, obedienti, qui sese mandatis Dei perfecte subiicit. Quare haec humilitas necessario debet praecedere, debet adesse, ut quis pertingat ad sapientiam et ad gloriam quam conciliat sapientia. Haec autem humilitas bene descripta est 3,5-7. Nota, quam frequenter sapiens indicet, correptionem, admonitionem, castigationem esse amandam et amplexandam; quam si quis spernat, sibi ipse erit causa malorum et vitiorum.

16,1. *Hominis est animam praeparare,* | *et Domini gubernare linguam.* 2. *Omnes viae hominis patent oculis eius;* | *spirituum ponderator est Dominus.* 3. *Revela Domino opera tua* | *et dirigentur cogitationes tuae.* 4. *Universa propter semetipsum operatus*

est Dominus, | impium quoque ad diem malum. 5. *Abominatio Domini est omnis arrogans, | etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Initium viae bonae facere iustitiam; | accepta est autem apud Deum magis quam immolare hostias.* 6. *Misericordia et veritate redimitur iniquitas, | et in timore Domini declinatur a malo.* 7. *Cum placuerint Domino viae hominis, | inimicos quoque eius convertet ad pacem.* 8. *Melius est parum cum iustitia, | quam multi fructus cum iniquitate.* 9. *Cor hominis disponit viam suam, | sed Domini est dirigere gressus eius.* 10. *Divinatio in labiis regis, | in iudicio non errabit os eius.* 11. *Pondus et statera iudicia Domini sunt, | et opera eius omnes lapides sacculi.* 12. *Abominabiles regi qui agunt impie; | quoniam iustitia firmabitur solium.* 13. *Voluntas regum labia iusta; | qui recta loquitur diligetur.* 14. *Indignatio regis nuntii mortis; | et vir sapiens placabit eam.* 15. *In hilaritate vultus regis vita, | et clementia eius quasi imber serotinus.*

Homo quidem multa cogitat et disponit; at successus datur a Deo v. 1 hebr. homini (sunt) dispositiones cordis (ordinationes; ad eum pertinent, spectant deliberationes intellectus) et a Domino responsio linguae; refertur ad Dei auxilium et benedictionem, ut quae sapienter excogitata sunt et deliberata, etiam apte sermone concepta cum aliis communicentur. Eodem modo explica : *hominis est animum praeparare,* deliberationem instituere, consilia agitare; *et Domini gubernare linguam,* rectum dare sermonem; cf. Matth. 10,19 dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Continetur doctrina, ut a Deo petatur sermo ad rem aptus et ita compleatur institutio sapientium (cf. Eccli. 8,11.12). Sedulo attendere oportet, quale iudicium de actionibus hominis Deus ferat v. 2 *omnes viae hominis* purae sunt (hebr.) *patent oculis eius,* facile quisque sibi persuadet se nihil nisi purum et irreprehensum in moribus et vitae ratione exhibere; in oculis suis i. e. sua quisque opinione ac sententia sibimet ipsi complacet seque probum iudicat; verum *spirituum ponderator est Dominus,* explorator animorum, scrutans corda et renes est Deus (Ps. 7,10); renum illius testis est Deus et cordis illius scrutator est verus (Sap. 1,6); cf. 1 Reg. 16,7. Ier. 17,10 et eo modo scribit Paulus : nihil mihi conscius sum — qui autem iudicat me, Dominus est (1 Cor. 4,4). Si prosperum rerum eventum desideras, commenda res tuas Domino v. 3 hebr. proprie : volve i. e. committe *Domino opera tua,* verte ad Dominum, *revela,* pande, expone ei in precatione res tuas, *et dirigentur,* consistent, eventum prosperum habebunt *cogitationes tuae,* consilia tua.

In vulg. v. 4 exprimitur quod verissimum est, Deum omnia operari in gloriam suam tamquam in ultimum finem : *universa propter semet ipsum operatus est Dominus*; punctatione massoretica parumper mutata (scribe לְמַעֲנֵהוּ) potest textus hebr. huic versioni aptari; at quominus haec versio retineatur, obstat stichus alter, cui haec versio non congruit. Est itaque illa acceptio textus hebr. praeferenda, quae

ipsis vocibus plene convenit et membrum efficit correspondens alteri sticho : omnia condidit Deus ad intentionem suam (ad finem seu scopum quem ipse voluit); habent itaque res singulae suam quaeque destinationem, finem, ut tandem ex omnium conspiratione exoriatur κόσμος; *impium quoque ad diem malum,* ad diem calamitatis; ex divina iustitia opus est ut impius puniatur, et ita ordo rectus restituatur; unde in punitione iniquitatum certus finis et necessarius habetur. Vide Eccli. 39,26 non est dicere : εἰς τί τοῦτο; πάντα γὰρ εἰς χρείας αὐτῶν ἔκτισται. Veteres versiones priorem stichum non intellexerunt; G exhibet omnia opera Domini esse μετὰ δικαιοσύνης, S omnia opera Dei esse pro obedientibus ipsi. Ex syr. hexapl. habetur *Theod.* πάντα εἰργάσατο ὁ Κύριος δι' ἑαυτόν. Cur impio dies malus ingruere debeat, audi v. 5 *abominatio Domini est omnis arrogans,* omnis superbus corde (hebr.); *etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens,* est eadem locutio ac 11,21; non effugiet poenam. Vulg. explicant : etsi habeat socios qui iunctim manus violentas iniiciant; G χειρὶ δὲ χεῖρας ἐμβαλὼν ἀδίκως οὐκ ἀθῳωθήσεται, S extendens manum suam in proximum, non erit immunis a malo. Apud G et vulg. additur : *initium viae bonae facere iustitiam;* et haec iustitia *accepta est apud Deum magis quam immolare hostias;* iustitia est obedientia Deo praestita; melior est obedientia quam victimae et auscultare magis quam offerre adipem arietum (1 Reg. 15,22); cf. Os. 6,6. Quod in vulg. iam 15,27 legitur, in hebr. et vulg. habetur quoque v. 6 *misericordia et veritate,* fidelitate, *redimitur,* propitiatur, *iniquitas,* חסד animum designat benignum, benevolum; quare vertitur favor, gratia, amor, misericordia, pietas; *et in timore Domini declinatur a malo*; calamitas vitatur cultu et timore Dei; cf. 3,3; 13,14; Is. 27,9. Iustis enim Deus largitur beneficia; inter quae etiam recensetur reconciliatio inimicorum; cuius rei exempla habes Gen. 26,27 seq. 31,24 prohibetur Laban, ne quidquam aspere loquatur contra Iacob; 2 Sam. 19,9 seq. Ier. 39,12; v. 7 *cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem,* etiam inimicos eius inducit ut pacem cum eo faciant et observent (hebr.); tuetur Deus suos efficaciter ab inimicis.

Fere repetitur 15,16 in v. 8 *melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate*; qui multas divitias colligere desiderat, incidit in periculum per fraudem, oppressionem eas augendi. Uti in v. 1, ita v. 9 dicitur hominem quidem *disponere viam suam* i. e. deliberare et consilia facere, quo modo res singulae sint exsequendae; at prosperum eventum concedi tandem a Deo : et Dominus dirigit gressus eius. Continetur doctrina, ut quae agenda disposuerimus, enixe Deo commendemus, qui ea demum ad exitum perducat. Exhibetur et

describitur in v. 10 auctoritas regia, eius qui summum occupat tribunal; cuius itaque iudicia ac decisiones iam non altiore auctoritate mutari possunt : *divinatio in labiis regis,* קסם oraculum; itaque quasi effatum divinum et iudicium Dei est decisio regis — unde idem enuntiatur in altero sticho : *in iudicio non errat os eius;* aliud tribunal ad quod recurratur non exsistit; ipse ergo condit ius. Iudices simili modo Elohim vocantur; vide Ex. 22,8; 1 Sam. 2,25 hebr.; Ps. 82,6 hebr., quia nomine et auctoritate Dei ius dicunt. Simul monentur reges, ut summa moderatione ac gravitate in iudicando utantur.

Deus tuetur et observari vult ordinem in commercio; v. 11 *pondus et statera iudicia Domini sunt,* pertinent ad iura Domini quibus invigilat et quae sancte servari vult; hebr. statera et bilances iudicii (bilances rectae, legitimae, iustae) Domino; sed uti habet vulg., ita G quoque ῥοπὴ ζυγοῦ δικαιοσύνη παρὰ Κυρίῳ et S efferunt atque eo modo hebr. etiam esse emendandum merito censent *Frank. MK.* (scil. scribendum ומאזנים pro statu constructo); sic enim edicitur Deum esse vindicaturum usum ponderum falsorum; et opus eius *omnes lapides sacculi*; ordo iustitiae a Deo est institutus; cf. 11,1 pondus aequum est voluntas eius; numquid iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa (Mich. 6,12)? praecepta de ponderibus vide Lev. 19,36. Deut. 25,13. Haec enim necessaria sunt, ut pax et concordia inter homines custodiatur. In v. 12 hebr. dicitur modo abstracto : abominatio regum facere iniquitatem; asseritur uti in v. 10 id quod esse debet; et cur merito reges censendi sint abhorrere a facinore, ratio est : *quoniam iustitia firmatur solium*; et regnum ipsis permanere debent optare; vulg. concrete exprimit : *abominabiles regi qui agunt impie,* similiter G abominatio regi ὁ ποιῶν κακά; aliter S : immundi illi reges qui faciunt iniquitatem. Verum ad stichum secundum unice congruit quod hebr. habet, scil. ut ipsi reges abominentur facere iniquitatem (cf. 8,18). Aliud quod regem decet affertur v. 13 *voluntas regum,* beneplacitum, *labia iusta,* ii scil. regibus grati et accepti esse debent, qui iusta loquuntur; eum *qui recta loquitur* diligit; tales enim consiliarii veram utilitatem afferunt, qui etiam non verentur regem monere et reprehendere, si opus fuerit (cf. Nathan ad David). Uti pro rege, ita pro aulicis profert Sapiens doctrinam. Monitum hoc contra noxios dirigitur adulatores.

Duobus sequentibus stichis regia describitur maiestas : et prius quidem quam sit terribilis : v. 14 *indignatio regis nuntii mortis,* si rex indignatur in aliquem, ei hac ira iam quasi nuntius perfertur sibi esse moriendum; ita pro summa illa potestate dicitur, qua orientales reges ius habent vitae et mortis subditorum. Verum huic potestati et iuri cum effectu sese opponere potest vir sapiens : *et vir*

sapiens placabit eam, haec est summa laus sapientiae, hic eius triumphus, quod ipsam potentissimam ferociam, i. e. iram regis potentissimi, reprimat, placet, mitiget sibique victrix subiiciat. Sermo enim regis potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest : quare ita facis (Eccl., 8,4)? at sapiens potentior est. Exemplum habes in Daniele qui sapientia sua magos ab ira regis et morte servavit (Dan. 2). Secundo describitur regia maiestas in exhibenda gratia et munificentia v. 15 *in hilaritate,* in luce *vultus regis vita,* vita promittitur felix; regis scil. benevolentia et gratia praesagium est felicitatis et emolumentorum pro subditis; *et clementia eius,* beneplacitum, favor, *quasi imber serotinus,* nubes pluviae serotinae (hebr.); imber serotinus, mensibus martii et aprilis, plane necessarius est, ideoque exoptatissimus, ut scil. fruges maturescant ad laetam et uberem messem. Ita regis favor beneficia et emolumenta promittit et animos iucunda exspectatione replet, sicut de imbre serotino agricolae maximopere laetantur. Imber iuvat ad uberem messem; maiestas regia pro suo beneplacito habet, unde promat dona magnifica.

16. *Posside sapientiam quia auro melior est; | et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* 17. *Semita iustorum declinat mala; | custos animae suae servat viam suam.* 18. *Contritionem praecedit superbia, | et ante ruinam exaltatur spiritus.* 19. *Melius est humiliari cum mitibus, | quam dividere spolia cum superbis.* 20. *Eruditus in verbo reperiet bona; | et qui sperat in Domino beatus est.* 21. *Qui sapiens est corde appellabitur prudens; | et qui dulcis eloquio maiora percipiet.* 22. *Fons vitae eruditio possidentis; | doctrina stultorum fatuitas.* 23. *Cor sapientis erudiet os eius, | et labiis eius addet gratiam.* 24. *Favus mellis composita verba; | dulcedo animae sanitas ossium.* 25. *Est via quae videtur homini recta, | et novissima eius ducunt ad mortem.* 26. *Anima laborantis laborat sibi, | quia compulit eum os suum.* 27. *Vir impius fodit malum, | et in labiis eius ignis ardescit.* 28. *Homo perversus suscitat lites, | et verbosus separat principes.* 29. *Vir iniquus lactat amicum suum, | et ducit eum per viam non bonam.* 30. *Qui attonitis oculis cogitat prava, | mordens labia sua perficit malum.* 31. *Corona dignitatis senectus, | quae in viis iustitiae reperietur.* 32. *Melior est patiens viro forti, | et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* 33. *Sortes mittuntur in sinum, | sed a Domino temperantur.*

Denuo commendatur acquisitio sapientiae v. 16 : acquirere sapientiam quanto melius auro et acquirere intelligentiam eligitur prae argento (hebr.); cf. 8,10. 11. 19. Sapiens mentem ad bona altiora evehere studet; quare sapientiam, cuius initium est timor Domini praestare docet rebus pretiosissimis. Et bene haec sententia, qua sapientiae possessio praefertur divitiis, subiungitur, quia per sapientiam saepe efficitur quod divitiis fieri non potest; unde Eccl. 7,13 hoc plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuit possessori suo. In v. 17 semita rectorum est recedere a malo, in eo consistit ratio

vitae iustorum seu rectorum, vel ita vivunt, ut a malo, a calamitate rebusque adversis custodiantur; eodem sensu intellige : *semita iustorum declinat mala*; cf. 15,10; qui *custos animae suae,* seu vitae suae esse velit, *servat viam suam,* vivere debebit moribus integris, et suum agendi modum et totam conversationem secundum normam iustitiae et mandatorum Dei dirigere. Nam transgressoribus poena mortis intentatur; cf. 13,3. Insolentia et superbia paratur pernicies, v. 18 *contritionem,* perniciem, calamitatem, *praecedit superbia, et ante ruinam,* ante casum, lapsum, exaltatatio, insolentia spiritus; cf. 11,2; 15,33. Movet quaestionem *Jans.*, si ita res se habet, quomodo iustis quoque miseriae et calamitates accidunt; exemplum cernitur in Iob et Tobia, qui citra superbiam praecedentem contriti sunt et afflicti. Et respondet morem esse Scripturae, quae iustis eveniant, neutiquam dici contritionem et ruinam; his enim nominibus designari tantum mala quae a Deo hominibus inferantur in poenam peccati praecedentis et quae ut mala inferantur. Quibus adiungi oporteat, declaratur v. 19 *melius est humiliari* i. e. demisso esse spiritu *cum mitibus,* cum afflictis, *quam dividere spolia cum superbis*; nam tum poenarum quoque superborum eris particeps; in priore autem conditione socius eris benedictionis humilium; cf. 15,25; 14,11. Is. 2,11-17. Sensus v. 20 dependet ab acceptione *verbi* דבר; si generatim explicatur de re, de negotio, sensus est planus, at simul vulgaris : qui negotio bene attendit, reperiet successum bonum; quare potius explica per emphasin de verbo monitionis, de verbo ac doctrina Dei : *eruditus* qui se sinit erudiri *verbo* tali, *reperiet bona;* supplendum esse Dominum, etiam suadetur altero sticho : *et qui sperat in Domino, beatus est;* qui vere reponit in Deo totam suam fiduciam, is facile quoque verbo Domini se erudiendum praebet; verbum autem Domini per Sapientem communicari ex doctrina sapientiae colligitur.

Cum emphasi effertur v. 21 *qui sapiens est corde,* eius sapientia etiam manifestabitur et praeclaros edet fructus; unde palam agnoscetur et publice *appellabitur prudens,* intelligens. Is quoque erit *dulcis eloquio,* qua suavi facundia *maiora percipiet* « docendo enim illuminatur et dilatatur intellectus docentis et maiorem concipit cognitionem » (*Lap.*); hebr. dulcedo labiorum augebit doctrinam i. e. maiorem vim addet doctrinae, vel ut alii explicant : augebit persuasionem; sermo suavis, apte compositus et iucundus multum confert ad gignendam persuasionem in animis audientium. Quanti emolumenti sit intelligentia, declaratur v. 23 *fons vitae,* salutis, felicitatis est *eruditio* prudentia ei qui eam possidet; ex intelligentia homo hauriet continuo ea quae ad vitam feliciter degendam proficiunt; intelligen-

tia praeditus colet pietatem, immunem se servabit a peccatis, ideoque Dei benedictione fruetur. Aliter se habet stultus : *doctrina,* hebr. disciplina, seu castigatio *stultorum fatuitas;* sua ipsorum stultitia seu perversitate puniuntur; intellige uti 15,10 מוסר רע malam correptionem seu disciplinam.

Fere ut in v. 21, statuitur v. 23 *cor sapientis erudiet os eius*; mens sapientis diriget os eius, ut cum prudentia ac consideratione apte loquatur; sapiens prius perpendit, quid et quomodo apposite loquendum sit; et haec sapientia etiam *labiis eius addet gratiam,* hebr. augebit doctrinam; sermonibus sapientibus augetur vis et robur doctrinae, seu augetur persuasio. Neque id mirum esse videtur; nam v. 24 *favus mellis verba composita,* verba decoris, elegantiae; et talia verba sunt *dulcedo* pro anima et *sanitas* pro ossibus; animam et corpus recreant atque reficiunt; cf. 15,4. 30. Hisce simul traditur doctrina de recto modo loquendi : praecedat sedula consideratio rerum; verba seligantur clara, apta; sermo sit gratia conditus. Denuo monetur, ne quis sibi ipsi nimium fidat et fere repetitur 14,12 in v. 25 *est via* ratio vivendi *quae videtur homini recta,* recta coram viro, plana ante eum; *et novissima eius ducunt ad mortem,* viae mortis; tandem desinit via illa (plana antea) in praecipitium, in perniciem; cf. 14,12.

Egestas et fames est stimulus ad laborandum et fere alluditur ad Gen. 3,19 : in sudore vultus tui vesceris pane, in v. 26 *anima laborantis*, desiderium (fames) laborantis *laborat sibi*, in suam utilitatem subit laborem, *quia compulit eum os suum*; si non fame adigerentur homines, quot et quanti labores non susciperentur? Nunc autem homo laborando quaerit victum, quo os fame hians et latrans satiet (*Lap.*); cf. Eccl. 6,7 omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur. Paupertas et inopia, scribit *Calm.*, magistrae sunt plane admirabiles; mentem ac solertiam acuunt excitantque et artes perficiunt; os et venter creditores sunt importuni et insatiabiles, quibus liberari nemo potest, nec una semel solutione erogata dimitti. In hoc versu *anima* ponitur pro cibi appetentia; haec appetentia adiuvat et impellit laborantem. In v. 27 *vir impius* (alias in vulg. vir Belial) *fodit malum*, cf. fodit aliis foveam, in quam incidentes pereant; apud se solerter cogitat, qua ratione alios perdat, *et in labiis eius ignis ardescit,* dum totus occupatur in insidiis struendis, gerit quasi lingua ardentem ignem, ferentemque ubique incendia; lingua ignis est, inflammat rotam nativitatis nostrae, inflammata a gehenna (Iacob 3,6); cf. 26,23. De pessimis sermonibus explicant *ignem ardentem* (vox cognata Lev. 13,23.28 significat cicatricem ulceris seu combus-

turae); unus *Frank.* intelligit de sermonibus maximam amicitiam fervide asserentibus; ergo vult insignem describi simulatorem; verum vox צרבת maculam foedam designat; quare tali modo cum ignis designetur, de ardenti amicitia non poterit cogitari.

Fere recolitur sententia 6,14. 19 expressa in v. 28 *homo perversus suscitat lites*, vir perversitatum, et calumniator separat amicum familiarem (hebr.), amovet, amittit eum, G ἀνὴρ σκολιὸς... διαχωρίζει φίλους, vulg. *verbosus separat principes*[1], אלוף utique etiam est princeps seu caput stirpis, ita nominantur duces Edom Gen. 36,15-19. 2. 29. 40-43; Ex. 15,15; 1 Chron. 1,51-54; etiam Zach. 9,7; 12,5. 6; sed est quoque amicus familiaris (Ps. 55,14; Mich. 7,5; Ier. 3,4; 13,21), quo sensu hoc loco accipitur quoque apud G et S; cf. 2,17. Vir verbosus i. e. delator, circulator, susurro seminat discordias, inter principes facem doli et belli succendit (*Lap.*). Uti in v. 27, ita hic exhibetur indoles et natura hominis perversi; alia eius malitia tangitur in v. 29 *vir iniquus*, vir violentiae, *lactat amicum suum*, conatur eum seducere et ad suas pertrahere partes, *et ducit eum per viam non bonam*, quo modo hoc conetur consequi, exponitur exemplo 1,10-19; 2,12; 3,31. Sicut 6,13 et 10,10 externis quibusdam signis cognosci potest, a quibus hominibus cavendum sit, ita eandem normam hic statuit Sapiens, v. 30 comprimens oculos suos ad excogitandas perversitates i. e. qui comprimit oculos, excogitat fraudem, mendacia; labia distorquens (si labia distorquet, iam) perfecit malitiam (hebr.); eodem modo explica vulg. *qui attonitis oculis* est, adstat, *cogitat prava*, externus habitus index est mentis et animi; *mordens labia sua*, cum primum mordet labia, iam *perficit malum*; labia distorquere gestus est et indicium insultantis et ludificantis seu exsultantis de malitia perpetrata. Apposite advertit *Lap.* « indicat enim haec parabola conditiones quasdam et signa exteriora hominis, qui alteri machinatur malum, ut ex his illum observantes nobis ab illo caveamus ».

Inter praemia virtutum recensetur longa vita (Ex. 20,12; Ps. 20,5; 22,6; 90,6; Eccli. 1,12); unde v. 31 *corona dignitatis*, ornatus, honoris, *senectus*, senectus honoratur et magna in veneratione habetur; qua ratione potest acquiri? *in viis iustitiae reperietur*; iustus solum potest sperare longam vitam 3,2; 4,10; 8,11; 10,27; 14,27. Minus placet quod etiam proponitur : reperiri senectutem vel canitiem in via iustitiae, quia qualemcumque vitam agant iuvenes aut adultae aetatis homines, tamen iam cani solent iustitiae vacare et poenitere, si quid inique gesserint. Nec obstat quod non semper iustus diu vivat. Quod

1. Similiter vertit *Sym.* ὁ δὲ ὑποκρινόμενος διαστέλλει ἡγούμενον.

enim fere solet fieri, non quod semper fit, his parabolis proponit Sapiens (*Ians.*). Praeclarissima victoria est sui ipsius esse victorem v. 32 *melior est patiens*, longanimis, *viro forti* seu bellatore robusto, *et qui dominatur animo suo*, irae suae et concupiscentiis, praestantior est *expugnatore urbium;* notum est illud : fortior est qui se quam qui fortissima vincit moenia, nec virtus altius ire potest; vel : ardua res vicisse alios; victoria maior est animi fluctus composuisse sui (*Lap. Calm.*); cf. 14,29. Suprema rerum gubernatio a Domino dirigitur; id exemplo declaratur v. 33 *sortes mittuntur in sinum*, in plicaturam sinuosam vestis (circa pectus et cingulum) et a Iahve omnis decisio (hebr.); *sed a Domino temperantur*, reguntur, ordinantur; qua ratione casurae sint, spectat ad Dei dispositionem et iudicium; frequenter fit mentio sortis, Num. 26,55; 33,54; 34,13; 36,2; Ios. 7,14; 14,2; 18,6; 19,51; Ps. 21,19; 77,54 ; Abd. 11 ; Nah. 3,10, Ion. 1,7; Neh. 11,1 ; Act. 1,26 etc. etc. Habet S. Thomas (2^a 2^{ae}, qu. 95, art. 8) quaestionem : utrum divinatio sortium sit illicita; monet varia adesse pericula superstitionis et peccatorum; « si vero necessitas immineat, licitum est cum debita reverentia sortibus divinum iudicium implorare ».

17, 1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, | quam domus plena victimis cum iurgio.* 2. *Servus sapiens dominabitur filiis stultis, | et inter fratres hereditatem dividet.* 3. *Sicut igne probatur argentum et aurum camino, | ita corda probat Dominus.* 4. *Malus obedit linguae iniquae, | et fallax obtemperat labiis mendacibus.* 5. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius; | et qui ruina laetatur alterius non erit impunitus.* 6. *Corona senum filii filiorum, | et gloria filiorum patres eorum.* 7. *Non decent stultum verba composita, | nec principem labium mentiens.* 8. *Gemma gratissima exspectatio praestolantis, | quocunque se vertit, prudenter intelligit.* 9. *Qui celat delictum quaerit amicitias, | qui altero sermone repetit, separat foederatos.* 10. *Plus proficit correptio apud prudentem, | quam centum plagae apud stultum.* 11. *Semper iurgia quaerit malus, | angelus autem crudelis mittetur contra eum.* 12. *Expedit magis ursae occurrere raptis foetibus, | quam fatuo confidenti in stultitia sua.* 13. *Qui reddit mala pro bonis, | non recedet malum de domo eius.* 14. *Qui dimittit aquam caput est iurgiorum; | et antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit.*

Quod 15,16.17 et 16,8 dictum est, recolitur 17,1 *melior est buccella sicca*, sine obsonio, *cum gaudio* et quies in ea (hebr.), scil. ut ea frui liceat cum pace et tranquillitate, *quam domus plena victimis cum iurgio*, quam lautae epulae, in quibus rixae et contentiones concordiam pessumdant. Maius quippe bonum est pax quam dapes opiparae. Experientia constat quanti aestimanda sit intelligentia v. 2 *servus sapiens dominabitur* filio nequam, inepto, qui parentibus ignominiae est (מביש); item Eccli. 10,28 servo sensato liberi servient; nam qui strenuus est ac solers dominabitur; qui piger est, pauper erit et serviet; cf. 12,24; *et inter fratres* hereditabit; ipse quoque partem habe-

bit in hereditate; ita et veterum plures et recentiores verba intelligunt; de voce חלק vide 1 Sam. 30,24; Iob 27,17; 39,17. Deus corda hominum probat et emendat, purgat, v. 3 catinus argento et fornax auro et probans corda Iahve (hebr.), catino et fornace purgantur metalla; Deus quoque varia adhibet adiumenta ad homines corrigendos, probandos; sensum clare tradit vulg. *sicut igne probatur argentum et aurum camino, ita corda probat Dominus*; cf. Is. 1,25; Ier. 6,29. 1 Petr. 1,7 nunc oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur, etc. cf. 15,11; 16,2; 21,2; Eccli. 2,5; Sap. 3,6.

Quibus sermonibus minime sit danda attentio, docetur v. 4 *malus* attendit ad labium iniquitatis, *obedit linguae iniquae*; vir probus itaque aures avertet a sermone calumniae; (uti habetur G, S in altero sticho) et mendacium, si quis audit linguam facinorum (hebr.) i. e. qui eiusmodi sermones libenter audit, fovet et propagat mendacium; nam eo quod audit, alii stimulantur, ut exaggeratione et mendaciis res augeant et exornent; et qui talia audit, facile eadem etiam aliis narrando consors fit mendaciorum; vulg. *et fallax obtemperat labiis mendacibus,* homo mendax libentissime suscipit et divulgat mendacia. Pauperem qui despiciat, iniuriam facere eius creatori, iam 14,31 monuit Sapiens et hic v. 5, utique simul addit : *et qui ruina laetatur (alterius), non erit impunitus*; tali scil. laetitia ille maxime offenditur qui in paupertatem vel aliud infortunium incidit; cf. Eccli. 4,6 maledicentis tibi in amaritudine animae, exaudietur deprecatio illius. Lege talionis pariter postulatur, ut is qui laetatur de malo alterius, in parem vel similem incidat calamitatem et ut pariter alii ei insultent (*Lap.*).

Inter Dei benedictiones recensetur larga posteritas; cf. Ps. 126,3; 127,3. 4 uxor tua sicut vitis abundans, filii tui sicut novellae olivarum — ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

Unde consequitur v. 6 *corona senum filii filiorum,* duplex hic enuntiatur benedictio : senectus, longa vita inter praemia virtutis refertur; item laeta posteritas, quae senem, patrem et avum, quasi corona circumdat et exornat; *et gloria filiorum patres eorum,* filii gloriantur et se beatos existimant ob patris auctoritatem, sapientiam, honorem; cf. Eccli. 3,13 gloria hominis ex honore patris sui. Ex nobili descendere prosapia ubique gentium magni aestimatur. Simul utrisque, et patribus et filiis insinuatur adhortatio, ut probi sint, cum probitas non ipsis solis sit honori et utilitati, verum etiam ad eos redundet qui ipsis maxime iuncti sunt eisque decus et gloriam afferat. In v. 7 controvertitur de dictione שפת יתר vel labium excellentiae, superabun-

dantiae, itaque arrogantiae, vel labium praestantiae i. e. sermo idoneus, bene compositus. Hominis stulti sane est loqui arroganter et cum multo fastu; unde bene vulg. *non decent stultum verba composita,* elegantia multa quaesita; talis sermo in ore fatui fere esset « sicut circulus aureus in naribus suis » 11,22; *nec principem labium mentiens,* quanto minus (hebr.) nobilem decet mentiri. Verbis enim viri nobilis propter auctoritatem talis viri omnes facile adhibent fidem; quare tali mendacio periculum esset, ne plurimis falsa pro veris imponerentur. Uti homines non exspectant a stulto sermones praestantes, ita multo minus a viro nobili mendacia proferri autumant. Continetur admonitio pro viro nobili.

Bene refert *Lap.* ad v. 8 varia de veterum opinionibus, quibus gemmis varias adscribebant vires; saphirum v. g. et hyacinthum conciliare gratiam et amorem, adamantem comprimere iram et coniugum amorem fovere. Eiusmodi gemma, qua gratia et felicitas conciliatur hebr.: lapis gratiae est munus in oculis heri eius (habentis illud); munus est quasi vis quaedam magica, qua qui illud habet cuncta ad libitum disponit et fascinationem in alios exercet; munera enim etiam prudentes excaecant et subvertunt verba iustorum (Deut. 16,19). Quam efficacia sint, declaratur in altero sticho : *quocumque se vertit,* prosperum successum habet (hebr.). Textus vulg. est sat obscurus : *gemma gratissima exspectatio praestolantis,* ad hebr. verba trahere conatur *Lap.* vocari exspectationem praestolantis, munus quod accepturus exspectat et praestolatur. Sed sensus vulg. ita concipi poterit : res exspectata a praestolante magni fit estque in oculis eius velut gemma gratissima; itaque quocumque se talis exspectans vertit et quidquid aggreditur, prudenter se gerere studet quo re desideratissima non fraudetur, sed eam aliquando assequatur (*Ians.*).

Ad amicitiam conciliandam et conservandam traditur doctrina in v. 9 *qui celat* (obtegit) *delictum,* qui delictum alterius contra se vel alios admissum non divulgat neque obiectat, sed oblivione sepelit, nec iratum se ostendit, *quaerit amicitias,* hic sibi amorem conciliat illius a quo laesus fuit et alios quoque inter se conciliat (*Lap.*), *qui altero sermone repetit,* qui vero delictum (iam fere sepultum) iterum repetit et refricat, *separat foederatos,* amovet, abigit amicum (hebr.); qui rem (secretam) in vulgus spargit, in culpa est, ut amicitia dissolvatur; cf. 10,12; 16,28; Eccli. 22,25-28; 28,15. 16.

G et S exhibent v. 10 συντρίβει ἀπειλὴ καρδίαν φρονίμου, correptio frangit cor prudentis, et ita *Frank.* etiam hebr. emendandum censet (hebr. חתח quod iam *Lap.* praetulit); alii hebr. explicant : descendit correptio in prudentem magis quam verberare centum (plagis) stultum; fer-

tur versio *Aq.* πλῆξις ἐπιτιμήσεως ἐπὶ συνιόντι, *Theod.* ἥξει ἐπιτίμησις εἰς τὸν συνετὸν ὑπὲρ τὸ πλῆξαι ἄφρονα. Indicatur discrimen inter cordatum et stultum. Bene vulg. *plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagae apud stultum;* prudens facile corrigitur; admonitionem bene suscipit; S pro correptione flagellatur stultus, similiter G ἄφρων δὲ μαστιγωθεὶς οὐκ αἰσθάνεται. In v. 11 iterum describitur et punitur vir malus : *semper* (tantum, solum) *iurgia* (rebellionem) *quaerit malus,* rebellis est et contumax contra Dei hominumque praecepta; *angelus,* nuntius *autem crudelis mittetur contra eum,* Deus ad supplicia inferenda adhibet tamquam ministros spiritus procellarum, ignem urentem, grandines, sulfur, tempestates (Ps. 77,45; 103,4). Quale periculum imminere possit ab fatuo, cum emphasi describitur v. 12 *expedit magis ursae occurrere raptis foetibus,* qua conditione maximo furore agitatur, *quam fatuo confidenti in stultitia sua*; sensum bene reddit vulg.; hebr. occurrat ursa orbata alicui, ne tamen stultus in sua stultitia. Furor ursae ratione et consilio declinari potest; at hominem qui ratione abutitur et eam tamquam arma pessime adhibet, qua ratione declinabis (*Lap.*)? magis id valet de homine vesano, mente capto, qui furore delirus evasit. Significatur quoque, ut *Ians.* notat, hyperbolica comparatione valde cavendum esse, ne quis contendat cum stultis eorumque stultitiae obsistere conetur disputando et arguendo, maxime si quis in sua stultitia et errore sibi placeat et confidat.

Gravis poena manet hominem ingratum v. 13 *qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius;* id iam exigitur norma retributionis vel lege talionis; talem ultionem expetivit Ieremias (18,19-23); hanc normam iustam agnoscit psalmista : si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (Ps. 7,5) et exposcit pro ingratis poenam (Ps. 108,5 seq.), sicut David quoque quaesivit vindictam de Nabal ingratitudine (1 Reg. 25,21 seq.). Prius membrum v. 14 et veteres et recentiores intelligunt per comparationem : sicut *qui dimittit aquam,* ita *caput est iurgiorum,* « qui iurgari incipiunt, similes illos dicas homini aggerem rumpenti, qua rapidi amnis aquae erumpant; fiet enim brevi, ut inductum a se malum reparare non possit; mire his verbis exprimuntur mala linguae maledicae » (*Calm.* sim. *Lap.*). Ex G sequitur (ἐξουσίαν δίδωσιν λόγοις) non de dimissione aquae (מים), sed de dimissione verborum seu sermonum (מלים) in hebr. mentionem fuisse : verba inconsiderata emittere, initium est contentionis seu rixae. Alter stichus in hebr. : antequam efferbuit rixa, dimitte; eo sensu explica vulg. *antequam patiatur contumeliam,* vir prudens *iudicium* (rixam, contentionem) *deserit* i. e. litigationem exor-

tam relinque et mox recede, antequam magis accendatur et tu contumelia obruaris. Cavendum omni cura est, ne ex parva quadam offensione, ex inconsideratis nugis et sermonibus acris oriatur disceptatio; satius est eam abrumpere abscedendo.

15. *Qui iustificat impium et qui condemnat iustum, | abominabilis est uterque apud Deum.* 16. *Quid prodest stulto habere divitias, | cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam quaerit ruinam, | et qui evitat discere, incidet in mala.* 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, | et frater in angustiis comprobatur.* 18. *Stultus homo plaudet manibus, | cum spoponderit pro amico suo.* 19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas, | et qui exaltat ostium quaerit ruinam.* 20. *Qui perversi cordis est, non inveniet bonum, | et qui vertit linguam, incidet in malum.* 21. *Natus est stultus in ignominiam suam, | sed nec pater in fatuo laetabitur.* 22. *Animus gaudens aetatem floridam facit; | spiritus tristis exsiccat ossa.* 23. *Munera de sinu impius accipit, | ut pervertat semitas iudicii.* 24. *In facie prudentis lucet sapientia; | oculi stultorum in finibus terrae.* 25. *Ira patris filius stultus | et dolor matris quae genuit eum.* 26. *Non est bonum damnum inferre iusto, | nec percutere principem qui recta iudicat.* 27. *Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est; | et pretiosi spiritus vir eruditus.* 28. *Stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur, | et si compresserit labia sua, intelligens.*

Deus iustum fieri iudicium vult (cf. Ex. 23,2; Deut. 25,1); quare abominatio Domini (hebr.) est iudex qui impium absolvit, extra culpam esse pronuntiat, et iudex qui hominem iustum, innocentem damnat, reum esse declarat v. 15; talibus dicitur vae Is. 5,23. Quod de iudicio forensi dicitur, valet suo modo de iudicio privato et de ipsa quoque iustitia et iniustitia, v. g. si quis impietatem impii laudat, excusat utpote convenienter factum, si vitia virtutum nomine pallientur et virtutes specie vitiorum dehonestantur (*Lap.*). Divitiae subsidium sunt ad bona acquirenda. Bonum hominis verum et eximium est sapientia. Quae cum divitiis emi et acquiri non possit (8,11; 3,15), ad quid pretium (emendi) in manu stulti? ad emendam sapientiam et non est ei cor (intelligentia, hebr.); deest stulto intellectus; ergo ridiculum, si vult sibi acquirere sapientiam. Bene G acquirere sapientiam ἀκάρδιος non potest; similiter S. Sensum exprimit vulg. v. 16 : *quid prodest stulto habere divitias?* nequit emi sapientia; gradatione quadam dicitur in hebr. deesse stulto intellectum, ergo plane fieri non posse, ut acquirat sapientiam, cum desit ratio qua suscipiatur sapientia. G et vulg. addunt versum, cuius fere pars etiam in hebr. v. 19 legitur : *qui altam facit domum suam quaerit ruinam*; nisi enim domus altae magnis fundamentis crassisque parietibus sint subnixae, facile dehiscunt et ruunt sua mole et pondere; facile quoque evertuntur nimio vento vel terrae motu, dum domus parvae manent incolumes. Quae sententia quoque valet de iis qui se, suas familias et

opes cito et nimium exaltare volunt, vel maiora quam vires permittunt moliuntur, maiores appetunt dignitates et prae iactantia se suaque plus aequo commendant et extollunt, quibus ruina quaedam aut casus infelix imminet. Hi omnes agunt imprudenter; unde merito sequitur : *et qui evitat discere,* σκολιάζων tortuose incedens ad discendum, aegre declinans, *incidet in mala*; ignorantia enim fecunda mater est malorum omnis generis; cf. v. 20; sapientia autem cuncta affert bona.

Describitur qui vere sit amicus v. 17 *omni tempore diligit qui amicus est,* bene vulg. sententia relativa expressit emphasin quae est in articulo hebr.; et talis amicus verus magis etiam se praebet intimum amicum, et veluti *frater in angustiis comprobatur,* hebr. et (tamquam) frater pro angustia nascitur; in rebus adversis amico iam assistit ut frater, arctiore quoque vinculo ei iunctus et cognatus. Alii hoc membrum concipiunt ita, ut de amico non fiat sermo; sed prorsus aliud quid subdatur : vel : frater autem pro tempore angustiae creatus est; vel et pro angustia debebit adhuc nasci (nondum adest!). Verum in utraque hac acceptione derogatur laudi quae amico tributa est; nam si omni tempore diligit qui vere amicus est, etiam tempore angustiae se exhibebit amicum, adiutorem, consolatorem; vices geret fratris maiore quam antea studio prosequens amicum. Cur igitur ei opponeretur frater? an quia angustia tanta est, ut unus amicus non par sit adiutorio? sed tale quid non indicatur. Et si adhuc nasci debebit frater pro angustia, prius membrum suo fere sensu destituitur. Aliis videtur institui quasi comparationem inter amorem amici et fratris seu cognati; amicum scil. verum omni tempore habere magnum amoris affectum; sed fratrem seu cognatum communiter tam vivum amoris sensum non habere; at si eius frater in magnam incidat calamitatem et angustiam, tum viscera eius commoveri et affectum eius ex naturali cognatione vehementer excitari. Sed non placet fratrem quemvis neglectionis cuiusdam accusari. Breviter et clare Sapiens conditiones praescribit, ut *Ians.* ait, veri amici, ut eum a ficto et temporario amico dignoscamus; in tempore angustiae comprobatur quis sit homini frater seu verus amicus. Quod hebr. habetur, fratrem in adversitate nasci, non est aliud quam eum qui in adversitate persistit in amicitia, hoc ipso fieri homini fratrem et dignum qui frater vocetur.

Iterum cavendum esse monetur a sponsione v. 18 *stultus homo plaudet manibus,cum spoponderit pro amico suo,* homo carens intellectu est, qui manum dat, qui sponsionem spondet pro proximo (hebr.) cf. 6,1 seq. 11,15. Eccli. 29,21; ubi pericula sponsionis expo-

nuntur. Dein v. 19 agitur contra concertationis studium et superbiam : amat peccatum amans contentionem (hebr.), *qui meditatur discordias, diligit rixas*; contentiones enim et lites multa provocant iurgia, convicia, blasphemias, aliaque peccata; unde bene in hebr. dicitur eos amare praevaricationem, qui litigationes amant; in vulg. designantur inimici pacis et concordiae, quorum indoles sibi complacet in excitandis rixis; huic indoli cognata est superbia : *et qui exaltat ostium, quaerit ruinam*; cf. 16,18; superbia hic depingitur in aedificatione domus magnificae, cui ostium seu propylaeum altum et sublime congruat; vide ad v. 16. Ceterum qui se prae aliis extollere cupit et eminere vult, alios in se provocat et saepe misere deiicitur; aliis verbis; qui fastum et superbiam appetit, sibi ipsi foveam et interitum parat. Exaltare ostium aliqui mutandum censent exaltare os i. e. iactantiam prae se ferre et uti sermonibus gloriosis; sensus non mutatur; imagine enim de domo magnifica, cui ostium sublime conveniat, idem indicatur.

Cor et lingua, cogitatio et sermo inter se correspondent; cf. 16,21. 23; ita hic quoque v. 20 *qui perversi cordis est,* falsa et perversa assidue mente volvit, *non inveniet bonum*; nam peccato debetur poena et infelicitas et maledictio; *et qui vertit,* pervertit, *linguam,* perversus est in lingua sua, ergo mendax, contumeliosus, spargens convicia, *incidet in malum*; peccata linguae plurima excitant et provocant mala. Homo stultus parentibus creat molestiam v. 21 gignens stultum in moerorem sibi (hebr.) i. e. qui gignit stultum, sibi ipsi gignit moerorem cf. Eccli. 16,1 ne iucunderis in filiis impiis, nec oblecteris super ipsos; *natus est stultus in ignominiam suam,* effertur in vulg. stultum sibi ipsi esse ignominiae et opprobrium sibi ipsi afferre; *nec pater in fatuo laetabitur,* nec gaudebit pater fatui (hebr.); cf. 10,1; 15,20 et Eccli. 22,3 confusio patris est de filio indisciplinato. Quae sit habitudo inter affectiones animi et conditiones corporis, indicatur v. 22 *animus gaudens,* cor laetum (hebr.) *aetatem floridam facit,* affert bonam sanationem (ita גהה explicant; cf. Os. 5,13), G εὐεκτεῖν ποιεῖ, *Sym.* ἀγαθύνει ἡλικίαν, S pulchrum facit corpus (ergo גוה;) laetitia animi non solum in vultu resplendet, verum etiam multum proficit sanitati; *spiritus tristis,* oppressus, afflictus, *exsiccat ossa,* facit hominem contabescere, vim et vigorem vitalem enecat; cf. 12,25; 15,13. Eccli. 30,22. 23. 25 multos occidit tristitia; zelus et iracundia minuunt dies; dum vero e contra : iucunditas cordis haec est vita hominis; et 3,8.

Caveant iudices a muneribus v. 23 *munera de sinu* (quae occulte in plicatura vestis sinuosa afferuntur; cf. 16,33) *impius accipit, ut per-*

vertat semitas iudicii, ut ius pervertat, ut vias iuris declinet, rectum iuris quasi cursum deflectat, impediat; cf. Ex. 23,8; Lev. 19,15. Deut. 1,17; 16; 19; Eccli. 20,31. Effertur discrimen sapientem inter et stultum v. 24, et quidem in hebr. coram facie intelligentis sapientia i. e. semper intentus est ad sapientiam vir prudens, eam spectat, eam habet quasi sibi praesentem et assistentem; oculi autem stulti in finem terrae, scil. vagantur in longinquum, in incertum; nescit stultus, ad quid mens et attentio sit dirigenda. In G, S, vulg. enuntiatur discrimen cerni in ipso vultu vel aspectu : *in facie prudentis lucet sapientia,* in eius facie elucet interior eius sapientia et virtus; vultum prae se fert plenum dignitatis, ita ut iam vultu sibi conciliet auctoritatem; similiter G πρόσωπον συνετὸν ἀνδρὸς σοφοῦ ipse vultus, facies viri sapientis est intelligens, prae se fert et manifestat intelligentiam, sapientiam (similiter S); aliter se praebet stultus : *oculi stultorum in finibus terrae,* explica : in fines terrae; nam in latinitate vulg. saepius in cum ablativo ponitur, ubi in cum accusativo accipi debet (cf. Iud. 4,9. Ios. 17,4 sicuti etiam quandoque apud profanos; v. g. Plinius hist. n. 18,35, 87); oculi stulti sunt vagi, instabiles, indeterminate quasi in vacuum prospectantes. Alii apophthegma hoc concipiunt ita ut prudentes dicantur in omni re sapientiam ob oculos habere, stulti e contra occupari rebus plurimis excepta una sapientia, seu sola respicere terrena; cf. Eccl. 2,14.

Stultus parentibus affert moerorem v. 25 *ira patris filius stultus et dolor* ei quae genuit eum; apte ad indolem utriusque sexus loquitur Sapiens; patres enim, quia viriles, ob noxam filiorum magis corripit ira quam moeror; matres vero, quia feminas, molles et temere amantes filios, magis corripit moeror, quam ira (*Lap.*). Stultus filius est non solum insipiens, verum etiam dissolutus, inobediens, perversus; cf. v. 21; 10,1; 15,20; 19,13. In vulg. planus est sensus v. 26 poena vel pecunia mulctare (hebr.) iustum, *non est bonum, nec* bonum est *percutere principem qui recta iudicat,* G οὐδὲ ὅσιον ἐπιβουλεύειν δυνάσταις δικαίοις, insidiari principibus iustis, S percutere iustos loquentes recta; hebr. etiam mulctam imponere iusto, non est bonum, percutere nobiles contra rectitudinem (non est bonum?). Iste alter stichus in hebr. est ieiunus; nam contra ius etiam hominem plebeium percutere, non est bonum; cur ergo hic sermo de nobilibus? neque nobiles nativitate seu dignitate aptam habent oppositionem ad iustum prioris stichi; de nobilibus virtute et moribus vox non adhibetur; neque si adhiberetur, haberes sensum bonum! Quare *Frank.* parva textus hebr. mutatione stichum alterum efformat ita : (eum) opprimere in iudicio, contra rectum (להטות בדין). Alii volunt nos

moneri, ne lingua aut manu percutiamus iudices qui contra nos in defensionem iusti sententiam protulerint; ne irascamur iuste repulsi.

Prudentis viri est cohibere eloquia v. 27 *qui moderatur* (continet) *sermones suos, doctus et prudens est,* scit scientiam (hebr.); imprudentis est omni occasione in multa verba prorumpere; in altero sticho vulg. exprimit hebr. qeri : *et pretiosi spiritus vir eruditus,* pretiosus spiritu : quo sensu? ex parallelismo non congruit acceptio : excellentem habens indolem; sed exigitur id quod monet *Lap.* : pretiosi spiritus est is qui moderatur sermones suos; unde pretiosus spiritu ille est qui impetum loquendi cohibet, quia verba sua rara et cara habet. Ita si vocem accipis, notionem habes eandem cum hebr. וקר (ketib) et frigidus spiritu, scil. is qui non calet ira vel fervore loquendi, sed moderatus est, novit cohibere affectus et pruritum loquendi. Eandem notionem exprimit S : patiens (tardus), G μακρόθυμος δὲ ἀνὴρ φρόνιμος. Per aliquam hyperbolen ostenditur utilitas tacendi v. 28 *stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur*; cf. Iob 13,5 utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes; Eccli 20,5 est tacens qui invenitur sapiens; cf. 12,23; *et si compresserit labia sua, intelligens* censebitur et aliqua ratione revera est intelligens; est enim non minima prudentiae pars tegere stultitiam. Insuper illi quoque qui ceteroquin eum norunt tamquam minus habentem ingenii, saltem in ea parte et pro eo tempore ipsum prudenter agere fatebuntur eumque laudabunt.

18,1. *Occasiones quaerit qui vult recedere ab amico;* | *omni tempore erit exprobrabilis.* 2. *Non recipit stultus verba prudentiae,* | *nisi ea dixeris quae versantur in corde eius.* 3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit;* | *sed sequitur eum ignominia et opprobrium.* 4. *Aqua profunda verba ex ore viri,* | *et torrens redundans fons sapientiae.* 5. *Accipere personam impii non est bonum,* | *ut declines a veritate iudicii.* 6. *Labia stulti miscent se rixis,* | *et os eius iurgia provocat.* 7. *Os stulti contritio eius,* | *et labia ipsius ruina animae eius.* 8. *Verba bilinguis quasi simplicia,* | *et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrum deiicit timor;* | *animae autem effeminatorum esurient.* 9. *Qui mollis et dissolutus est in opere suo,* | *frater est sua opera dissipantis.* 10. *Turris fortissima nomen Domini;* | *ad ipsum currit iustus et exaltabitur.* 11. *Substantia divitis urbs roboris eius,* | *et quasi murus validus circumdans eum.* 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis;* | *et antequam glorificetur, humiliatur.*

Qui amicitiam dissolvere vult, quaerit occasiones seu ansas eam dissolvendi — et qui tales quaerit, eas utique invenisse mox sibi videtur; verum in tali studio ille se praebet prorsus reprehensibilem. Ita v. 1 G et vulg. exhibent. Potest prior stichus hebr. eodem modo intelligi; praesertim si legitur לתאנה; quod habetur לתאוה proprie est : volupta-

tem quaerit qui se separat; alterum stichum hebr. aliqui explicant: omni modo rixam excitat, vel melius : omni vi, contra omnem (communem?) utilitatem[1] rixam provocat; contra omne bonum contendit, is scil. qui se a consuetudine communi subtrahit vel se ab amico separare vult. Quod 12,23 et 15,2 indicatur, etiam similiter enuntiatur in v. 2 *non recipit stultus verba prudentiae* hebr. non placet stulto intelligentia, sed (placet ei) si se revelet cor eius, id quod vulg. periphrastice explicat : *nisi ea dixeris quae versantur in corde eius*; solum sua ipsius stultitia delectatur, id quod G exprimit, eum potius duci insipientia, et S cor eius meditari insaniam. In v. 3 vulg. clare exprimit, quod G praebet : *impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit*, crescens in impietate tandem contemnit omnia monita, omnia iura divina et humana; ut ipse cuncta contemnit, ita pariter contemnitur, *sed sequitur eum ignominia et opprobrium*; in hebr. hoc ultimum enuntiatur : cum venit impius (lege alia punctatione : impietas), venit etiam contemptus et cum flagitio opprobrium; impietas tandem dedecore et ignominia operietur. Sicut impius contemnit alios, ita ipse quoque contemptui habebitur. S quoque vestigiis G insistit: si venit impius in profundum mali, venit super eum stultitia et iniquitas et contumelia et probrum; cf. 11,2.

Celebratur profunditas, copia, claritas, vis consiliorum quae suggerit sapiens (*Calm.*) v. 4 *aqua profunda verba ex ore viri*, consideratione opus est, ut sensus eorum profundus seu sublimis intelligatur; ubertas eorum describitur *torrens redundans;* et hanc ubertatem non defecturam esse indicatur tertio enuntiato *fons sapientiae*, fonte quippe insinuatur notio aquae iugiter manantis, nunquam deficientis. Aliis placuit ex altero sticho propriam efformare sententiam : torrens redundans est fons sapientiae (cf. *Frank.*); at fontem describi per torrentem vel esse torrentem, potius mirum esse videtur.

Reprobatur partium studium v. 5 *accipere personam impii non est bonum* i. e. favorem praestare impio cum laesione iuris, vel parcere sonti eumque dimittere sine ultione iniuriae, *ut declines a veritate iudicii*, id quod cum illo partium studio fere coniunctum est; etiam peius erit, si innocens, iustus in iudicio propter illud studium summa cum iniuria damnatur, iure suo privatur et opprimitur, uti hebr. habet: ad repellendum iustum in iudicio, i. e. ad eum opprimendum et iustam eius causam subvertendam; G ἐκκλίνειν τὸ δίκαιον ἐν κρίσει; vulg. potius G sequitur, vel dicas, S. Hieronymum saepius צדיק et צדק non satis distin-

1. Hebr. תושיה cf. 2,7; 3,21; 8,14 explicatur salus, auxilium, prudentia, consilium; et hoc loco G ἐν παντὶ καιρῷ; alii : omni vi (cf. Iob 12,16) — inde exoritur varietas illa interpretationis.

guere; ceterum de partium studio vitando cf. Lev. 19,15. Deut. 1,17; 16,19. Eccli. 42,1. — Cavendum esse a iurgiis ostenditur in v. 6 *labia stulti miscent se rixis* i. e. sermones stulti veniunt ad rixam (hebr.); stultus ita loquitur, ut exsistat rixa, *et os eius* ad verbera vocabit (hebr.); ita absurde loquitur, ut tandem vapulet; plagae ac percussiones ex rixis oriri solent; vulg. partes stulti ita delineat : *iurgia provocat*, suis sermonibus rixas et contentiones auget. Stultus sua stultitia sibi ipsi est in perniciem v. 7 *os stulti contritio eius*, pernicies sibi ipsi est fatuus sermonibus suis; cf. 13,3; *et labia ipsius ruina*, laqueus, *animae eius*; laqueum, quo vita eius maximum periculum incurrit, laqueum mortis sibi ipse sermonibus suis ponit.

In v. 8 agitur contra susurrones et calumniatores : *verba bilinguis quasi simplicia*, hebr. generatim explicant : verba calumniatoris quasi cuppediae; quae est naturae humanae indoles saepe perversa, uti cuppediae, cibi delicati avide appetuntur et deglutiuntur, ita sermones detractionum et calumniarum libenter morbida quadam curiositate excipiuntur, et alte animis infixi haerent *et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris;* quod vulg. habet, similiter explica : verba susurronis sunt *simplicia,* i. e. videntur candida, vera, sincera; avide audiuntur, at secum vehunt venenum, quod cito penetrat ad intima corporis (*Lap.*). Homo dolosus et maledicus dicitur bilinguis; ut certius feriat, nihil se moliri in adversarium exterius exhibet; quin et amicitiam deque alterius bono sollicitudinem simulat (*Calm.*). Additur in vulg. distichon quod in G loco v. 8 hebr. legitur : *pigrum deiicit timor*; pigrum consternat timor laboris; piger horret laborem; unde piger affligitur fame; *animae autem effeminatorum*, ἀνδρογύνων, ignavorum, mollium, *esurient;* inopia laborabunt; « si quis non vult operari, nec manducet » (2 Thess. 3,10). Similem sententiam effert v. 9 *qui* (*mollis et*) *dissolutus,* remissus, *est in opere suo,* in negotio suo, *frater est* (*sua opera*) *dissipantis,* ei scil. quam maxime similis et cognatus est; qui omittit res suas bene curare, eadem negligentia laborat atque is qui bona sua dissipat vel destruit.

Deus protector est iustorum v. 10 *turris fortissima nomen Domini,* nominatio et invocatio Dei est tutissimum praesidium; Deus enim sibi ipsi, nomini suo, suae gloriae debet, ut iusto opituletur; *ad ipsum,* ad eam turrim, ad tale propugnaculum *currit iustus et exaltabitur,* et protegitur, securus et tutus est; cf. Ps. 26,5 abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me; Ps. 31,21. Nomine homo innotescit et ab aliis quoque distinguitur; quare nomen Dei saepe est Deus quatenus se manifestavit et ab hominibus agnosci vult; quare nomen

complectitur naturam Dei et doctrinam de Deo. Apud Deum iustus quaerit refugium et securitatem. Opem et auxilium praestant divitiae quoque; verum periculum est, ne dives iis nimium confidat v. **11** *substantia* (possessio) *divitis urbs roboris eius,* cf. 10,15; *et quasi murus validus circumdans eum*; tutum se dives existimat; opes enim conciliant auctoritatem, potentiam, subsidia omnis generis. Hebr. communiter vertunt : et ut murus altus in eius imaginatione; de voce cf. Ps. 73,7; ea versione simul indicatur, quam fallaces divitiae esse possint et quam labilis sit spes in iis reposita. Ad acceptionem vulg. accommodatur S et in muro valido domicilium eius. Fere repetitur ex 16,18 et 15,33 hic v. **12** *antequam conteratur,* ante perniciem, ante ruinam, *exaltatur cor hominis,* superbia praecedit, affert ruinam; *et antequam glorificetur, humiliatur*, ante gloriam (praecedit) humilitas (hebr.); humilitas via est ad gloriam; en Christi verba : qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur (Matth. 23,12. Luc. 14,11; 18,14). *Sym. Theod.* καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραότης.

13. *Qui prius respondet quam audiat,* | *stultum se esse demonstrat et confusione dignum.* 14. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam,* | *spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* 15. *Cor prudens possidebit scientiam,* | *et auris sapientium quaerit doctrinam.* 16. *Donum hominis dilatat viam eius,* | *et ante principes spatium ei facit.* 17. *Iustus prior est accusator sui,* | *venit amicus eius et investigabit eum.* 18. *Contradictiones comprimit sors,* | *et inter potentes quoque diiudicat.* 19. *Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma,* | *et iudicia quasi vectes urbium.* 20. *De fructu oris viri replebitur venter eius* | *et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.* 21. *Mors et vita in manu linguae;* | *qui diligunt eam, comedent fructus eius.* 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum* | *et hauriet iucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum;* | *qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.* 23. *Cum obsecrationibus loquetur pauper;* | *et dives effabitur rigide.* 24. *Vir amabilis ad societatem* | *magis amicus erit quam frater.*

Esse agendum cum debita consideratione, non praecipitanter, monetur exemplo allato v. 13 *qui prius respondet quam audiat,* id ei est stultitiae et ignominiae (hebr.); ei reputabitur ad stultitiam; Eccli. 11,8 priusquam audias, ne respondeas verbum; sapiens enim valde cautus et potius parcus est in loquendo; cf. 17,27. Quantopere valeat animi affectio et conditio declaratur v. 14 *spiritus viri sustentat imbecillitatem suam,* animus scil. laetus et alacer infirmitatem quoque morbumque facile suffert; item S; eodem modo vertunt hebr. *Aq. Theod.* πνεῦμα ἀνδρὸς διοικήσει ἀρρωστίαν αὐτοῦ, *Frank.* emendat (alia punctatione) hebr. (secundum G θυμὸν ἀνδρὸς πραΰνει θεράπων) iram viri sustinet qui eum demulcet (scil. מְחַלֵּהוּ). Spiritum vero afflictum, quis sustinebit eum? ita hebr., cui satis congruit G ὀλιγόψυχον δὲ ἄνδρα τίς ὑποίσει; animum deiectum, tristem quis portabit? Attende in hebr. in priore

membro רוח adhiberi genere masculino; designatur scil. spiritus fortis, virilis, qui facile molestias fert; in altero vero genere feminino; designatur spiritus depressus, infirmus, ignavus. Vulg. *spiritum ad irascendum facilem,* animum sui ipsius impotem, qui statim impetu passionis abripiatur, ideoque se debilem exhibeat, *quis poterit sustinere?* Hebr. etiam apud S exprimitur; cf. 15,13. — Sapiens maiorem acquirere studet sapientiam v. 15 *cor prudens possidebit scientiam*; cf. 15,14 quaerit scientiam cor prudens; etiam hic explica יקנה acquirit, G κτᾶται, item acquirit; similiter S; quae acceptio etiam alteri sticho congruit : *et auris sapientium quaerit doctrinam,* scientiam. Sapiens scil. mente sua et consideratione auget scientiam perpensis rerum rationibus ulteriores conclusiones sibi efformans (i. e. cor acqui rit etc.); praeterea sese facit discipulum sapientium ex eorum thesauris novas hauriens cognitiones (auris quaerit etc.); cf. 15,31. Duo assignantur adiumenta : meditatio, auditio.

Dono dato multiplex acquiritur emolumentum v. 16 *donum hominis* donum quod quis dat *dilatat viam eius et ante principes spatium ei facit,* eum ducit (hebr.); liberalitate multa commoda in negotiis gerendis, favor hominum, auctoritas acquiruntur; larga dona aditum quoque ad magnates aperiunt submotis difficultatibus : « sic Iacob praemissis muneribus viam sibi stravit ad Esau fratrem eumque sibi infensum reconciliavit (Gen. 33); sic Barlaam fingens se habere gemmam pretiosam dandam Iosaphat filio regis, viam undique conclusam ad eundem sibi aperuit eumque ad fidem Christi convertit teste Damasceno in Historia » (*Lap.*). Notum est illud : munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque; placatur donis Iuppiter ipse suis (*Calm.*); cf. 17,8. Et aptius advertit *Ians.* : « ut autem haec sententia in vulgaribus et mundanis muneribus vera cognoscitur, ita multo magis in spiritualibus, quibus Deum nobis demeremur, eleemosynis scil., uti dicitur Tob. 4,12 : fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam ». Insuper recole Christi verba, quibus beneficia uni ex fratribus suis minimis collata tamquam sibi ipsi praestita affirmat (Matth. 25,40).

In v. 17 hebr. et S efferunt monitum : audiatur et altera pars : iustus est primus in lite sua i. e. qui primus loquitur in lite, sibi vindicat ius vel rem suam iustam esse affirmat; venit socius eius (i. e. alter in eadam controversia) et investigabit seu explorabit eum i. e. antequam res decidatur, exspectandum est quousque veniat qui est in causa adversarius eius, ex cuius inquisitione constabit tandem quid rei sit. Similiter S : innocens est homo in causa sua, et quando venit socius eius, explorat eum. G et vulg. : *iustus prior est accusator sui* « iustus

si quid peccavit per infirmitatem non defendit suum peccatum, neque exspectat alterius increpationem, sed ante alios prior est in accusando, increpando et condemnando seipsum; ideoque et patienter fert, si *venit amicus eius et investigabit eum,* ut si quid inveniat increpatione dignum, idipsum admoneat » (*Lap.*). Monitum illud in hebr. expressum maximi momenti est; nam qui primus causam agit primusque perorat, potior esse in causa videtur et tanta arte et eloquentia rem suam (tacitis rationibus contrariis) exornare potest, ut auditorum sententiam praeoccupet. Quare non solum iudicibus, verum omnibus dici oportet : audiatur et altera pars! nam tum accidere potest, quod in altero sticho effert G ὡς δ' ἂν ἐπιβάλῃ ὁ ἀντίδικος, ἐλέγχεται, cum vero adiecerit, intervenerit adversarius, arguitur. Simile etiam in hebr. et S insinuatur voce explorandi seu investigandi; scil. quae prior pro se dixit, rationes quas protulit, artes quibus usus est in sui defensione, accurate oportet examinare et ad severam revocare crisin, ut tandem veritas pateat.

Utilitas declaratur sortis v. 18 et ita completur quod 16,33 dictum est : *contradictiones comprimit sors,* litigationes quiescere facit (hebr.), componit seu dirimit sors; scilicet si res de qua lis est, anceps et dubia est cuius sit, si ius partium incertum et dubium reperitur, tunc commode litis finiendae modus adhibetur, ut sors rem definiat; *et inter potentes quoque diiudicat,* hebr. et inter potentes facit separationem; finitur scil. litigatio, impeditur ne potentes, robusti inter se vi et armis decertent; S breviter et recte : sors solutio litigationis. De iuramento idem dicitur Hebr. 6,16. Significatur itaque ad sortem potius esse confugiendum quam longis et molestis contentionibus insistendum, quando non facile alia via finis imponi possit partium inter se litigationi. Iam *Lap.* monet in G falso scriptum esse σιγηρός pro κλῆρος. quamvis verum sit, etiam eum qui tacet saepe finem facere liti.

In priore sticho v. 19 apud G, S, vulg. habetur sententia : *frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma* (et excelsa, G), quae sententia aptum praebet sensum; nam sicut civitas munita praesidium praebet contra incursus hostiles, ita unio et concordia fratrum tuetur pacem et opes familiae et irritos reddit conatus inimicorum. Textum hebr. (נפשע) obscurum esse patet; varie explicare conantur : frater, in quem perfide actum est, prae urbe munita — supple resistit; vel : frater contumax est magis quam urbs munita. At utraque explicatio debet reiici; fundit sensum ineptum. Urbs munita ingerit notionem praesidii, securitatis cf. v. 10. 11; Ps. 17,3; quare illae duae comparationes (magis resistit — contumacior urbe) satis incongruae videntur. Textus hebr. emendandus erit secundum G (אח נושע). Alter stichus nullum fundit

sensum : *et iudicia*, contentiones, *quasi vectes urbium,* arcis, palatii. Explicare tentant de litigationibus inter fratres, quae tam difficile componi possint, sicut difficile sit intrare in arcem vectibus occlusam. In G continuatur descriptio urbis munitae : invalescit autem tamquam fundatum regium palatium (?), regnum (βασίλειον); similiter S : et ianuae eius sicut claustrum arcis.

In v. 20. 21 edicitur, sermonibus afferri homini bonum vel malum, gaudium vel moerorem, praemium vel supplicium (*Lap.*) v. 20 *de fructu oris viri replebitur venter eius;* primus et proximus fructus oris sunt verba, sermones tam boni quam mali; remotus fructus sunt commoda et damna, quae afferunt sermones; hisce enim quisque pascitur et saturatur; idem enuntiatur in altero sticho *et genimina labiorum ipsius saturabunt eum,* ex proventu labiorum suorum saturabitur (hebr.), percipiet effectus sermonum suorum sive bonorum sive malorum; sermones erunt ei origo et fons bonorum seu malorum; retribuetur ei secundum sermones. Quare explicationis causa subditur v. 21 *mors et vita in manu linguae,* in potestate linguae, per linguam; pernicies et malum, felicitas et bonum affertur et efficitur per linguam; cf. 12,14; 13,2. 3; Iac. 3,6 seq. *qui diligunt eam,* qui amant multum loqui et exercere linguam, *comedent fructus eius,* sive bonos sive malos; cf. Eccli. 28,22 seq. 37,21 et « ex verbis tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis » (Matth. 12,37).

Uxorem bonam esse donum Dei, docetur v. 22 *qui invenit mulierem (bonam), invenit bonum, bonam* non additur in hebr., sed necessario intelligitur, quare additur in G, S, vulg., *et hauriet iucunditatem a Domino,* beneplacitum (hebr.) a Deo accepit, ideoque beneficium a Deo sibi factum esse colligere debet; cf. 12,4; 31,10. Eccli. 26,3 pars bona mulier bona; in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Additur in G, S, vulg. *qui expellit mulierem bonam, expellit bonum* (ex domo sua); est consectarium necessarium ex antecedente; porro habetur in G, vulg. *qui autem tenet adulteram, stultus est et impius*; « stultus quia stolide adulterium uxoris vel non advertit, vel patitur et dissimulat cum gravi nominis sui infamia et prolium iniuria et damno; impius, quia eam retinendo adulterium probare et fovere videtur; itaque matrimonii sanctitatem sacrilege violat » (*Lap.*).

Quid paupertas, quid divitiae efficiant in modo se gerendi, exemplo demonstratur v. 23 *cum obsecrationibus loquetur pauper,* instanter et humiliter supplicat pauper; *et dives effabitur rigide,* et dives respondet dure; cf. 14,20. Eccli. 13,4 dives iniuste egit et fremet; pauper autem laesus tacebit; Eccli. 13,28 dives locutus est et omnes tacuerunt; verbum illius usque ad nubes perducent; pauper locutus est et di-

cunt : quis est hic? dives locutus est superba et iustificaverunt illum ; pauper locutus est sensate et non est datus ei locus. Ita opes et pompa praeoccupant animos hominum. Varie effertur v. 24; et in vulg. quidem : *vir amabilis ad societatem* vir amans et studiosus amicitiae, quasi natus factusque natura et virtute ad societatem et amicitiam, *magis amicus erit quam frater,* prae fratre diliget et opitulabitur — fratrem intellige minus benevolum, frigidum. Verum haec sententia caret sensu apto. Aliquem sensum non ineptum exhibet S : sunt amici qui (vere) sunt amici, et est amicus qui magis adhaeret quam frater. In hebr. acceptio potissimum dependet a duobus, scil. utrum retineatur איש, an legatur cum S יש; dein quomodo accipiatur התרועע; explicant itaque : vir amicorum i. e. qui multos habet amicos, sibi perniciem paraturus est; sed emenda : sunt amici qui sunt perniciei. Amicis illis qui videntur et non sunt, opponitur : et est amans qui magis adhaeret quam frater; quandoque scil. invenitur amicus qui plus amoris et fidelitatis et studii exhibet quam frater. Ita quoque invenitur in codicibus (23. 103. 253) καὶ ἔστι φίλος κολλώμενος ὑπὲρ ἀδελφόν.

19, 1. *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, | quam dives torquens labia sua et insipiens.* 2. *Ubi non est scientia animae non est bonum; | et qui festinus est pedibus offendit.* 3. *Stultitia hominis supplantat gressus eius, | et contra Deum fervet animo suo.* 4. *Divitiae addunt amicos plurimos; | a paupere autem et hi quos habuit separantur.* 5. *Testis falsus non erit impunitus; | et qui mendacia loquitur non effugiet.* 6. *Multi colunt personam potentis, | et amici sunt dona tribuentis.* 7. *Fratres hominis pauperis oderunt eum, | insuper et amici procul recesserunt ab eo. | (Qui tantum verba sectatur nihil habebit).* 8. *Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, | et custos prudentiae inveniet bona.* 9. *Falsus testis non erit impunitus; | et qui loquitur mendacia peribit.* 10. *Non decent stultum deliciae, | nec servum dominari principibus.* 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur, | et gloria eius est iniqua praetergredi.* 12. *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira; | et sicut ros super herbam, ita et hilaritas eius.* 13. *Dolor patris filius stultus, | et tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier.* 14. *Domus et divitiae dantur a parentibus; | a Domino autem proprie uxor prudens.*

Simplicitati seu integritati pauperis opponitur perversitas viri mendacis in v. 1 *melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua,* quam perversus labiis suis (hebr.) i. e. astutus et vafer, mendax — et hic stultus G στρέβλος τοῖς χείλεσιν tortuosus labiis (sed v. 1. 2 in plerisque G deest); de divite hic in hebr. non fit mentio, sed fit 28,6; divitem, uti vulg., ita S hoc loco effert; *torquens labia,* modus est irridentis et insultantis; S cuius viae perversae sunt, uti habetur 28,6. — Commendatur consideratio et prudentia v. 2 *ubi non est scientia animae, non est bonum;* נפש plerumque dicitur de sede affectionum, sensationum, concupiscentiae; quare aliqui hoc loco explicant de studio et fervore; fervorem prudentia esse temperandum; nam fervorem in-

consideratum male cessurum esse. Alii de desideriis seu concupiscentiis animae explicant; ibi videndum est, quo sensu scientia capiatur. Vel malum esse, si desideria animae non prudentia temperentur aut regantur, vel quod *Frank.* praefert, non esse bonum, si nulla ratio habeatur desideriorum animae, si quis omnia quasi gaudia vitae et oblectamenta sibi neget, dum tamen saepius admoneamur, ut bonis vitae fruamur (Eccl. 2,24; 9,7 seq.). Verum contra hoc dici potest adhiberi vocem דעת scientiam, unde נפש quoque sicut cor de intellectu accipi debere, sicuti saepius eo sensu usurpetur (cf. Ps. 139,14. 1 Sam. 20,4). Quare malum ignorantiae, defectum considerationis et prudentiae hoc loco indicari valde probabile videtur. Ad quam acceptionem veteres interpretes pervenerunt aliter textum vulg. interpungentes : ubi non est scientia, animae non est bonum, i. e. non bene esse animae nec solidum quidquam ac perfectum ei adesse bonum, si ei desit scientia ac prudentia, qua sciat omnia cum iudicio agere, aut si ignoret quae homo scire debeat (cf. *Ians.*). Stichus alter: *qui festinus est pedibus offendet* facile ad varias sententiae prioris acceptiones accommodatur; exhibet enim per modum comparationis seu parabolae hominem qui inconsiderate et cum impetu festinanter currit et impingit vel aberrat a recto tramite. Id sane ei continget, qui nimio fervore abripitur, vel qui concupiscentiis suis coece se tradit vel qui ignorantia captus gravia negotia temere aggreditur.

Stultus causam ruinae et adversitatis non sibi, sed Deo adscribit v. 3 *stultitia hominis supplantat gressus eius,* pervertit viam eius (hebr.); homo ipse stulte agendo causa est et auctor rerum adversarum; verum cum sua ipsius stultitia rem male gesserit et cuncta ad irritum redacta sint defectu prudentiae et debitae considerationis, Deum accusat eique irascitur, *contra Deum fervet animo suo,* irascitur cor eius (hebr.); cf. Eccli. 15,11. 12. — Fere repetitur quod dictum est 14,20 in v. 4 *divitiae addunt amicos plurimos* et pauper (tenuis, exiguus) ab amico suo separatur (hebr.); si quis in paupertatem devenerit, turba amicorum divitis cito disparebit. Quare admonitio continetur, ne quis celeriter fidat eis qui se amicos esse iactant viri opulenti; cf. Eccli. 6,7. 8. — Denuntiatur poena testi mendaci v. 5 *testis falsus non erit impunitus*; cf. 14,5. Deut. 19,18-21; *et qui mendacia loquitur,* efflat, exspirat, *non effugiet* scil. vindictam, poenam, iudicium Dei; Deus enim veritas est; quare et testem mendacem et accusatorem mendacem ad iudicium et poenam vocabit. In decalogo huic necessario fundamento socialis ordinis providetur : non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium (Ex. 20,16. Deut. 5,20).

Sententia ex communi experientia deprompta est v. 6 *multi colunt personam potentis*, ad litteram : permulcent faciem nobilis, student nobilem sibi propitium reddere, *et amici sunt dona tribuentis* hebr. et universitas amicorum est viro liberali, vel : quivis est amicus viri liberalis. Vir qui dives est et larga dona tribuere potest, omnes sibi amicos habet; at alia est conditio pauperis v. 7 *fratres hominis pauperis oderunt eum*, hebr. universitas fratrum, omnes fratres (ita habetur allusio ad v. 6); si iam ipsi fratres germani pauperie afflictum vitant, despiciunt, derelinquunt, quanto magis *amici procul recesserunt ab eo;* cf. v. 4; quantum incommodum sit in paupertate, duce experientia monens Sapiens eo ipse docet strenue esse laborandum, ut unusquisque otium fugiens moderatas sibi acquirat opes. Sequitur stichus singularis : *qui tantum verba sectatur, nihil habet*; in vulg. haec sententia opponitur sequenti et ea oppositione sensum non ineptum effert. Verba quae restant in hebr. sensu carent.

Commendatur acquisitio sapientiae v. 8 *qui autem possessor est mentis*, qui cor acquirit i. e. intelligentiam, qui studet sibi comparare rectam mentem et bonum iudicium, iste *diligit animam suam*, vitam suam; nam sapientia affert secum vitam (8,35; 10,17; 10,27; 14,27) *et custos prudentiae inveniet bona*; sapientia enim, prudentia affert secum felicitatem, procurat benedictionem Dei (3,2; 4,10 seq. 6,23; 7,4; 8,18; 9,11; 10,6; 11,5 etc). Repetitur in v. 9 quod dictum est in v. 5; solum dicitur v. 9 *peribit,* ubi in v. 5 non effugiet; ex repetitione licet inferre, eiusmodi admonitiones et minas dirigi contra vitium frequens quod Sapiens noverit et emendare velit. Bona huius vitae et opes sapientia largitur discipulis suis et Deus eiusmodi commoda iustis tribuere solet ex promissionibus in lege datis (Lev. 26, Deut. 28). Unde recte infertur v. 10 *non decent stultum deliciae*; non convenit, ut stultus vita lautiore fruatur; nam quod praemium est et fructus sapientiae, minime dandum est stultitiae; et quantopere id dedeceat, declaratur exemplo : *nec servum dominari principibus* hebr. quanto magis (dedecet) servum dominari. Uti ordo socialis non debet everti, ita ordo quoque retributionis iustae servetur oportet. Insuper stultus bene uti deliciis nescit; illis abutitur; sibi ipsi incommoda et exitium comparabit; servus autem qui dominatur maxime intolerabilis et permolestus esse solet (cf. 30,21. 22), quia fere nimia insolescit arrogantia.

Homo per sapientiam efficitur longanimis et indulgens v. 11 *doctrina viri per patientiam noscitur,* qui patiens, longanimis est et tardus ad iram, se ostendit et probat virum intelligentem; hebr. intelligentia viri facit eum longanimem; *et gloria eius est iniqua praetergredi,*

iniurias sibi illatas dissimulare, non attendere, non ulcisci, sed contemnere et oblivisci. Contrarium agit homo superbus et arrogans; ideoque stultus. Sapientia est magistra virtutum; ubi virtus est, ibi veram esse sapientiam rite concluseris; ergo ubi patientia, longanimitas, ibi prudentia. Sapiens etiam de delictis aliorum non nimis severe iudicabit, verum potius ea teget, excusabit; novit enim fragilitatem humanae naturae et aestus concupiscentiarum; quare potius tangitur miseratione quam indignatione in peccatores; cf. Mich. 7,18. — Cavendum est, ne vir potens ad iram provocetur v. 12 *sicut fremitus leonis, ita et regis ira*; fremitus leonis omnibus incutit maximum terrorem cf. Am. 3,8 leo rugiet; quis non timebit? similiter ira regis orientalis terrorem subditis ingeret; nulla enim lege seu aequitate se obstringi censet; furori suo habenas laxare potest quantum vult; adstant ei satellites parati ad quodlibet supplicium continuo infligendum; indignatio regis nuntii mortis (16,14). At ex altera parte pro potestate nullis limitibus circumscripta valet etiam de regibus orientalibus : *et sicut ros super herbam, ita et hilaritas eius,* benevolentia regis animusque eius hilaris maximam quandam impartiri potest copiam bonorum, sicut ros confert ad fertilitatem frugum et viridantia reddit prata. Admonentur reges, ne similes se reddant bestiis ferocibus, verum ut ad hominum hilaritatem commodaque sua potentia utantur.

Commemorantur duo permolesta patrifamilias in v. 13 *dolor patris filius stultus,* calamitas patri (hebr.); cf. 17,21. 25; filius stultus opes dissipat, patri apud alios ignominiae est, pravis moribus honorem nominis paterni violat; *et tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier,* si continuo aquae pluviales per tectum ruinosum in domum demittuntur, domus inepta fit pro habitaculo; ita mulier litigiosa totam turbat et dissolvit familiam maximamque creat molestiam; cf. 27,15. Hebr. stillicidium continuum rixae mulieris; uti assidua pluviae distillatio, ita rixae uxoris assiduae molestiam intolerabilem et continuo novam afferunt. Subindicatur hac sententia, patres sollicitos esse debere, ut filii bene instituantur et magna cum prudentia uxores esse deligendas, cum quibus commode vivi possit. Ad quem vero recurrendum sit, ut uxor contingat prudens, subiungitur in sequenti sententia. Uti uxor litigiosa est calamitas, ita uxor prudens donum Dei v. 14 *domus et divitiae dantur a parentibus,* sunt hereditas patrum, quae sine ullo negotio bonis et malis facile relinqui potest; at, ut quis uxorem bonam acquirat, ad Deum recurrat assidue oportet : *a Domino autem uxor prudens*; cf. 18,22; 31,10. Eccli. 26,3; pars bona, mulier bona; in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.

15. *Pigredo immittit soporem | et anima dissoluta esuriet.* 16. *Qui custodit mandatum custodit animam suam; | qui autem negligit viam suam mortificabitur.* 17. ***Foeneratur** Domino qui miseretur pauperis, | et vicissitudinem suam reddet ei.* 18. ***Erudi** filium tuum, ne desperes; | ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.* 19. *Qui impatiens est sustinebit damnum; | et cum rapuerit, aliud apponet.* 20. ***Audi** consilium et suscipe disciplinam, | ut sis sapiens in novissimis tuis.* 21. ***Multae** cogitationes in corde viri; | voluntas autem Domini permanebit.* 22. *Homo indigens misericors est; | et melior est pauper quam vir mendax.* 23. *Timor Domini ad vitam, | et in plenitudine commorabitur absque visitatione pessima.* 24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, | nec ad os suum applicat eam.* 25. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit; | si autem corripueris sapientem intelliget disciplinam.* 26. *Qui affligit patrem et fugat matrem, | ignominiosus est et infelix.* 27. *Non cesses, fili, audire doctrinam, | nec ignores sermones scientiae.* 28. *Testis iniquus deridet iudicium, | et os impiorum devorat iniquitatem.* 29. *Parata sunt derisoribus iudicia, | et mallei percutientes stultorum corporibus.*

Pigritia aufert animi vigorem et affert inopiam v. 15 *pigredo immittit soporem,* תרדמה est profundus sopor, quo animo et corpori torpor affertur et homo efficitur enervis, invalidus, languidus; *et anima dissoluta,* remissa, i. e. piger *esuriet*; cf. 6,10. 11; 10,4; 21,25. Fere uti 13,3 iterum virtus celebratur tamquam custos vitae v. 16 *qui custodit mandatum, custodit animam suam,* vitam suam; observantibus mandata promittitur vita Ex. 20,12; Deut. 4,1; 5,33; 8,1; 11,9; 16,20; 22,7; 25,15, etc.; transgressoribus vero mors denuntiatur Ex. 21,12. 15-17; 22,18-20; 31,14; Lev. 20,2 seq. 24,16; Num. 15,35; Deut. 21,21. Quantae utilitatis sit misericordia in pauperes, declaratur exemplo e vita deprompto v. 17 *foeneratur Domino qui miseretur pauperis,* mutuat Domino; sibi datum Deus existimat quod datur pauperi, et beneficium pauperi praestitum ipse largissime retribuet; *et vicissitudinem suam reddet ei,* retributionem suam ei reddet; quod impenditur pauperi, liberali modo compensabitur (cf. Ps. 113,5. 9. Eccl. 11,1. 2); et similiter monet Eccli. : conclude eleemosynam in corde pauperis et haec pro te exorabit ab omni malo (29,15). Traditur doctrina ad bonam educationem spectans v. 18 *erudi filium tuum,* eum bonis moribus et disciplinis informa, corripe et castiga eum; esto enim sit hebetior, durior, vel protervior, *ne desperes,* ne omittas eruditionem et castigationem (*Lap.*); hebr. additur ratio confortans ad eruditionem : quia est spes, vel quamdiu est spes (*Frank.*), castiga filium tuum; intelligi correptionem plagis applicatam (10,13), etiam ex altero sticho apparet : *ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam,* ne leves animam tuam (hebr.), ne optes eum quasi inutilem, imo probrosum et noxium occidere. Ipsi patri talis potestas in vitam filii contumacis et vitiosi non conceditur; sed ad seniores adducendus est filius talis et publice lapidandus (Deut. 21,18-21). Omissa disciplina et correctione

instat filio pernicies. Uti vita saepe ponitur pro felicitate, ita mors pro pernicie, calamitate. Quare sensus stichi etiam esse potest : ne tibi in mentem veniat (omissa castigatione) filium tuum perdere; ne id agas neve desideres filium perdere. Quae explicatio fortasse praeferenda est. Pro amore enim et desiderio prolis numerosae, quo veteres tenebantur, non opus erat monitione, ne quis filium verberet usque ad mortem (cf. *Frank.*). Aliam acceptionem proposuit Salazar : ne tibi in mentem veniat, ut tibi persuadeas filium interficiendum, si eum durius increpes et castiges (cf. 13,24. Eccli. 30,1). Ad quam acceptionem accommodatur illud 23,13 si percusseris eum virga, non morietur; id quod quasi per ironiam dicitur : percute; non est periculum mortis in virga! Quod nonnullis recentioribus placuit, ex alia verbi forma vertere : ad fremitum eius, seu clamorem (cum vapulet) ne attende, iam etiam apud *Ians. Lap.* commemoratur (cf. המה).

Agitur de iracundo v. 19 *qui impatiens est, sustinebit damnum,* magnus ira (est qui) sustinet mulctam (hebr.); homo enim iracundus facile iniuriam committit, alium laedit; quare poena pecuniaria mulctatur; alter stichus est satis obscurus; hebr. nam si eripere (servare) vis, etiam addes. G praebet ἐὰν δὲ λοιμεύηται — unde enascitur sensus, si is qui mulctam solvere debet, insuper etiam contumeliis insultat, maiorem mulctam pendere debebit. Unde censet *Frank.* ex G haberi aptum sensum et pro hebr. תציל G legisse יליץ. *Aq. Theod.* ὅτι ἐὰν ἀφέλῃς (fertur quoque ῥύσῃ) καὶ ἔτι προσθήσει, — quae sententia cum antecedente nullatenus cohaeret; *et cum rapuerit, aliud apponet* i. e. cum quippiam impatiens rapuerit prae impatientia et ira, aliud addet ad damnum quod praecessit (*Lap.*); vel cum ira eius quidquam rapuerit (hebr. 3 pers. femin.) aliud damnum addet. Commendatur utilitas sapientiae v. 20 *audi consilium et suscipe disciplinam,* iterum iterumque interroga de recta agendi ratione et avide accipe institutionem, *ut sis sapiens in novissimis tuis,* ut sapienter agas in posterum, S ut sapienter te geras in viis tuis, in vitae tuae conditionibus. Simul effertur multa opus esse consultatione et institutione, ut quis res suas prudenter peragat. — Varia et incerta sunt consilia hominum; una stabilis Dei voluntas v. 21 *multae cogitationes in corde viri, voluntas,* consilium, *autem Domini permanebit,* fiet et perstabit; cf. 16,9. 33; 20,24. Homo plurima format et volvit consilia; verum memorem esse oportet, id solum successum habere et stabile fore quod Deo placuerit. Quare homo in deliberationibus de rebus futuris ad Dei beneplacitum cognoscendum preces dirigat.

Qui ipse sensit miseriam, *homo indigens, misericors est* v. 22; homo itaque qui per experientiam novit quam gravis sit indigentia, ut

plurimum, pronus est ad misericordiam. Hebr. desiderium hominis misericordia eius. Optimum et facilem sensum praebetG καρπὸς ἀνδρὶ ἐλεημοσύνη fructus seu lucrum pro homine est misericordia; et eo modo hebr. emendant *Bickell, Frank.* (facili correctione תבואת pro תאות); *melior est pauper quam vir mendax,* G addit : pauper iustus quam dives mendax. Ut oppositio habeatur et nexus ad priorem stichum, alii explicant : pauper qui desiderat benefacere, quam dives qui mentitur se non habere unde det. Verum tam multa supplere arbitrarium est. Cum apud veteres paupertas pro magna infelicitate reputaretur, bene monet Sapiens multo infeliciorem censendum esse mendacem et fraudulentum quam pauperem. Alterum stichum cum priore non clare cohaerere, utique in aperto est; sed id non semel evenit. Pietas salutem affert; ita v. 23 *timor Domini ad vitam,* ad vitam felicem; et quale commodum praebeat, ex indole promissionum legis declaratur : timens Deum scil. *in plenitudine commorabitur,* satiatus requiescet (hebr.); nam « non affliget Dominus fame animam iusti » 10,3, *absque visitatione pessima,* non visitabitur a malo; nam Deus protegit iustos et insidias impiorum subvertit (10,3). Quiete et saturitate et securitate bona designantur omnis generis, vita scil. pace et abundantia bonorum beata. Nam pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae (1 Tim. 4,8).

Lepide describitur homo piger : v. 24 *abscondit piger manum suam sub ascella,* hebr. in patina; apud veteres apponebantur cibi, carnes in patina magna, ex qua singuli manu sibi partes assumebant. Piger itaque manum suam inserit in patinam, sed illam ad os adducere iam non vult prae pigritia, *nec ad os suum applicat eam*; ad illum morem alluditur Eccli. 31,16 ne extendas manum tuam prior et Matth. 26,23 qui intingit mecum manum in paropside; cf. 26,15. — De fructu correptionis agitur in v. 25 et quidem ex hebr. derisorem verberabis et simplex sapiens fit i. e. si derisorem percusseris, simplex erudietur; punitione derisoris et illusoris qui omnia sacra in iocum ludumque vertit, homo simplex, rudis docetur et ad reverentiam pietatemque eruditur; illusor vero ne verberibus quidem ad meliorem frugem convertitur; cf. 13,1; 15,12. Eodem modo explica : *pestilente flagellato* iudicio scil. divino vel humano *stultus* i. e. homo simplex פתי *sapientior erit*; videns punitionem facinorosi salutari timore arcetur a malo; « peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant » (1 Tim. 5,20). Sapiens quoque correptionem sibi reddit proficuam : *si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam,* intelliget scientiam, ex ipsa correptione novam hauriet

cognitionem ad mores emendandos, ad proficiendum in virtute. Qua sententia Sapiens in universum docet, quomodo correptio quaevis a viro prudenti possit ac debeat suscipi et ad veram utilitatem applicari; cf. 17,10; 21,11. Nemo quippe etiam sapiens alioqui, ubique et omni hora sapit (*Ians.*).

Vituperatur filius pessimus v. 26 *qui affligit patrem et fugat matrem,* fugere cogit, expellit domo, filius *ignominiosus est et infelix,* flagitiosus, turpis et foedus (hebr.). Plura monentur, ne quis parentes senescentes spernat Eccli. 3,14 seq. atque prudenter patri commendatur : non dederis alii possessionem tuam, ne forte poeniteat te et depreceris pro illis; melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum (Eccli. 33,20 seq.). In vulg. planus est sensus in v. 27 *non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiae*; similiter S : desiste, fili mi, et audi correptionem neque obliviscaris verba cognitionis. Hebr. communiter explicant per ironiam : cessa fili mi audire doctrinam ad errandum ab eloquiis scientiae i. e. cessa audire, si eam solummodo audis, ut possis aberrare; si eam solum ad id adhibeas, ut ab ea declines. Sententia in hebr. potest etiam intelligi tamquam comminatio : cessa audire (et sequela necessaria erit :), ut declines; ergo : si cessas audire, aberrabis — in qua acceptione retinetur verus sensus; est enim audire disciplinam idem quod obedire disciplinae, eam suscipere, cf. 13,1. Ex G : filius omittens servare disciplinam meditabitur sermones malos — parva literarum mutatione potest hebr. emendari.

Iniquitatibus non deerunt poenae debitae v. 28. 29; describitur iniquitas v. 28 *testis iniquus deridet iudicium,* ius et iustitiam in iocum et ludum vertit, *et os impiorum devorat iniquitatem,* abominabilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem (Iob 15,16); devorare simul denotat quanta aviditate et voluptate impii se flagitiis impleant et quasi ingurgitent. Verum v. 29 *parata sunt derisoribus iudicia,* quibus debitis poenis afficiuntur; destinata sunt iis supplicia, *et mallei percutientes,* verbera, *stultorum corporibus,* tergo stultorum (hebr.); cf. 10,13; 26,3; puniuntur a Deo (iudicia) et ab hominibus (verbera). Sed G legit in membro priore μάστιγες flagella שבטים pro שפ' et ita emenda hebr., satis libere in altero καὶ τιμωρίαι ὁμοίως ἄφροσιν, at *Theod.* συγκλάσεις νώτῳ ἀνοήτων, et *Sym.* σφυροκοπίαι (inde Hieronymus *mallei percutientes?*).

20, 1. *Luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas,* | *quicumque his delectatur, non erit sapiens.* 2. *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis;* | *qui provocat eum peccat in animam suam.* 3. *Honor est homini qui separat se a contentionibus;* | *omnes autem stulti miscentur contumeliis.* 4. *Propter frigus piger arare noluit;* | *mendicabit ergo*

aestate et non dabitur illi. 5. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri;* | *sed homo sapiens exhauriet illud.* 6. *Multi homines misericordes vocantur;* | *virum autem fidelem quis inveniet?* 7. *Iustus qui ambulat in simplicitate sua,* | *beatos post se filios derelinquet.* 8. *Rex qui sedet in solio iudicii,* | *dissipat omne malum intuitu suo.* 9. *Quis potest dicere : mundum est cor meum,* | *purus sum a peccato?* 10. *Pondus et pondus, mensura et mensura;* | *utrumque abominabile est apud Deum.* 11. *Ex studiis suis intelligitur puer,* | *si munda et recta sint opera eius.* 12. *Aurem audientem et oculum videntem* | *Dominus fecit utrumque.* 13. *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat;* | *aperi oculos tuos et saturare panibus.* 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor;* | *et cum recesserit, tunc gloriabitur.* 15. *Est aurum et multitudo gemmarum,* | *et vas pretiosum labia scientiae.*

Cavendum est ab ebrietate; quod vinum nimium efficere solet, ipsum esse dicitur in hebr. : illusor (est) vinum; temulenti enim omnes et omnia rident, omniaque iura et sacra in ludos, nugas et iocos vertunt (*Lap.*); vinum homines facit illusores, quare vocatur illusor; *et tumultuosa ebrietas,* hebr. sicera; sicera pariter facit, ut nimium bibentes strepitum tumultuantes edant; et quis est ulterior effectus nimiae potationis? omnis qui eo titubat non agit prudenter (hebr.), nemo qui vino titubat prudenter agit. Intemperantia est obstaculum insuperabile ad sapientiam (*Calm.*); cf. 23,29-35; Eccli. 19,2 vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes; et 30,31 multos exterminavit vinum. — Repetitur fere 19,12 in v. 2 *sicut rugitus leonis, ita et terror regis*; eum provocare periculum vitae inducit; *peccat in animam* i. e. in vitam *suam*; cf. 16,14. Docet Sapiens caute esse agendum considerata indole et dignitate aliorum. — Vitandae sunt contentiones v. 3 *honor est homini* desistere a litigatione, vel habitare procul a lite, prout שבת accipitur vel a ישב derivatur; quivis stultus iurgium excitat (hebr.); ergo sapientis est omnem iurgiorum occasionem sedulo vitare (G ἀποστρέφεσθαι λοιδορίας, *Aq.* καθίσαι ἀπὸ ἀντιδικασίας, *Sym.* ἀποχωρῆσαι ἀπὸ ἀηδίας).

Suo tempore esse laborandum, exemplo declaratur v. 4 *propter frigus,* in autumno, *piger arare noluit,* tempore messis desiderat (quaerit) et nihil adest; ita hebr. videtur intelligendum esse; alii : rogabit (eleemosynam vel mutuum) at nemo ei dabit. Verum tempore messis homines laetitia gaudentes vix vacuum remitterent mendicantem.

Exemplo ostenditur quid perspicacia valeat v. 5 (*sicut*) *aqua profunda* (*sic*) *consilium in corde viri*, consilium in corde sicut aqua latens in profundo puteo; cogitationes, intentiones, proposita in animo reposita et abscondita sunt; *sed homo sapiens exhauriet illud*, imago deprompta ex aqua haurienda e profundo puteo; nam vir intelligentia praeditus uti novit variis rationibus, ut penetret occultum consilium alterius. Adhibet circumlocutiones, ponit varias quaestiones,

aperit quaedam de suis consiliis, dubitando varia proponit aliasque profert artes et praxes et modos expiscandi aliorum consilia et secreta (*Lap.*). — Multi verbis se commendant; sed quot revera rebus et operibus probantur? v. 6 multi homines praedicant suam quisque misericordiam vel beneficentiam (hebr.); unusquisque iactat suam benevolentiam, promptitudinem iuvandi — at virum fidelitatum quis inveniet, scil. qui revera, fideliter et constanter ea opere praestat quae verbis promisit. Ad quem sensum facile accommodantur verba vulg. *multi homines misericordes vocantur,* vocari volunt, seipsos vocant; *virum autem fidelem quis inveniet?* Aliam explicationem quoque proponunt ex verbo יקרא : multi occurrunt quidem viro benevolo, sed virum cui fidi possit quis inveniet? at prior acceptio et verbo et sensu magis commendatur. Advertit *Ians.* in sacris litteris saepe iungi misericordiam et veritatem vel fidelitatem; ex hisce plerosque sibi unum arrogare, misericordiam deficiente altero.

Probitas patris filiis quoque benedictionem affert v. 7 *iustus* (*qui*) *ambulat in simplicitate sua,* vitam suam in integritate degit; (ideo) beatitudines filiis eius post eum (hebr.); *beatos post se filios derelinquet*; felix filiorum conditio indicium est probitatis patris duplici ratione; eos itaque educatione et exemplo ita instituit, ut filii evaderent probi; dein ex norma retributionis felicitas filiorum statuitur et conceditur a Deo tamquam praemium iustitiae insignis patris. Simile quid indicatur Eccli. 11,30 in filiis suis agnoscitur vir; cf. Ex. 20,6. Deut. 5,10. — Qualis debeat esse rex, delineatur v. 8 *rex qui sedet in solio iudicii,* cuius est iudicia instituere et per se quoque causas iudicare, qui igitur saepe in tribunali sedere debet, ne eveniat quod olim Absalom affirmavit : sed non est qui te audiat constitutus a rege (2 Reg. 15,3), *dissipat omne malum intuitu suo,* oculis suis, clare debet perscrutari causas et dignoscere, hebr. proprie cribrare, ventilare, discernere omne malum; bene secernere quid in causis sit boni vel mali, et dein consequenter dissipare malum; cf. Ier. 15,19 si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Cum tali sententia manifesto exhibeatur munus et officium regis quale esse debeat, non opus est cum G addere βασιλεὺς δίκαιος neque explicare : in solio iustitiae. Hanc discernendi facilitatem ac promptitudinem petiit Salomon : dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit et discernere inter bonum et malum (3 Reg. 3,9).

Quod rex sapientissimus dixit : non est homo qui non peccet (3 Reg. 8,46) etiam Sapiens profitetur v. 9 *quis potest dicere : mundum est cor meum,* mundum servavi cor meum (hebr.), *purus sum a peccato* meo (hebr.)? sensus enim et cogitatio humani cordis in ma-

lum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. 8,21); cf. Iob 14,4; 15,14 quid est homo, ut immaculatus sit et ut iustus appareat natus de muliere? et Ps. 18,13 delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me; cf. Eccl. 7,21. Bene scribit *Lap.* : antistropha huius sententiae est illa S. Ioannis : si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est (1 Ioan. 1,8). Et Eccli. 5,5 traditur admonitio : de propitiato peccato noli esse sine metu; ipse quoque Paulus profitetur : nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est; Dominus vero illuminabit abscondita tenebrarum (1 Cor. 3,4. 5); omnes quippe merito iubemur orare : dimitte nobis debita nostra.

In commercio servandam esse iustitiam, exemplo demonstratur v. 10 *pondus et pondus, mensura et mensura,* duplex adhibere pondus, duplicem mensuram, et ita committere fraudem in commercio, damnum inferre ementibus seu vendentes decipere, cum quis scil. maiore utitur dum emit, minore dum vendit, *utrumque abominabile est apud Deum,* Deus enim est ipsa iustitia; hebr. lapis et lapis, epha et epha; cf. 11,1; 16,11. Deut. 25,13-16, Mich. 6,11; similis est dictio 1 Par. 12,33 et Ps. 11,3 in corde et corde locuti sunt. — Ut plurimum qualis quis est in pueritia, talis quoque erit in virili aetate; videtur enim natura praeludere in pueris id quod factura est in viris (*Lap.*) v. 11 *ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius*; hebr. iam ex factis suis; in altero sticho propter duplex אם si pura et si recta sint, potius ad sensum exspectandum esset : si recta aut si prava sint futura opera eius. Admonet hac sententia parentes Sapiens, ut in puerorum indolem invigilent et ex eorum rebus gestis et ex modo sese habendi propensiones bonas et malas indagare satagant et pro re nata eos corrigant et ad virtutes instituant. « Feruntur Lacedaemonii occidisse regii sanguinis puerum, quia solitus esset captas aviculas singulari voluptate necare; nam ex ea re coniecturam fecerunt de ingenii saevitia » (*Ians.*).

Sententia in v. 12 per se est plana : *aurem audientem et oculum videntem Dominus fecit utrumque*; at quo spectet, varie concipitur pluresque fieri possunt applicationes. Censet *Frank.* indicari, cum Deus utrumque creaverit unum membrum esse aeque necessarium atque alterum; vel posse intelligi in aure audiente discipulum, in oculo vidente magistrum seu doctorem (quae explicatio iam legitur in expositione Bedae vel Rabano attributa). Iam aliquibus veteribus placuit sententiam adnectere ad antecedentem : ex primis studiis pueri deprehendi eius indolem; iam quod quis ad audiendum sit docilis, et ad speculandum acer, partem esse naturae a Deo creatae, neque in his

intercedere libertatem... Alii concludendum esse opinantur, quanto magis Deus ipse oculos habeat oculatissimos et aures ad audiendum acerrimas, iuxta illud : qui plantavit aurem non audiat (Ps. 93,9); cf. 15,3. Vel cum Deus dederit potentiam audiendi et videndi, eum etiam rectum usum velle; nos admoneri membra haec adeo necessaria nos habere Dei beneficio. — Admonitio ad assiduitatem traditur v. 13 *noli diligere somnum, ne te egestas opprimat*; cf. 6,9-11; 19,15; somnus intelligitur desidia, otium, fuga laboris; hisce paritur egestas. Verum *aperi oculos tuos et saturare panibus*; ex apertione oculorum intelligitur vigilia, attentio, sedulitas, qua rerum abundantia conquiritur; esto solers, ut habeas quibus satieris; cf. 12,11; esto solers, ut crescas sapientia.

Notatur plane ad vivum ingenium et indoles hominum in emendo; qui rem emere vult, ei quam maxime derogat, ut minore pretio emat v. 14 *malum est, malum est, dicit emptor*; sed si pretium sua detractione depresserit, tum se felicem praedicat; *et cum recesserit, tunc gloriabitur*, quod rem vili pretio sit consecutus. Parabola mercaturam exerceri ostendit; simul tamen ex uno hoc exemplo disce non initia, sed finem laborum spectare oportere; industriam ac peritiam esse adhibendam; in acquisitione sapientiae esse laborandum, in quo labore iuvenes facile gemunt : malum est; at egressi ex annis puerilibus sibi de industria gratulantur (cf. *Lap.*); simul disce homines facile iudicare iniquius. Cunctis pretiosis pretiosior est sapientia v. 15 *est aurum et multitudo gemmarum*, est scil. possessio auri et gemmarum hominibus grata et magni habita; at *vas pretiosum labia scientiae*; cf. 3,14. 15; 8,11; 16, 24; prae auro et gemmis supellex pretiosa est scientia, quae ope labiorum, sermonum, etiam aliis communicata multiplicem affert utilitatem et ad vitam beatam multo plus confert quam aurum et copia gemmarum. Hebr. vas praestantiae i. e. vas maxime pretiosum; ex labiis (sermonibus) hauriuntur thesauri scientiae, sicuti ex vase depromuntur res aureae et affabre factae. Quare comparatio labiorum cum vase non nimis mira seu aliena censenda erit.

16. *Tolle vestimentum eius qui fideiussor exstitit alieni, | et pro extraneis aufer pignus ab eo.* 17. *Suavis est homini panis mendacii; | et postea implebitur os eius calculo.* 18. *Cogitationes consiliis roborantur; | et gubernaculis tractanda sunt bella.* 19. *Ei qui revelat mysteria et ambulat fraudulenter | et dilatat labia sua, ne commiscearis.* 20. *Qui maledicit patri suo et matri, | exstinguetur lucerna eius in mediis tenebris.* 21. *Hereditas ad quam festinatur in principio, | in novissimo benedictione carebit.* 22. *Ne dicas : reddam malum; | exspecta Dominum et liberabit te.* 23. *Abominatio est apud Dominum pondus ac pondus, | statera dolosa non est bona.* 24. *A Domino diriguntur gressus viri; | quis autem hominum intelligere potest viam suam?*

25. *Ruina est homini devorare sanctos,* | *et post vota retractare.* 26. *Dissipat impios rex sapiens,* | *et incurvat super eos fornicem.* | 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis,* | *quae investigat omnia secreta ventris.* 28. *Misericordia et veritas custodiunt regem,* | *et roboratur clementia thronus eius.* 29. *Exsultatio iuvenum fortitudo eorum;* | *et dignitas senum canities.* 30. *Livor vulneris absterget mala,* | *et plagae in secretioribus ventris.*

Iterum declaratur cavendum esse a fideiussione. Quam periculosa res sit, exponitur exemplo v. 16 *tolle vestimentum eius,* allocutio est ad creditorem, cui debitum a debitore non redditum est, ut nunc ab imprudente fideiussore rem suam exigat, *qui,* hebr. quia *fideiussor exstitit alieni,* quia spopondit pro alio; *et pro extraneis aufer pignus ab eo*; cf. 6,1-5; 11,15; 17,18; 27,13. Ex. 22,26. Deut. 24,10 seq. Variis sententiis Sapiens dehortatur a fideiussionibus; « hac sententia se durum exhibet contra eum qui monitis non obtemperans fideiubet, maxime si pro alienis id faciat, a quibus ei plus est periculi. Significat enim illum mereri, ut etiam vestimentum eius loco pignoris ab ipso tollatur pro debito et ipse a creditore appelletur potius quam extranei qui aliquando longius quaerendi essent; simulque prudentiam quandam humanam docet creditorem, ut sibi bene prospiciat in fideiussionibus, potissimum quando cum ignotis extraneis illis est res, ita ut etiam vestimentum fideiussoris non vereantur tollere potius quam fallantur » (*Ians.*). — Opes fraude acquisitae deprehendentur exitiosae v. 17 *suavis est homini panis mendacii,* i. e. generatim opes mendaciis, fraude partae initio placent et videntur gaudio esse; item deliciae et voluptates illicitae videntur esse suaves; at sunt tandem fallaces, revera probantur in fine mendaces : *et postea implebitur os eius calculo,* erit tandem ac si lapillos et arenam masticaret. Panis mendacii seu mendax est panis speciem panis prae se ferens, sed alienis rebus, lapillis, arena, admixtus; praebet fortasse aspectum ac formam suavem; at masticantium ora, dentes, palatum maxime offenduntur. Eo symbolo exhibet Sapiens opes et delicias fallaces, illicitas, adulteria etc. cf. Iob 20,14. 15 et supra 9,17.

Quod 15,22 dictum est, denuo inculcatur v. 18 *cogitationes consiliis roborantur,* deliberatione facta et consultatione adhibita, item advocatis consiliariis, cogitata seu proposita in se incerta seu dubia evadunt certa, firma, — *et gubernaculis tractanda sunt bella,* et deliberationibus, consultationibus factis institue bellum, litem, quodvis negotium. Monet itaque Sapiens cum prudentia, sine praecipitantia, in consilium accitis aliis quoque viris probis et experientia rerum doctis negotia esse tractanda, ut exitus prosper habeatur; cf. Luc. 14,28-31 sedens computat sumptus; sedens prius cogitat, si possit cum decem

millibus occurrere etc. A quibus cavendum sit, monet Sapiens v. 19 *ei qui revelat mysteria,* qui secreti non est tenax, *et ambulat fraudulenter,* ad calumniandum, calumniatori (hebr.), *et dilatat labia sua* qui insolens est et arrogans garrulus, *ne commiscearis,* ne cum eo consuetudinem habeas; hebr. sunt duae sententiae : consilia revelat (qui ambulat calumniando) calumniator, et cum blaterone ne sit tibi commercium; cf. 11,13; similia monet Eccli. 8,18-21. Uti 19,26, agitur contra filios degeneres v. 20 *qui maledicit patri suo et matri, exstinguetur lucerna eius in mediis tenebris,* lux, lucerna symbolum est felicitatis; tenebris calamitates designantur, ergo talis filii felicitas mutetur in gravissimas calamitates; hebr. in pupillam caliginis, in mediam caliginem, in mediam noctem, in densissimas tenebras(?). Si legitur אישון, explica tempore caliginis. *Sym.* ἐν σκοτομήνῃ (in nocte quae lumine lunae caret); cf. Ex. 21,17. Lev. 20,9.

Sententia, uti 13,11, similis affertur v. 21 *hereditas,* ex hebr. etiam generatim possessio quaevis, *ad quam festinatur in principio,* quae prius praecipitanter arripiebatur, *in novissimo,* postea, *benedictione carebit*; proverbium est : male parta male dilabuntur. Quae avide, tumultuarie, per fas et nefas corrasa sunt, carent ea constantia, firmitate, aestimatione, qua tandem bona familiae stabilia redduntur et augescunt. Neque Deus suam apponet benedictionem iis quae modo praecipite, inordinato, iniusto acquisita et arrepta sunt. — Temperandum esse a vindicta docet Sapiens v. 22 *ne dicas : reddam malum;* qua sententia etiam declaratur legem talionis a vera indole viri sapientis alienam esse; nam vir sapiens potius illud habet alte in animo repositum quod in lege Dominus dicit : mea est ultio, et ego retribuam (Deut. 32,35); *exspecta Dominum et liberabit te,* ipse tuam aget causam; cf. Eccli. 28,1 qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam. Laesus itaque non aliorum opem ad ultionem capiendam advocet, sed Deo rem suam et ius committens ad Deum confugiat ab eo sperans salutem et liberationem ab insectationibus et iniuriis. Magnum quid hoc loco a Sapiente postulatur et magnam virtutis notionem hoc loco exponit; cogita de maledictionibus in plurimis psalmis contra inimicos libere prolatis. — Ad v. 23 vide v. 10; 11,1; 16,11. Mich. 6,11.

Sortes hominis in manu Dei sunt v. 24 *a Domino diriguntur gressus viri,* Dei est eiusque providentiae actiones, status totamque vitam hominis disponere, ordinare, stabilire, prosperare et ad felicem finem perducere (*Lap.*); *quis autem hominum intelligere potest viam suam?* ut scil. videat et prospiciat, qua via sit secure incedendum, quid in dubio eligendum, quae sit via, quis modus ad feliciter rem conficien-

dam (*Lap.*); cf. 16,9; 19,21; hebr. et homo, quid (quam parum) intelliget viam suam? cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae (Sap. 9,14); cf. Ps. 36,23. Iob 31,4. Ier. 10,23 scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. — In v. 25 monet Sapiens, ne incaute quis voto se obstringat; et hebr. quidem verte : laqueus homini : inconsiderate clamat : sanctum; G sensum exprimit : παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι, similiter S. Votum aliquod non est temere faciendum, neque primo quasi impetu abreptum decet rem sibi caram et pretiosam consecratione ad Dei seu templi servitium devovere; quod si fit, periculum est ne postea eum voti poeniteat; *et post vota retractare,* hebr. considerare; oportet enim ante votum considerare, an bene et apte fieri possit; unde sensus ex hebr. est : laqueus homini qui inconsiderate clamat : sanctum, ut post votum tandem rem consideret (לבקר); G μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι μετανοεῖν γίνεται, S post votum eum poenitet; cf. Eccl. 5,3. 4 quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere quam post votum promissa non reddere. Vulg. habet hoc loco lectionem sat miram : *ruina est homini devorare sanctos*; alias lectiones commemorat *Lap.* devotare, devovere, devocare; ex nulla autem eruitur aptus sensus. Varia quae excogitata sunt referre non erit opus; si cui vacat, potest ea videre apud *Lap. Calm.* Hebr. יָלַע explicant imp. hiphil לעע cui voci tribuitur notio loquendi aliena, insana (cf. Iob 3,6). Quod vulg. habet *devorare,* explicatur ex Abd. 16, ubi לעו vertitur absorbebunt; unde v. g. *Ians.* dicit hoc loco hebr. habere proprie : laqueus est homini deglûtire sanctum; Pagninus testatur codices quosdam latinos habere devorare sancta; qua lectione prohiberentur laici ea comedere quae tamquam sancta sacerdotibus reservata sunt. Ceterum *Frank.* textum hebr. emendant ex G scribens בַּהֵל לְקַדֵּשׁ festinare ad rem aliquam sanctam declarandam. In commentario ad Ez. 44,17-22 S. Hieronymus versum hunc ita affert : laqueus est viri, cito quid de suis sanctificare; cum enim votum fecerit, surrepit poenitentia (*M.* 25,439). Et Beda hoc quoque affert : hunc versiculum antiqua editio iuxta alium sensum posuit dicens : muscipula est viro tacito aliquid de suis consecrare; postea autem quam votum fecerit poenitentiam agit.

A rege sapiente puniuntur impii v. 26 *dissipat,* cribrat, vide v. 8, *impios rex sapiens et incurvat super eos fornicem,* reducit super eos rotam (hebr., item G, S); videtur esse allusio ad Am. 1,3 eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad; poena gravis exprimitur. Quo genere poenae affligantur, incertum est; de singulari poena vide 2 Mach. 13,5. 6. Censent rotam hoc loco inferri quia in priore sticho

de ventilatione sermo sit; unde nihil aliud innui, nisi illud Ps. 1,4 tamquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae; esse scil. mentionem fore ut impii dispergantur, sicut post trituram paleae ventilantur. Sed attende, prius plaustrum duci super segetes et dein ventilari. Iam vero hic post ventilationem ponitur rota; ergo aliud poenae genus debet indicari, non unam ventilationem, dispersionem; cf. Is. 28,27 (neque tamen allegari potest 2 Sam. 12,31 nec 1 Chron. 20,3, ubi alia explicatio merito est proposita; cf. Revue biblique, 1898, p. 253). Verte hebr.: secernit impios — et poena plaustri, rotae potest intelligi.

« Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae » (Gen. 2,7) v. 27 *lucerna Domini spiraculum hominis*, spiritus hominis est lucerna a Domino data, est lux spiritualis, derivata et illuminata ab immensa luce, sive a spiritu lucidissimo Dei, *quae investigat omnia secreta ventris*; per illam lucernam homo se ipsum et intima sua cognoscit; spiritus seu anima hominis habet conscientiam sui ipsius et intimarum suarum affectionum, cogitationum. Cor, viscera sedes censebantur affectuum, desideriorum, intentionum. Horum omnium spiritus hominis sibi intime conscius est; cf. 1 Cor. 2,11 quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Haec itaque lucerna a Domino data, lumen rationis naturale, lumen a Deo datum in ipsa lege, in revelatione et in animo impressum, reliquis quoque animae facultatibus debet esse quasi lampas eisque lucem praebere.

Quibus firmetur regnum, monstratur v. 28 *misericordia et veritas*, benevolentia et sincera fides, *custodiunt regem*; hisce enim animos subditorum sibi devincit; *et roboratur clementia thronus eius*, et per benevolentiam fulcit thronum suum (hebr.); duritie quippe provocantur rebelliones; cf. 3 Reg. 12,16; clementia conciliantur rebelles. Est sua cuique aetati gloriatio v. 29 *exsultatio*, decor, gloria *iuvenum fortitudo eorum*, robore corporis, viribus gloriantur iuvenes et prae aliis excellere student; *et dignitas*, decus, ornamentum, *senum canities*; cf. 16,31; canitie fiunt senes honorabiles; longa enim vita consideratur tamquam praemium virtutis, et est donum sapientiae (9,11; 10,27).

Plagis mala (vitia) corriguntur v. 30 *livor vulneris absterget mala*, vibices vulneris defricant malum, *et plagae in secretioribus ventris*, plagae quibus non superficies solum plectitur, verum intimae partes affliguntur. Calamitatibus et castigationibus vitia imminui, removeri, quasi abstergi, in textu hebr. et vulg. edicitur; G autem enuntiat talia eventura esse malis (hominibus); item S; bonus quidem est sensus hebr. et vulg., quo calamitatibus vis quaedam salutaris adscri-

bitur ad correctionem efficiendam (cf. Iob 33,17 sq.). Plagae itaque non solum inserviunt ad puniendos impios ut ordo iustitiae stabiliatur, verum etiam adhibentur ad retrahendum hominem a malo, ad emendationem incipiendam. Hebr. מרק adhibetur notione poliendi. defricandi de lanceis, de aere, de vase aeneo (Ier. 46,4; 2 Chron. 4,16; Lev. 6,21 hebr.); cum haec notio non satis hoc loco congruat, et G praebeat ὑπώπια καὶ συντρίμματα συναντᾷ κακοῖς, et similiter S, merito concludendum erit cum *Frank.* illos interpretes legisse non תמריק sed vocem aliam litteris sat similem תקרינה; qua lectione habetur sensus idem cum G, S : vibices occurrunt (contingunt, evenient) malo.

21,1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini;* | *quocumque voluerit, inclinabit illud.* 2. *Omnis via viri recta sibi videtur;* | *appendit autem corda Dominus.* 3. *Facere misericordiam et iudicium* | *magis placet Domino quam victimae.* 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis;* | *lucerna impiorum peccatum.* 5. *Cogitationes robusti semper in abundantia;* | *omnis autem piger semper in egestate est.* 6. *Qui congregat thesauros lingua mendacii,* | *vanus et excors est* | *et impingetur ad laqueos mortis.* 7. *Rapinae impiorum detrahent eos,* | *quia noluerunt facere iudicium.* 8. *Perversa via viri aliena est,* | *qui autem mundus est, rectum opus eius.* 9. *Melius est sedere in angulo domatis,* | *quam cum muliere litigiosa et in domo communi.* 10. *Anima impii desiderat malum,* | *non miserebitur proximo suo.* 11. *Mulctato pestilente sapientior erit parvulus;* | *et si sectetur sapientem, sumet scientiam.* 12. *Excogitat iustus de domo impii,* | *ut detrahat impios a malo.* 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis,* | *et ipse clamabit et non exaudietur.* 14. *Munus absconditum exstinguit iras,* | *et donum in sinu indignationem maximam.* 15. *Gaudium iusto est facere iudicium,* | *et pavor operantibus iniquitatem.* 16. *Vir qui erraverit a via doctrinae* | *in coetu gigantum commorabitur.*

Brevius et efficacius dicitur in hebr. v. 1 rivi aquarum cor regis in manu Iahve, rex qui nulli subditus est, sed omnibus dominatur, tamen omnino a Domino dependet et plene in eius continetur potestate; *quocumque voluerit, inclinabit illud,* uti agricolae aquas in agros pro arbitrio derivant, ita Dominus regis animum pro arbitrio voluntatis flectit ac dirigit (*Calm.*). Indicatur regem pro sua in subditos potentia sub peculiari Dei providentia constitui, utpote qui sit in terra quasi vicarius Dei Deique vice et nomine gubernet. Ut igitur regnum pace et felicitate fruatur, imploranda est Dei peculiaris circa regnum regemque providentia, ut animum regis ad bonum commune dirigat. Ita oravit Esther : transfer cor illius in odium hostis nostri (Esth. 14,13); cf. Tobias 1,8. — Uti 16,2, ita dicitur v. 2 *omnis via viri recta sibi videtur*; homo facile sibi blanditur actionesque et intentiones probas et sanctas esse sibi persuadet; *appendit autem corda Dominus,* probat; intima animorum desideria, affectus, intentiones

perscrutatur, ponderat, novit Deus; quare videndum est, quomodo homo coram Deo consistat; cf. 14,12; 16,25. — Quod Samuel docuit « melior est obedientia quam victimae », Sapiens quoque monet v. 3 *facere misericordiam et iudicium,* quod iustum est et rectum, iustitiam et ius (hebr.) *magis placet Domino quam victimae*; sacrificia tunc solum possunt esse grata, si offeruntur ex animo vera virtute religionis et cultus divini amore imbuto. Sacrificiis quippe significatur et exprimitur summa agnitio divinae maiestatis et nostra erga eam subiectio; verum si hi animi sensus absunt, sacrificia evadunt symbola vacua, inutilia, contra quae prophetae loquuntur (Is. 1,11; 66,3. Ier. 7,21. Os. 6,6; cf. 1 Reg. 15,22. Ps. 49,8 seq.); v. 27 hostiae impiorum abominabiles.

In v. 4 hebr. constat genere dicendi abrupto : extollentia oculorum et inflatio cordis, lucerna impiorum, peccatum; explica : superbia et insolentia, haec est lucerna, felicitas, gaudium impiorum; at haec iis erit in peccatum; unde lucerna impiorum exstinguitur (13,9). Vocem hebr. נר posse quoque significare novale etiam veteres aliqui notarunt (cf. *Ians. Lap.*) : novale seu ager novus quem arant impii est peccatum; vel fructus (acquisitio) impiorum est peccatum; sed versiones G, S, vulg. et secundum syr. hexpl. omnes exhibent lucernam. — Sedulitate, non praecipitantia acquiruntur opes v. 5 *cogitationes robusti,* seduli, *semper in abundantia,* solum ad emolumentum; *omnis autem piger,* omnis festinus, praeproperus solum ad inopiam (hebr.); cf. 10,4. Ad opes secure augendas requiritur consideratio et labor strenuus; qui autem praecipite studio ditescere volunt, omnia etiam dubia et periculosa amplectuntur et minime proficiunt. Affert exemplum *Lap.* : « patet hoc in mercatoribus; qui enim inter eos prudentes sunt, pecunias suas non expendunt nisi in cambia et merces securas et meliores, itaque mire ditescunt; imprudentes vero, dum pecunias expendunt in obvia quaeque, saepe merces emunt parvi momenti vel corruptas vel periculosas, quarum deinde iacturam faciunt; itaque depauperantur ». Neque fraudibus colliguntur opes stabiles v. 6 *qui congregat thesauros lingua mendacii,* decipiendo vendentes seu ementes mendaciis de bonitate seu vilitate mercium, adhibendo pondera falsa, negando debita, *vanus et excors est,* stultus est, quia secum non reputat qualem poenam sibi necessario attrahat secundum normam retributionis; et poena eius est : *et impingetur ad laqueos mortis,* calamitatibus, praematura morte poenas luet. Hebr. fortasse verti potest : acquisitio thesaurorum per linguam mendacii (tales thesauri sunt), halitus dissipatus quaerentium mortem (cf. 5,5. *Wild.*). Verum satius erit textum emendare ex G μάταια διώκει ἐπὶ

παγίδας θανάτου vana sectatur (דרך) in laqueos (במוקשי) mortis (cf. *Frank. Bickell*); iste vana prosequitur, versans in summo periculo, quasi incedens super laqueos perniciei seu mortis, quibus unoquoque momento capi possit. Duo itaque indicantur : tales thesauri sunt vani, instabiles, cito pereunt quasi evanidi, et insuper proximum secum afferunt periculum ruinae et mortis; duras poenas luet fraudulentus ille. Ex altero membro emendato facile sequitur etiam in priore membro legi oportere cum G et vulg. : acquirens (פעל particip.).

Impii se ipsos perdunt v. 7 *rapinae impiorum detrahent eos*; violentia impiorum abripiet eos (hebr.) scil. in perniciem, secundum normam retributionis; *quia noluerunt facere iudicium,* recusarunt agere rectum. Idem enuntiatur in hebr. v. 8 perversa est via viri scelesti (ita וזר communiter ex arabico explicatur); vulg. *perversa via viri aliena est* scil. a recto et honesto; nam iniustitia et impietas ipsa est perversa via; huic opponitur : *qui autem mundus est, rectum opus eius;* viro scelesto opponitur mundus; perversae viae opponitur opus rectum. Textus hebr. videtur mancus, neque וזר ex hebr. explicari potest; bonum textum praebet G πρὸς τοὺς σκολιοὺς σκολιὰς ὁδοὺς ἀποστέλλει ὁ θεός, ἁγνὰ γὰρ καὶ ὀρθὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, perversis mittit Deus perversas vias, munda enim et recta opera eius. Inde concludere licet pro וזר legi oportere נָלֹז, sensus est idem qui habetur Ps. 17,26. 27. Quantae molestiae sit mulier rixosa, declaratur exemplo v. 9 *melius est sedere,* habitare, *in angulo domatis,* in angulo tecti, ibi scil. in parvo cubiculo et eiusmodi cubicula habebantur in tectis planis (עליה Iud. 3,20. 1 Reg. 17,19. 2 Reg. 1,2; 23,12); ibi ergo ut quis solus habitet, satius est *quam cum muliere litigiosa et in domo communi,* domus in qua tota familia habitat opponitur cubiculo solitario in tecto (cf. Ps. 101,8); vide v. 19; 25,24.

Quae sit indoles impii, indicatur v. 10 *anima impii desiderat malum,* improbus mali cupidus est; ingenium eius tendit ad improbitatem; cuius una species effertur altero sticho : *non miserebitur proximo suo,* non invenit misericordiam in eius oculis proximus eius (hebr.) impiorum viscera sunt crudelia (12,10; cf. 4,16; 11,17). Sententia 19,25 proposita simili modo repetitur v. 11 *mulctato pestilente sapientior erit parvulus,* irrisore punito homo simplex, incautus, inconsideratus prudens fit; *et si sectetur sapientem, sumet scientiam*; in vulg. hoc membrum iterum refertur ad parvulum seu simplicem; at melius hebr. : et si docetur sapiens, sumet scientiam; similiter G, S, et suadetur ob 19,25. — Iustus Deus punit impios; ita v. 12 hebr. attendit iustus ad domum impii, deiicit impios in malum; Deus

considerat, intelligit opera, familiam impii; per aliquod tempus impium agere sinit, donec tandem in eum animadvertat. G, S intelligit iustus corda impiorum. Vulg. *excogitat iustus de domo impii* — haec pars potest intelligi, uti hebr.; at alter stichus *ut detrahat impios a malo* prorsus aliam refert sententiam; non poena, sed emendatio impiorum spectatur; qui tamen sensus alienus est ab hebr. G, S. Ex altero sticho in hebr. patet sententiam non de homine iusto, sed de Deo iusto esse intelligendam; vel ita ut in universum dicatur : iustus quidam, iustus aliquis, quo loquendi modo etiam iustus Deus satis indicatur. Quare non opus est mutatione textus : iustus attendit ad domum suam, impietas autem deiicit eam in interitum.

Poena talionis proponitur homini duro v. 13 *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur*; durus ille etiam in calamitatem et miseriam deveniet et clamori eius nulla fiet responsio; cf. 1,28. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur (Matth. 5,7) — e contra durus ille servus traditur tortoribus (Matth. 18,34). In eum qui non est recordatus facere misericordiam variae pronuntiantur maledictiones Ps. 108,16 seq. — Quanta efficacia insit donis exponitur v. 14 *munus absconditum* in secreto datum *exstinguit iras,* donis Abigail placavit iram David (1 Reg. 25,18 seq.), *et donum in sinu,* in veste sinuosa apportatum avertit seu exstinguit *indignationem maximam*; cf. 17,23. Veteres transferunt sententiam ad eleemosynam. Instituitur comparatio iustum inter et impium v. 15 *gaudium iusto facere iudicium et pavor operantibus iniquitatem*; si fit iudicium, gaudium est iusto; verum terror, consternatio, ruina pro iniquis. Infinitivus hebr. notionem habet activam et passivam; ad alterum stichum et ad vocem מחתה magis congruit notio passiva : fieri iudicium vel per Deum vel per iudicem iustum humanum. Eiusmodi iudicium est ruina, terror pro impio. Notio altera activa facere rectum gaudium quidem iusti satis explicat; at cur impio terrori sit, si alius bene agit (imo ruinae), non adeo clare patet. Ceterum fieri iudicium idem quoque est ac ius dari, reddi, iustum tribui; cf. 10,29.

Et quale iudicium instet impio, enuntiatur v. 16 *vir qui erraverit a via doctrinae,* a via intelligentiae, sapientiae, *in coetu gigantum,* mortuorum, commorabitur; poena aberrationis a via vitae est mors; cf. 2,18; 5,5; 7,27; de gigantibus vulg. vide 9,18. Impii enim non dimidiabunt dies Ps. 54,24.

17. *Qui diligit epulas in egestate erit;* | *qui amat vinum et pinguia non ditabitur.* 18. *Pro iusto datur impius* | *et pro rectis iniquus.* 19. *Melius est habitare in terra deserta* | *quam cum muliere rixosa et iracunda.* 20. *Thesaurus desiderabilis et oleum in*

habitaculo iusti, | et imprudens homo dissipabit illud. 21. Qui sequitur iustitiam et misericordiam | inveniet vitam, iustitiam et gloriam. 22. Civitatem fortium ascendit sapiens | et destruxit robur fiduciae eius. 23. Qui custodit os suum et linguam suam | custodit ab angustiis animam suam. 24. Superbus et arrogans vocatur indoctus, | qui in ira operatur superbiam. 25. Desideria occidunt pigrum; | noluerunt enim quidquam manus eius operari. 26. Tota die concupiscit et desiderat; | qui autem iustus est tribuet et non cessabit. 27. Hostiae impiorum abominabiles, | quia offeruntur ex scelere. 28. Testis mendax peribit; | vir obediens loquetur victoriam. 29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, | qui autem rectus est corrigit viam suam. 30. Non est sapientia, non est prudentia, | non est consilium contra Dominum. 31. Equus paratur ad diem belli, | Dominus autem salutem tribuit.

Ad egestatem redigetur qui diligit sollemnes epulas, dies laetos (hebr. proprie gaudium; sed bene vulg. *epulas*)*; qui amat vinum* et oleum non ditescet; oleum, unguentum frequenter adhibebatur ad unctionem, ad cubilia aspergenda; cf. 7,17 aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo; Am. 6,6 bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti; Ps. 103,14 ut exhilaret faciem in oleo; 132,2 sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, in oram vestimenti eius. G miro modo intellexit hebr. ἀνὴρ ἐνδεὴς ἀγαπᾷ εὐφροσύνην vir egenus amat laetitiam; S aliter iungens ita effert : vir qui egenus est et amat laetitiam et vinum et aroma, non fit dives. — Sequitur sententia similis uti 11,8 in v. 18 *pro iusto datur impius,* pretium pro iusto est impius, *et pro rectis iniquus,* perfidus; exempla habentur Is. 43,3; in historia Esther gentes occiduntur loco Iudaeorum, Aman loco Mardochaei, in narratione Daniel falsi accusatores loco Daniel. Subducitur itaque iustus periculo et impius pro eo subit periculum. Rem ita quoque declarat *Lap.* « cum Deus urbi vel reipublicae cladem immittit in poenam peccatorum, quae clades etiam iustis obtingeret ob levia quaedam eorum peccata, quibus particulam poenae meriti sunt, Deus eos diligens, eorum miserens, facit ut clades poenae tota in impios devolvatur, ut ipsi qui potissimam cladis causam dederunt, illam totam exsorbeant ac proinde pro iustis irae Dei patiendo satisfaciant; quare tunc iusti supplicio impiorum quasi redimuntur et expiantur, quia impii sunt cladis immissae pretium ac redemptio, quam acceptat Deus; impii ergo sunt piaculum iustorum »; G περικάθαρμα δὲ δικαίου ἄνομος, *Aq. Sym. Theod.* ἐξίλασμα, cf. 11,8.

Enuntiatur fere idem quod v. 9 audivimus in v. 19 *melius est habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa et iracunda,* quam mulier rixosa et morosa (vel : et aegritudo quae scil. viro ab ea esset sustinenda). Sapientem esse providum, stultum autem prodigum videtur innui in v. 20 *thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo*

iusti, sapientis (hebr.), *et imprudens homo dissipabit illud,* devorat illud (hebr.) celerrime absumit vel consumit id quod habet; ita explicari debet, quamquam *illud* proprie referri debet ad thesaurum iusti; at de filio seu herede stulto, qui devoret thesaurum a sapiente collectum, verba nequeunt intelligi. Merito delent oleum *Bickell, Frank. MK.* neque habetur apud G : thesaurus desiderabilis requiescit super os sapientis, imprudentes autem viri devorabunt illum. Quae sententia pariter non caret difficultate. Nam si de doctrinis sapientiae sermo est, quomodo imprudentes sunt qui illas avide suscipiunt? fortasse quia plus devorant quam digerere valent? *Frank.* explicat thesaurum desiderabilem de sermonibus blandis, urbanis, quales exigantur ab urbanitate et decoro in salutando, alloquendo, et quos ἄφρονες ita uti sonant avide accipiant iuxta illud 14,15 simplex credit omni verbo. Sed de formis loquendi urbanis vix diceretur thesaurus desiderabilis. Aliter *Lap.* exponit : sapiens ore suo continet secretum sibi commissum, veluti thesaurum in ore suo depositum; at insipiens sua garrulitate secretum effutit, propalat, dissipat et perdit. Sed mirum est secretum vocari thesaurum super os requiescentem?

Quale praemium virtuti sit propositum docetur in v. 21 *qui sequitur iustitiam et misericordiam, inveniet vitam, iustitiam et gloriam,* G inveniet vitam et gloriam, i. e. inveniet vitam felicem et longam et honorem et auctoritatem; talia enim bona promittit sapientia (8,18. 34. 35); qui autem sedulo prosequitur (hebr.) iustitiam et misericordiam, discipulus est sapientiae; cf. 3,16. Qui sequitur iustitiam, inveniet iustitiam, praemium iustitiae, benedictionem a Domino (cf. Ps. 23,5) et erit in statu qui Deo est acceptus. — Sapientiam valere prae armis ac munitionibus, declaratur v. 22 *civitatem fortium ascendit sapiens,* expugnat arte sua et astutia, *et destruxit,* destruit, *robur fiduciae eius,* propugnaculum, in quo spem ac fiduciam urbis collocabant. Sapientium artes, consilia, machinae, stratagemata plus valent in bello quam robur militum (*Lap.*); exemplum affertur Eccl. 9,14-16 : vir pauper et sapiens liberavit urbem per sapientiam suam; et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine; aliud exemplum legitur 2 Reg. 20,22; et Sap. 6,1 melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis. — Commendatur prudentia in loquendo v. 23 *qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam,* qui cautus est in sermone, ne prodat secretum, ne quem calumnietur, ne mentiatur, ne falsum testetur, ne peieret, ne temere iudicet, hic ab angoribus se custodit, ab angoribus conscientiae, a dolore et poenitudine de ore imprudenter laxato, ab inimicitiis, litibus, a variis periculis (cf. *Lap.*). Non tam loquendi parci-

monia quam circumspectio et prudentia commendatur, cf. 13,3; 18,21.

In v. 24 hebr. datur notio irrisoris (לץ) : superbus arrogans, irrisor nomen eius, operatur in abundantia superbiae; vulg. *superbus et arrogans vocatur indoctus,* irrisor, illusor (hebr.); pro indocto dices potius fatuum, insipientem et *Ians.* scribit : « mirum quid secutus sit d. Hieronymus, cum hoc loco verterit contra suum morem indoctus »; — alias enim vertit illusor, derisor, pestilens, detractor; semel vertit stultus (1,22); *qui in ira operatur superbiam,* in arrogantia superbiae; et ut talis nihil curat de lege divina quam contemnit et irridet. Similiter G eius notionem exhibet θρασὺς καὶ αὐθάδης καὶ ἀλαζὼν λοιμὸς καλεῖται, audax et arrogans et ostentator pestilens vocatur. — Describitur piger v. 25 *desideria occidunt pigrum,* desiderium pigri occidit eum (hebr.); 13,4 vult et non vult piger; *noluerunt enim quidquam manus eius operari,* quia renuunt manus eius operari (hebr.); ideo nihil assequitur, desiderium manet sterile et inefficax adeoque ei est perniciei; moritur in suo desiderio non assecutus quod desiderat. Desideria, quatenus carentiam rei desideratae significant, eum pariter in perniciem et mortem coniiciunt. Aliqui versum sequentem arcte adnectunt v. 26 *tota die concupiscit et desiderat* scil. piger; cui opponatur *iustus, qui tribuet et non cessabit,* et non retinet, non coercet. Sed ita describeretur piger semper mendicans et iustus diceretur pigro iugiter mendicanti largiter tribuere. At talis agendi modus iusti esset certe alienus a prudentia. Quare hebr. ita erit intelligendum, uti verba omnino suadent : semper concupiscitur concupiscendo, vel concupiscunt concupiscendo (man begehrt, on demande), i. e. pauperes, mendici semper apud vos sunt; iustus pro sua misericordia ita Dei benedictione ditescit, ut pauperibus semper succurrere valeat; cf. Eccli. 29,12-15 et supra 11,24 alii dividunt propria et ditiores fiunt et 19,17 feneratur Domino qui miseretur pauperis. Sed melior oppositio et bonus sensus habetur in G ἀσεβὴς ἐπιθυμεῖ ὅλην τὴν ἡμέραν ἐπιθυμίας κακάς, ὁ δὲ δίκαιος ἐλεᾷ καὶ οἰκτείρει ἀφειδῶς.

Agitur de sacrificiis impiorum v. 27 *hostiae impiorum abominabiles,* sacrificium impiorum abominatio cf. 15,8 et quae notavi ad 21,3 et abominatio sunt ex hebr. : multo magis si illud offert in (cum) facinore impuro seu scelere; eo scil. animo quem vituperat Ieremias 7,8 seq., quo quis putat sibi emere sacrificio impunitatem ad scelus perpetrandum, vel sibi promittit impunitatem sine emendatione. Eo modo etiam intellige : *quia offeruntur ex scelere,* in scelere, mala intentione; vel cogitari posset etiam de eo quod reprehendit Malachias, 1,13; ceterum vide Eccli. 34,23. 24; rem male partam offerre pariter est in scelere offerre; cf. Deut. 23,18.

Inter se videntur opponi testis mendax et verax v. 28 *testis mendax peribit*; vide 14,5; 19,5. 9; *vir obediens loquetur victoriam,* vir audiens; verum de victoria certe nihil est in textu hebr.; נצח vertunt vel veritatem (dicet veritatem — qua tamen notione vox in hebr. non adhibetur) vel semper, aeternitatem : semper loquetur i. e. non peribit. Sed haec sententia est tamen nimis mira! *Wild.* censet verti posse : vir notus fide loquetur. Versio vulg. facile explicatur, nam vocem LXX quandoque vertunt νῖκος et apud Syros habet vox notionem victoriae. G effert sensum aptum ἀνὴρ δὲ ὑπήκοος φυλασσόμενος λαλήσει, vir audiens (accurate probans audita) *caute* φυλασσόμενος loquetur, seu sibi cavens, multa cum cautione loquetur; unde coniectare licet in hebr. pro נצח formam נזהר esse ponendam; S recte loquitur. — Alii explicant : vir qui audit (admonitiones, doctrinam) loquetur semper rectum; ceterum εἰς νῖκος πορεύσεται vertunt *Aq., Sym., Theod.* — Inter se opponuntur impius et probus v. 29 *vir impius procaciter obfirmat vultum suum,* vultum assumit protervum, superbum, insolentem praesertim contra eos qui eum de aliquo defectu vel vitio corripiunt vel admonent (*Lap.*); dum tali in casu *rectus corrigit viam suam,* vel attendit ad viam suam, ad agendi modum (qeri יבין, ita G; יכין dirigit; ita S). Impius magnam sibi promittit securitatem; omnes contemnit; probus cum consideratione magna res suas peragit; ille procaciter, hic modeste.

Nemo quidquam valet contra Dominum v. 30 *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*; coram Domino et cum eo comparata plane evanescit humana sapientia; vel potius לנגד contra Dominum; Deo resistere, eius consilia irrita facere, nulla valet sapientia humana, nulla astutia, nulla consultatio; cf. Iob 3,13; 12,17. Ps. 32,10. 11 Dominus dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, etc. consilium autem Domini in aeteruum manet etc. Huius rei exemplum ita subditur, ut ostendatur hominem quidem ipsum facere et debere facere, quod aptum ac necessarium sit; at prosperum successum concedi a Domino v. 31 *equus paratur ad diem belli;* subsidia conquirit homo; *Dominus autem salutem tribuit,* apud Dominum salus (hebr.), pro lubitu potest tribuere vel negare prosperum successum, victoriam; cf. 16,1. 9; 20,24. Ps. 19,8; 32,17 fallax equus ad salutem — ecce oculi Domini super metuentes eum.

22,1. *Melius est nomen bonum quam divitiae multae; | super argentum et aurum gratia bona.* 2. *Dives et pauper obviaverunt sibi; | utriusque operator est Dominus.* 3. *Callidus vidit malum et abscondit se; | innocens pertransiit et afflictus est damno.* 4. *Finis modestiae timor Domini, | divitiae et gloria et vita.* 5. *Arma et gladii in via perversi; | custos autem animae suae longe recedit ab eis.* 6. *Proverbium est : adoles-*

cens iuxta viam suam, | etiam cum senuerit non recedet ab ea. 7. *Dives pauperibus imperat; | et qui accipit mutuum, servus est foenerantis.* 8. *Qui seminat iniquitatem metet mala, | et virga irae suae consummabitur.* 9. *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur; | de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam et honorem acquiret qui dat munera; | animam autem aufert accipientium.* 10. *Eiice derisorem et exibit cum eo iurgium, | cessabuntque causae et contumeliae.* 11. *Qui diligit cordis munditiam, | propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* 12. *Oculi Domini custodiunt scientiam; | et supplantantur verba iniqui.* 13. *Dicit piger : leo est foris; | in medio platearum occidendus sum.* 14. *Fovea profunda os alienae; | cui iratus est Dominus incidet in eam.* 15. *Stultitia colligata est in corde pueri; | et virga disciplinae fugabit eam.* 16. *Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias suas, | dabit ipse ditiori et egebit.*

Varia bona inter se comparantur : v. 1 praeferendum est prae multis divitiis nomen (hebr.) utique nomen bonum, aestimatio bona apud alios; cf. Eccli. 41,15 curam habe de (bono) nomine, hoc enim magis permanebit tibi (hebr. adhaerebit tibi) quam mille thesauri pretiosi et magni; pariter *gratia bona,* quam quis habet apud alios, pretiosior est argento et auro. Dives qui est superbus et arrogans aliorum benevolentiam sibi non conciliat; eam sibi acquirit ille, in cuius moribus et conversatione gratia bona relucet. Est quippe gratia bona suavitas, dulcedo, venustas, quam quis prae se fert; est etiam id quod tali modo apud alios conciliatur : favor, aestimatio, comprobatio. In vita communi una adsunt divites et pauperes v. 2 *dives et pauper obviaverunt sibi,* occurrunt, una vivunt; omnium eorum, *utriusque operator est Dominus,* curam eorum habet, utrumque amat, quia fecit; diligis enim omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti (Sap. 11,25); cf. 14,31; 17,5. Iob 34,19; Eccli. 11,14 paupertas et honestas (i. e. divitiae) a Deo sunt. Monetur itaque ne pauperes despiciantur. In v. 3 exemplo exponitur, quid intersit inter prudentem virum ac simplicem : *callidus vidit malum,* prudens ac cautus praevidet et praecavet aliquod malum futurum *et abscondit se,* illud declinat; occultat se, donec malum pertranseat; homo vero inexpertus, simplex, hic dicitur *innocens pertransiit,* pergit in via, offendiculo occurrenti non cedit, unde *afflictus est damno*; commendatur hac quoque sententia studium sapientiae, qua scil. bene in futurum quoque prospicere et damna cavere homines docentur. Vir prudens et expertus facile sentit malitiam et insidias et fraudes aliorum; unde sibi cavet; imprudens vero non item; ille scit quomodo se securum reddat, hic vero malitiae illorum expositus est. Inexpertus et imprudens confidenter pergit in eo quod coepit non sentiens se haud bene coepisse vel rem demum in perniciem paulatim vergere; pergit ad

quaedam opera seu munia aggredienda, quibus tamen impar est; unde varia ei exorietur afflictio; cf. 14,16.

Qualem mercedem habeat mansuetudo, demissio animi, declaratur v. 4 *finis,* merces (hebr.) *modestiae,* animi afflicti quidem sed mansueti, *timor Domini,* cultus Dei et pietas; uti enim superbia apostatare facit a Deo, ita animi demissio facile Deo se submittit eumque colit ac reveretur; pietatis autem fructus et merces sunt *divitiae et gloria et vita* beata ac longa; cf. 8,18; 3,16. In animi demissione, in humilitate assignatur fundamentum et radix pietatis; quae notio etiam exprimitur in vulg. *finis modestiae* i. e. id ad quod tendit modestia, eius scopus et meta est timor Domini. In hebr. habetur asyndeton : merces animi demissionis timoris Domini, seu animi demissionis quae comitatur timorem Domini (ita iam *Calm.*), ita ut merces demissionis et timoris Domini a Sapiente in altero sticho explicetur. Simile asyndeton statim sequitur hebr. in v. 5 : spinae, laquei in via perversi, pro צנים alii malunt legere צמים tendicula, pedica, quae vox utique melius congruit ad laqueos (cf. Iob 18,9; *Frank.*); verum ad significandas molestias et offendicula quae viro perverso in sua agendi ratione obiiciantur, bene assignantur duo diversa; item si ipse vir perversus intelligitur, qui varia ponat impedimenta in via ad alios vexandos; similiter explica vulg. *arma et gladii in via perversi,* vel aliis nocere studet vir perversus vi et violentia, vel ipse sibi sua mala vita conciliat tribulationes, uti impii confitentur : lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles (Sap. 5,7). Verum : *custos animae suae,* qui suiipsius curam habet, qui vitam suam a calamitate servare vult, *longe recedit ab eis,* cavet ab eiusmodi offendiculis; neque enim talia aliis ponit, neque ipse in ea incurret, quia vir probus in protectione Dei coeli commorabitur, dum Dominus pluet super peccatores laqueos (Ps. 10,7 et 90,1); quoties de speciali prosperitate iusti mentio infertur (cf. 10,22; 13,22; 19,23; 20,7; 21,21 etc.)!

Quanti momenti sit prima institutio seu educatio, declaratur v. 6 initia (vel assuefac) puerum secundum viam suam (ab initio viae suae, *Frank.*) i. e. sicut opus est pro eius agendi ratione; institue puerum pro vitae suae ratione. In vulg. *proverbium est : adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea,* puer quam trivit viam in pueritia, non deseret in senio; versionem explicare possumus cum *Lap.* חנך infinitivum quasi substantivum : dedicatio : sermone communi dedicatio est seu dedicatum etc. Hebr. communiter vertunt : erudi, vel assuefac, puerum iuxta viam suam, i. e. secundum rationem viae quam tenere debeat. At *Frank.* vertit : assuefac puerum in

initio viae suae; ita scil. vertit על פי; cf. 8,3 in introitu urbis לפי קרת et alias quoque פה adhibetur notione ostii, apertionis cf. Gen. 29,2; 42,27. Ios. 10,18 etc. et sensus est valde aptus : admonentur parentes, ut ab initio pueros rite instituant; tum spes erit, ut idipsum usque in senium in eis perduret. Et de vulg. notat *Ians.* : « est autem nostra lectio in locutione obscurior et imperfecta; sic enim latinius dicendum erat : iuxta quam viam adolescens se gesserit, etiam cum senuerit, non recedet ab ea ». Quoad sensum non multum refert, utrum hebr. vertas iuxta viam, vel in initio; nam utrobique indicatur doctrina a primis annis pueros esse in pietate et probis moribus instituendos; nam quod nova testa bibit, inveterata sapit; vel secundum illud : quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.

Divitiae parant potestatem v. 7 *dives pauperibus imperat;* in eandem cum pauperibus conditionem ac subiectionem se committit ac tradit qui debita contrahit : *et qui accipit mutuum, servus est fenerantis*; debitor obnoxius est creditori; cf. 4 Reg. 4,1 : creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Monetur itaque in hac sententia cavendum esse a debitis contrahendis et quidem pro amore libertatis, ne quis alterius servus fiat. Sententia est per tacitam comparationem explicanda : uti dives imperat pauperibus, ita mutuans servus est fenerantis; divites pauperibus praevalent, sibi eos in famulos assumunt, eos auctoritate opprimunt; faciunt enim opes homines animosos ac confidentes, dum paupertas reddit pusillanimes et diffidentes. *Sym. Theod.* καὶ δοῦλος δανειζόμενος ἀνδρὶ δανείζοντι.

Impius misere peribit v. 8 *qui seminat iniquitatem metet mala,* און inanitatem metet, vanitatem; non habebit successum; cf. Ps. 75,6 nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis; *et virga irae suae consummabitur* et virga qua in ira et superbia alios afflixit evanescet, consumetur; nam non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum (Ps. 124,3); contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium (Is. 14,5); explicari oportet כלה finiri, transisse, sicut Is. 21,16 et auferetur omnis gloria Cedar (cf. Is. 16,4; 24,13; 32,10. Ier. 8,20), quamvis aliis hoc loco vox videatur non intelligi posse. Mutatione textus *Frank.* stichum efficit : et frumentum operis sui agrestis (G ἔργων αὐτοῦ) evanescit, deficiet; scribit scil. שבר frumentum pro mas. שבט et sequens G עבדתו pro עברתו; congruit verbum כלה quod 1 Reg. 17,16 de defectu farinae adhibetur; stichus ita exhibitus satis concinnus est ad antecedentem; exhibetur exemplum inanitatis quam consequetur; privabitur bonis ad vitam necessariis.

Homo misericors habebit benedictionem a Domino v. 9 *qui pronus*

est ad misericordiam benedicetur, bonus oculo (hebr.); homo avarus, invidus dicitur malus oculo (cf. 23,6 invidus; 28,22); cf. Eccli. 14,10; *de panibus enim suis dedit pauperi*; affertur unum exemplum viri boni oculo; et in Eccli. 14,10 hebr. legitur stichus : oculus bonus multiplicat panem. Misericordia et beneficentia opes non minuuntur, sed Dei benedictione augescunt; cf. 11,24. 25; 14,21; 19,17; 1,26.2 Is. 58,7-11. Panem dare esurienti enumeratur inter ea quae a viro iusto praestari debent Ez. 18,7. 16; G habet distichon, cuius stichus prior effert Dei benedictionem; virum hilarem et datorem benedicit Deus; alter refertur ad v. 8 vanitatem operum eius consummabit. Porro legitur apud G : qui miseretur pauperis ipse enutrietur; de suis enim panibus dedit pauperi; victoriam et honorem acquirit qui dat munera, et animam quidem aufert possidentium (cf. ad prius membrum 19,6; ad alterum 1,19). Quod alterum distichon in vulg. quoque legitur eodem modo, sed *animam autem aufert accipientium*; beneficus scil. et liberalis vincit sibique devincit et subiugat animos accipientium; magnes animi aurum, magnes animi munus (ita vere comicus, *Lap.*). Ad prius distichon graecum bis alludit apostolus : hilarem enim datorem diligit Deus (2 Cor. 9,7) et : qui miseretur, in hilaritate (Rom. 12,8; scribit apostolus priore loco ἀγαπᾷ, uti ferunt aliqui codices; editiones recentes εὐλογεῖ).

Quomodo pax sit restituenda, docetur v. 10 *eiice derisorem*, addit G ἐκ συνεδρίου e consessu, *et exibit cum eo iurgium*; cf. Gen. 21,10; et ratio additur apud G et S : nam cum sederit in consessu, omnes inhonorat, ἀτιμάζει, ignominia afficit; quae sententia textum hebr. parumper alium supponit (ויושב בית דין; cf. *Lagarde* Anm. z. Prov.). Textus hebr. qui nunc legitur, est potius ulterior explicatio prioris stichi : *cessabuntque causae* דין, verum haec vox nullibi alias significat rixam, contentionem, *et contumeliae,* dicta scil. contumeliosa, convicia; cf. 26,20. Traditur monitum, evitandam esse consuetudinem ac conversationem cum homine, cuius indoles et ingenium est petulanter irridentis et cavillantis et sacerrima quaeque in ludibrium vertentis. — In v. 11 vulg. satis exprimit sensum textus hebr. uti nunc legitur : *qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum* (omitte *propter,* scil. qui diligit gratiam labiorum, sermones gratia et sale conditos), *habebit amicum regem*, amicus eius est rex. Sensus aptus sane colligi potest : qui diligit cordis munditiam, puta ab omni simulatione, dolo, mendacio, pravitate, et qui simul habet gratiam dicendi, talis recte et bene a rege in amicum assumi potest. At G, S priorem stichum referunt ad Deum, et ita eruitur distichon notione ac sensu praeclarum : amat Dominus eum qui mundo corde

est; qui gratiam labiorum habet, amicus est regis — Deus intuetur cor, rex aestimat ex re externa; Deus amat mundum cor, rex sermones more aulicorum blandos. Et ita hebr. erit emendandum ex G apposito nomine Iahve; et scribe מחנן pro חן (cf. *Frank. MK.*).

Deus omniscius destruit machinationes impiorum v. 12 *oculi Domini custodiunt scientiam,* Dominus habet scientiam, nihil eum latet, habet et servat cognitionem rerum; oculi nominantur, quia visu maxima claritas designatur; hac clarissima cognitione utitur ad subvertenda impiorum consilia, *et supplantantur verba iniqui,* hebr. et destruit verba i. e. res, negotia, molitiones perfidi. Dicunt enim praevaricatores : non videbit Dominus (Ps. 93,7); quare bene mentio fit oculorum Domini; abs re autem aliqui explicant scientiam virum prudentem, qui sua scientia aliis bona consilia dat, quem Deus protegit. — Pigrum ridiculas praetendere excusationes lepide ostenditur v. 13 *dicit piger : leo est foris, in medio platearum occidendus sum,* G ἐν δὲ ταῖς πλατείαις φονευταί in plateis sunt homicidae. S causam addit : dicit piger quando mittitur : leo in via; ecce homicida in plateis; antiquo tempore utique leo vel ursus gregibus insidiabatur, uti David narrat 1 Reg. 17,34, et abductione Israelitarum in terra deserta iterum leonum mentio fit (4 Reg. 17,25. 26); piger autem fingit leonem *foris,* in medio platearum urbis! Piger sibi fingit pericula multa et minimam molestiam in immensum auget.

Cavendum esse quam maxime ab adultera docetur v. 14 *fovea profunda os alienae,* hebr. alienarum scil. mulierum; dicuntur ita adulterae in oppositione ad uxores, mulieres proprias; blandis verbis seducunt, uti habetur 2,16; 5,3; 7,5; in quam perniciem tradant, vide 2,18. 19 et 5,4-6; 7,21-23; in talem incidere miseriam potest esse sequela et poena peccatorum praecedentium; nam *cui iratus est Dominus, incidet in eam*; ira autem Domini solum dicitur de peccatoribus; similiter docet Eccli : qui relinquunt Deum, incidunt in illam (flammam linguae nequam) Eccli 28,27 et eodem modo Rom. 1,24. 27 propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. — Pueros esse cum severitate quadam assuefaciendos disciplinae, v. 15 *stultitia colligata est in corde pueri;* sensus et mens pueri laborat ignorantia et afficitur multiplici inclinatione ad malum; stultitia enim apud Sapientem et ignorantiam dicit et pravitatem; sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. 8,21). Quare opus est correptione : *et virga disciplinae fugabit eam* ab eo; cf. 13,24; 19,18; 23,13; 29,15. 17. Eccli. 30,1. Severam institutionem et correctionem iis esse adhibendam Sapiens docet.

Secundum versionem vulg. in v. 16 exprimitur quaedam poena ta-

lionis, quae irrogatur haud raro teste experientia eis qui avaritia ducti opprimunt pauperes : *qui calumniatur*, opprimit, *pauperem ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori et egebit*, i. e. qui defraudat et expilat pauperem, ut se ditet, hic pariter expilabitur a ditiore, quo fiet ut in egestatem incidat (*Lap.*); vae qui praedaris! nonne et ipse praedaberis (Is. 33,2) et similiter applicari potest illud : qui vastant, vastabuntur (Ier. 30,16). Monetur itaque ne quis speret se posse malis artibus ditescere modo stabili. — Verum textus hebr. aliter quoque, et uti videtur, melius ita intelligi potest ut habeatur oppositio inter stichos : opprimere pauperem, ei est ad ditandum; dare diviti, ei est ad inopiam; scil. si pauper opprimitur, Deus pro sua providentia id ei vertit in benedictionem; si iniusto modo quidquam accrescit diviti, hoc ei vertetur in detrimentum. Alii ita : pauper oppressus eo magis intendit vires, ut acquirat necessaria; dives donis acceptis eo magis indulgebit pigritiae, donec egeat. Vel : qui opprimit pauperem, sibi saltem acquirit; qui vero diviti dat, se ipsum tantum exspoliat (ita *Del.* quae tamen sententia nimis frivola est, cum opprimenti pauperem quidquam lucri vel emolumenti attribuat; tota antithesis haec non congruit severae Sapientis doctrinae; est potius iocus quidam).

Alia Pars 22,17-24,34.

Vide quae supra dicta sunt p. 6. Iam Beda monuit novum hic locutionis genus assumi; nam deserto illo scribendi modo, quo auctor usus erat a cap. 10, reditus fit ad priorem loquendi modum, ita ut, sicut in principio libri, verba fiant specialiter ad eum qui instituitur; nec iam singulis versibus absolvitur sententia, sicuti fiebat a cap. 10 hactenus, in quibus Sapiens quasi solus secum ratiocinabatur, verum sententiae inter se iunctae et rationibus explicatae ac probatae proponuntur (cf. *Ians.*).

22,17. *Inclina aurem tuam et audi verba sapientium, | appone autem cor ad doctrinam meam,* 18. *quae pulchra erit tibi cum servaveris eam in ventre tuo, | et redundabit in labiis tuis;* 19. *ut sit in Domino fiducia tua, | unde et ostendi eam tibi hodie.* 20. *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter | in cogitationibus et scientia,* 21. *ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis, | respondere ex his illis qui miserunt te.*

Introductio haec non una laborat obscuritate. Admonitio datur v. 17 ut verba sapientium maximo studio et attentione audiantur; *inclina aurem,* ne quid quasi obiter te praetereat; aures acue et propius adhibe, ut melius audias magisque attendas (*Lap.*); ad attentionem accedat necesse est prompta voluntas amplectendi verba : *appone cor*. Sed cur

nunc dicitur *doctrinam meam*, hebr. scientiam meam? Vix aliter intelligi poterit quam ut Sapiens indicet, se effata sapientum collegisse et hisce constitui suam ipsius scientiam; non unius sapientis doctrinam et experientiam proponi, verum multorum; has sapientum sententias a se esse avide perceptas, ex iis se suam hausisse scientiam, quam nunc discipulo tradere velit; cf. 4,20; 5,1. Haec difficultas non habetur in G : audi sermonem meum. In v. 18 affertur ratio, cur avide verba illa sapientum suscipienda sint; nam pulchrum, iucundum est, cum ea servaveris in interiore tuo, parata sint simul in labiis tuis (hebr.); valde optabile est et salutare, ut verba, sicut alte in corde servantur, ita prompte et apte etiam cum aliis communicari possint. In vulg. versus refertur ad doctrinam meam. Ad quid tendant verba illa, declaratur in v. 19; finis itaque huius admonitionis et doctrinae est, *ut sit in Domino fiducia tua,* edocui te hodie, imo te (hebr.). Obscurum est, cur tanta emphasi : imo te; hanc emphasin ignorat S; G habet stichum alium καὶ γνωρίσῃ σοι τὴν ὁδόν σου : et notam tibi faciat (Dominus) viam tuam.

In v. 20 hebr. habetur interrogatio : nonne scripsi tibi nudius tertius; qeri aliqui explicant : sententias praecipuas (cf. 8,6; *Wild. Del.*), uti iam veteres quoque, cf. *Ians. Lap. Calm.* Aliter *Bickell :* edocui te *hodie,* etiam heri scripsi tibi, et nudius tertius in consiliis et scientia. Videtur Sapiens exponere, se iam saepius et voce et scriptis discipulum docuisse. G effert ita καὶ σὺ δὲ (in hisce facile cernis hebr. אף־אתה) ἀπόγραψαι αὐτὰ σεαυτῷ τρισσῶς : et tu vero describe ea tibi tripliciter, S in tribus temporibus ecce sripsi tibi ea. Illud tripliciter, vel tria fortasse referri potest ad tres huius libri partes cap. 1-9; 10-22,16 et 22,17-24,22 quae tertia pars nunc inchoatur; unde melius vertes : profecto (vel nonne) scripsi tibi tertio, dans consilia et scientiam. Ita sane qui collegit varias sententias easque scripto tradere vult, apte loquitur. Explica scripsi ex stilo epistolari tempore lectoris supposito. Et quem in finem scribat, enuntiatur v. 21 *ut ostenderem tibi firmitatem,* veritatem, G ἀληθῆ λόγον *et eloquia veritatis, respondere* ut possis respondere *ex his illis qui miserunt te,* melius et certe recte G τοῖς προβαλλομένοις σοι qui proponunt tibi, qui te interrogant, ex te postulant (hebr. lege שאל pro שלח; cf. *Bickell, MK. Frank. Wild.*). Ita simul explicatur, quid sibi velit « in consiliis et scientia » v. 20. Idque elucet ex sententiis subiunctis in quibus saepe ratio affertur, cur agendum vel abstinendum sit; cf. v. 22 : cur violentia in pauperem est vitanda? quia iudicabit Dominus etc. Unde habetur illud Eccli. 8,11. 12 non te praetereat narratio seniorum, quoniam ab ipsis disces intellectum et in tempore necessitatis dare responsum.

22. *Non facias violentiam pauperi quia pauper est, | neque conteras egenum in porta; 23. quia iudicabit Dominus causam eius | et configet eos qui confixerunt animam eius. 24. Noli esse amicus homini iracundo, | neque ambules cum viro furioso, 25. ne forte discas semitas eius, | et sumas scandalum animae eius. 26. Noli esse cum his qui defigunt manus suas | et qui vades se offerunt pro debitis; 27. si enim non habes unde restituas, | quid causae est ut tollat operimentum de cubili tuo? 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, | quos posuerunt patres tui. 29. Vidisti virum velocem in opere suo? | coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

Cavendum esse ab iniustitia monet Sapiens; duo affert exempla; auferre quidquam homini conditionis inferioris, et hominem egenum in iudicio opprimere; *non facias violentiam* hebr. גזל arripere, spoliare; ne diripias tenuem (hebr.), ei auferendo vi pecus, asinum, bovem, quia tenuis est, scil. quia protectorem potentem non habet neque se ipsum tueri potest, ubi itaque ipsa conditio hominis auxilio destituti incitamentum est potentioris ad iniustam oppressionem; *in porta,* ubi scil. iudicia habebantur; ergo homini egeno, pauperi ius denegare; viduam, pupillum non protegere, eorum iura non vindicare. Cur cavendum sit, ratio affertur v. 23 *quia iudicabit Dominus causam eius,* ipse Dominus erit advocatus et protector; auxilium Dei eis praesto est qui ope carent humana; cf. Ex. 22,21-24; est quippe Deus pater orphanorem et iudex viduarum (Ps. 67,6; 145,9); *et configet eos,* hebr. קבע spoliare? et spoliabit eos qui spoliant eos vita, morte punientur qui tenues spoliant seu opprimunt. De voce cf. Mal. 3,8; aliquoties legitur eadem notione in midraschim (cf. *Del.*). *Sym.* κολάζειν, *Aq.* καθηλοῦν.

Commercium cum iracundo est vitandum v. 24 *noli esse amicus cum homine iracundo,* noli cum tali necessitatem coniungere; imo ne eundum quidem cum eo est, *neque ambules cum viro furioso*; cf. 15,18; et ratio est v. 25 *ne (forte) discas semitas eius,* ne assuescas moribus eius modisque agendi, *et sumas scandalum,* laqueum, *animae tuae,* ne ipse impliceris peccatis iracundiae et rixarum; « biliosus enim suam bilem socio affricat, imo ira et rixa sua iras eius rixasque suscitat; socius enim socii, amicus amici mores imbibit et induit: difficile enim est cum eo qui crebro irascitur iugem servare sapientiam et mansuetudinem, ac iram quam ille prolicit cohibere ne erumpat » (*Lap.*). Laqueus quo strangulatur anima intelligi quoque potest de periculo mortis, cui vir furiosus facile exponitur; caedes enim ira rixisque provocantur et committuntur. Similia pluribus monet Eccli. 8,18-20. Ceterum notat *Ians.* ex subiuncta ratione patere non omnibus semper declinandam societatem iracundorum; viros enim perfectos debere nonnunquam cum illis conversari, ut ad rectitudinem illos pertrahant.

Cavendum est a fideiussione v. 26 *noli esse cum his qui defigunt manus suas,* qui dextra data se obligant, idque in hebr. (cum non habeatur *et*) statim explicatur, *qui vades se offerunt pro debitis,* qui sponsione se obstringunt; cf. 6,1; 11,15; 17,18; 20,16. Ostenditur periculum sponsionis v. 27 *si enim non habes, unde restituas,* si solvendo impar sis, cur tollat (creditor) stratum tuum subtus te? quid creditori liceat, traditur Ex. 22,25-27. Deut. 24,10-13. Sapiens non omnem prohibet sponsionem, sed eam solum, in quam se quis stulte proiicit solvendo impar, seu si spondet ultra vires et opes. Vult Sapiens ut etiam in officiis praestandis prudentia auriga sit virtutum. — Commendatur idem quod Deut. 19,14 et 27,17 praecipitur v. 28 *ne transgrediaris,* ne commoveas, ne transferas, *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*; ea scil. reverentia institutis maiorum est adhibenda, ut pie serventur. Sententia sane magis generali notione capienda erit, non solum ne quis transferat seu plus aequo extendat limites agrorum, verum ut generatim usibus maiorum debitus pendatur honor, ne temere subvertantur consuetudines antiquitate et auctoritate maiorum consecratae. — Multa solertia viam aperit ad dignitates v. 29 *vidisti virum velocem in opere suo?* industrium, strenuum, solertem; si quis talis est, facile ei continget, ut ad praeclara munera promoveatur : *coram regibus stabit,* ad regium servitium assumetur; nequaquam sese abiiciet, ut hominibus obscuris ac conditionis tenuis serviat : *nec erit ante ignobiles,* non stabit coram tenuibus; stare coram i. e. servire, praesto esse ad servitium; cf. 1 Sam. 16,21. 3 Reg. 10,8; 22,19. Dan. 7,10. Laus et commendatio industriae ac solertiae proponitur; principibus vero commendatur, ut in suum servitium solum viros strenuos, rerum peritos, accersant.

23,1. *Quando sederis ut comedas cum principe, | diligenter attende quae apposita sunt ante faciem tuam,* 2. *et statue cultrum in gutture tuo, | si tamen habes in potestate animam tuam;* 3. *ne desideres de cibis eius, | in quo est panis mendacii.* 4. *Noli laborare ut diteris; | sed prudentiae tuae pone modum.* 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere; | quia facient sibi pennas quasi aquilae et volabunt in coelum.* 6. *Ne comedas cum homine invido | et ne desideres cibos eius,* 7. *quoniam in similitudinem arioli et coniectoris aestimat quod ignorat, | comede et bibe! dicet tibi et mens eius non est tecum;* 8. *cibos quos comederas evomes, | et perdes pulchros sermones tuos.* 9. *In auribus insipientium ne loquaris, | quia despicient doctrinam eloquii tui.* 10. *Ne attingas parvulorum terminos, | et agrum pupillorum ne introeas;* 11. *propinquus enim illorum fortis est, | (et) ipse iudicabit contra te causam illorum.* 12. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, | et aures tuae ad verba scientiae.* 13. *Noli subtrahere a puero disciplinam; | si enim percusseris eum virga, non morietur;* 14. *tu virga percuties eum, | et animam eius de inferno liberabis.*

Quanta circumspectione opus sit in convivio principis, insinuatur

v. 1-3. Si invitaris ad mensam et convivium principis, *diligenter attende* quae ante te (hebr.), ut bene vulg. explicat *quae apposita sunt,* G. τὰ παρατιθέμενά σοι, item S. Quandoque explicant, attende eum qui ante te est; at ante aliquem seu coram aliquo esse לפני hebr. solum dicitur de inferiore qui coram superiore adstat, non autem de superiore qui coram inferiore adstet, ut usu vocis plane constat. Diligenter observa varia ciborum genera, epulas, vinum; adverte, ne deliciae et vina te seducant et in nimiam hilaritatem et ebrietatem quasi mente mota te transferant, unde fiet ut arcana tua vel aliena patefacias, aut in dicta vel facta improvida, iniuriosa, noxia vel suspecta erumpas quae tibi vel aliis periculum creent (*Lap.*). Quare *statue cultrum in gutture tuo,* cultrum ponere ad guttur, imminens transfixionis periculum seu comminationem videtur designare, qua comminatione quis terrefiat, ut quam maxime sibi caveat, frenum sibi iniiciat, compescat cupiditates, agat cum omni circumspectione et moderatione, *si tamen habes in potestate animam tuam,* si quidem vales animi impetum compescere; hebr. ad verbum si possessor animae tu, ubi anima pro variis desideriis et affectibus ponitur; quare hoc loco ex contextu exponunt : si ciborum avidus es, si magno appetitu praeditus es. Gulam seu edacitatem esse cohibendam, etiam patet ex v. 3 *ne desideres de cibis eius,* potius ne inhies cibis eius delicatis, ne cupide appetas cuppedias eius, *in quo est panis mendacii*; hebr. et hic panis fallax; ista suavitas et oblectatio est fallax, tibi erit in perniciem. De iis quae in mensa viri nobilis observanda sunt, scribitur in Eccli 31,12 seq.

Cavendum est a nimia cupiditate ditescendi v. 4. 5; *noli laborare, ut diteris; (sed) prudentiae tuae pone modum,* hebr. ab intelligentia tua (qua scil. uteris ad opes ulteriores comparandas) cessa; item prudentiae qua novos acquirendi modos investigas impone modum, eam coerce. Cur vana sint eiusmodi desideria, exponitur v. 5 *ne erigas oculos ad opes quas non potes habere;* textus mas. in prima voce התעיף est corruptus; bonum sensum praebet G ἐὰν ἐπιστήσῃς τὸ σὸν ὄμμα πρὸς αὐτὸν, οὐδαμοῦ (φανεῖται) πεσεῖται, si intenderis oculum tuum (ad opes), nusquam cadunt, nusquam inveniuntur seu comparent; similiter S : si aspicit oculus tuus versus eas, iam non tibi apparent (in v. 4 G, S ponunt divitem : ne extendas te, ne appropinques, pauper cum sis, ad divitem). Cur divitiae subito disparent? *quia facient sibi pennas, quasi aquilae volabunt in coelum*; perstringitur vana illa spes et imaginatio augendi opes exemplo aquilarum in coelum avolantium, quas nemo manu prehendere potest; fallax illa exspectatio demonstratur; cf. 20,21.

De convivio hominis avari agitur v. 6-8; *ne comedas cum homine invido,* invidus, avarus, malus oculo; cf. 22,9; *et ne desideres cibos eius,* hebr. cuppedias eius. Quod in vulg. sequitur, nequit intelligi; hebr., uti iacet, potest verti : nam sicut qui apud se reputat (*Sym.* εἰκάζων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ), ita ille est; quae sententia etiam subobscura est; alii vertunt: postquam apud se reputavit, dicit tibi (*Frank.*). Neque G quidquam lucis affert : sicut enim si quis deglutiat pilum (τρίχα), sic comedit — neque S : sicut vir deglutit picem, sic manducas et bibis cum eo. Homo ille avarus ponderat et mensurat et numerat apud se quae quisque comedit et bibit — hic videtur esse sensus textus hebr.; *comede et bibe, dicet tibi*; at plane aliter cogitat : *et mens eius,* cor eius (hebr.) *non est tecum*; minime sincere loquitur; animo minime tibi favet. Quod si adverteris, displicebit tibi illius sordidi mensa et eius epulae contemptui vertentur; unde v. 8 *cibos quos comederas evomes,* taedium et fastidium experieris; *et perdes,* perdidisti, *pulchros sermones tuos*, quibus pro invitatione animum gratum et laetum ostendisti; hi sermones frustra, in vanum prolati sunt; animum sordidi hominis non conciliarunt.

Monitum, simile 9,7, traditur v. 9 *in auribus insipientium ne loquaris*; qui sese exhibet indocilem et incorrigibilem frustra admonetur; immo abstinendum est ab admonitione, *quia despicient doctrinam eloquii tui,* intelligentiam verborum tuorum; valet contra tales verbum illud : nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos (Matth. 7,6) et Eccli. 22,7 qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. — Cavendum est ab oppressione inopum v. 10 *ne attingas parvulorum terminos,* ne summoveas terminos antiquos (hebr.); cf. 22,28; *et agrum pupillorum ne introeas,* ne invadas agros seu bona pupillorum; ex hoc sticho facile oritur suspicio, in priore esse legendum non עולם, sed אלמנה ne summoveas terminos viduae; ita habetur parallelismus; qui quam maxime indigent protectione efferuntur; insuper viduae et pupilli saepe simul nominantur (Ex. 22,22. Deut. 10,18; 14,29; 16,11. 14; 24,20; 26,12; 27,19. Ps. 145,9. Is. 1,17; 9,17 etc.). Nam etsi viduae et pupilli videntur auxilio destituti humano, eorum vindex et ultor est Deus; v. 11 *propinquus enim illorum,* hebr. גאל cuius est ius cognati vindicare, redemptor eorum *fortis est*; nam « si laeseritis eos, vociferabuntur ad me et ego audiam clamorem eorum et indignabitur furor meus percutiamque vos gladio » Ex. 22,23. 24; cf. Ier. 50,34; *et ipse iudicabit contra te causam illorum,* causam eorum aget Deus contra te; cf. 22,23; ipse est enim pater orphanorum et iudex viduarum (Ps. 67,6; Mal. 3,5).

Adnectitur admonitio v. 12 *ingrediatur ad doctrinam cor tuum,*

hebr. ingredi fac ad disciplinam cor tuum; adverte animum ad disciplinam; *et aures tuae ad verba scientiae* i. e. aures tuas adverte ad effata scientiae i. e. libenter audi et animo reconde doctrinam sapientiae. Et ad tale sapientiae studium iam suo modo assuefaciendus est puer v. 13 *noli subtrahere a puero disciplinam,* ne prohibeas a puero correptionem; bene G μὴ ἀπόσχῃ νήπιον παιδεύειν ne desistas parvulum emendare; castigatio quoque in subsidium educationis est advocanda : *si enim percusseris eum virga, non morietur* i. e. non peribit; efficies scil. ut a vitiis et a pernicie retrahatur; modico doloris sensu carnem eius perstringe, ut anima sanetur discatque suas cupedines frenare (*Lap.*); cf. 13,24; 19,18; 22,15; 29,15. Eccli. 30,1; idque clarius ostenditur v. 14 *tu virga percuties eum et animam eius de inferno liberabis,* vitam eius a scheol servabis, G a morte erues ἐκ θανάτου ῥύσῃ, praematura mors infligitur sceleratis Ps. 54,24; sapientia vero largitur vitam 3,22; 4,13; 8,35; 9,11.

15. *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, | gaudebit tecum cor meum;* 16. *et exsultabunt renes mei, | cum locuta fuerint rectum labia tua.* 17. *Non aemuletur cor tuum peccatores, | sed in timore Domini esto tota die,* 18. *quia habebis spem in novissimo, | et praestolatio tua non auferetur.* 19. *Audi, fili mi, et esto sapiens, | et dirige in via animum tuum.* 20. *Noli esse in conviviis potatorum, | nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt;* 21. *quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur, | et vestietur pannis dormitatio.* 22. *Audi patrem tuum qui genuit te, | et ne contemnas, cum senuerit mater tua.* 23. *Veritatem eme et noli vendere | sapientiam et doctrinam et intelligentiam.* 24. *Exsultat gaudio pater iusti; | qui sapientem genuit, laetabitur in eo.* 25. *Gaudeat pater tuus et mater tua | , et exsultet quae genuit te.* 26. *Praebe, fili mi, cor tuum mihi, | et oculi tui vias meas custodiant;* 27. *fovea enim profunda est meretrix, | et puteus angustus aliena;* 28. *insidiatur in via quasi latro, | et quos incautos viderit, interficiet.*

Sapiens magister ostendit gaudium cum intimo animi sensu de profectu discipuli; hoc docetur in v. 15; laetabitur cor meum, et repetitur : etiam ego (similis repetitio pronominis ex suffixo 22,19) i. e. cor meum pariter laetabitur. Intimum gaudium significatur in v. 16 renibus exsultantibus, quia sapientia non solum in animo seu corde, intellectu discipuli residet; verum etiam sermonibus rectis aptisque (rectitudinibus) cum aliis communicatur et proditur. Uti *Lap.* notat, hic stimulat Sapiens discipulum ad studium sapientiae per aculeum reverentiae filialis et amoris paterni; q. d. si amas me, patrem et praeceptorem tuum, stude sapientiae; sic enim te aeque ac me magno bono magnoque gaudio cumulabis. — Non est concipienda indignatio de prosperitate peccatorum v. 17 *non aemuletur cor tuum peccatores,* non doleat cor tuum, non affligatur, non invideat quod impios videat ditari ac prosperari (*Lap.*); sed potius, profecto omni studio zelum habe

pro timore i. e. pietate, cultu Dei semper (cf. hebr.), *sed in timore Domini esto tota die*, etiam G inserit ἴσθι, in hebr. קנא ad hunc quoque stichum refertur, uti alias quoque (utique cum ל) zelum bonum ardensque studium designat; cf. Num. 11,29; 25,13 zelatus est pro Deo suo; 2 Sam. 21,2 etc. Tangitur hic iterum illud quod veteribus fere aenigma esse videbatur et plane contrarium promissis in lege datis, scil. peccatores saepe agere prospere; hoc erat aenigma in libro Iob discussum, in Ps. 36. 72 etc.; solvitur difficultas respectu habito ad tempus futurum, ad finem v. 18 quia est tempus futurum, finis scil. felix et exitus prosper pro bonis; uti vulg. bene sensum praebet, *quia habebis spem in novissimo, et praestolatio tua non auferetur*; Dominus iustus et fidelis spem et exspectationem iusti non fallet; dicite iusto, quoniam bene; quoniam fructum adinventionum suarum comedet; vae impio in malum; retributio enim manuum eius fiet ei (Is.3,10. 11).

Dirigitur attentio v. 19 ad novam admonitionem de vitandis helluonibus (v. 20. 21); v. 19 *audi*, sape *esto sapiens*; attende ut fias sapiens agasque sapienter, *et dirige in via* cor tuum, recte dirige te, cor tuum in via vitae tuae, in via, seu ratione vivendi; hebr. אשר duc (cf. Is. 3,12; 9,15), G κατεύθυνε ἐννοίας σῆς καρδίας, quare *Frank.* emendat ישר; S habet uti G. Traditur monitum contra symposia : ne sis inter potatores vini et inter helluones (qui prodigi sunt carnis sibi, carne large vescuntur); G μηδὲ ἐκτείνου συμβολαῖς, κρεῶν τε ἀγορασμοῖς, et *Theod.* ἐν συμβολοκοποῦσι κρέας ἐν ἑαυτοῖς, sensum refert item vulg. *nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt*; qui scil. convivia instituunt communia, ad quae suas quisque partes confert, uti graece συμβολαί, συμβολικοπεῖν; verba זולל וסבא Deut. 21,20 vertit vulg. comessationibus vacat et luxuriae atque conviviis. Cur eiusmodi homines vitandi sint, ratio est v. 21 *quia vacantes potibus et dantes symbola* (conferentes ad convivia communia) *consumentur*, nam potator et helluo fit pauper, *et vestietur pannis dormitatio*, hebr. sopor induet centones, vestes laceras et pannosas i. e. crapulam sequitur dormitatio; homo autem dormitationi deditus vestietur pannis, laceris ac vilibus; aliis verbis, fit pauper, iam non habebit, quae ad decentem corporis cultum requiruntur; nam isti helluones et potatores multo indigent somno ad ebrietatem concoquendam, neque ad laborandum strenue apti sunt; quare quae expenderunt non valent labore compensare; cf. 20,13 noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Etiam hic זולל συμβολοκόπος *Aq. Theod. Sym.*

Commendatur observatio mandati quarti v. 22 *audi patrem tuum*, obedi patri tuo, *qui genuit te*; generatio hoc debitum tibi imponit; pater enim dedit tibi vitam humanam; illam, rudem ab initio et

impolitam erudiendo polire et perficere debet; iure naturae debet pater filium erudire, filius ergo debet eum audire, ut sinat se ab eo erudiri; *et ne contemnas, cum* (vel quia) *senuerit mater tua*; aetas senilis est infirma, morosa, tetrica; subinde iudicio vacillat; quare periculum est, ne mater senex subinde rideatur quasi delira anus (*Lap.*); cf. Lev. 19,32. Eccli. 3,5 seq. — Magni aestimanda est sapientia; v. 23 *veritatem eme,* eam acquire omni studio et summo pretio; cf. 4,5. 7; 16,16; *et noli vendere,* sedulo retine tecum, ne prodas tamquam rem communem, *sapientiam et doctrinam* (disciplinam) et *intelligentiam*; veritas hic tribus explicatur; est sapientia, qua res rite aestimamus et ad debitum finem ordinamus; est doctrina seu disciplina, quae mores erudit et componit, est intelligentia qua rite singula discernentes et subtili ratione iudicantes vere prudentes efficimur (cf. *Lap.*).

Excitatur pater ad bonam filiorum educationem ostenso fructu et bono pro patre consequente v. 24 (exsultando) *exsultat gaudio pater iusti* qui iustum habet filium; *qui* (si) *sapientem genuit, laetabitur in eo*; cf. 10,1; 15,20; 23,15; bonum enim et decus filii est decus ac bonum patris; filius bene educatus apud omnes etiam patri creat laudem et honorem. Inde sequitur quasi conclusionis loco : ita fili vitam institue, mores compone, probe et sapienter vive, ut parentes eo afficias gaudio (*Lap.*) v. 25 *gaudeat pater tuus et mater tua et exsultet quae genuit te*; bis effertur matris gaudium; matris enim affectus quam maxime vehemens esse solet atque perdurans.

Haec quasi introductionis loco dicuntur quibus animus discipuli praeparetur, quo melius duo monita quae sequuntur animo insculpat et opere exsequatur, scil. ut caveat a duobus vitiis quibus maxime et sibi noceat et parentibus molestiam ac dolorem creet, scil. a luxuria (v. 27. 28) et ab ebrietate (v. 29-35). Iam non tam Sapiens, quam ipsa Sapientia loquitur (cf. cap. 8 et 9; effertur ut hic oppositio inter sapientiam et luxuriam 9,13-18) v. 26 *praebe, fili mi, cor tuum mihi,* attentionem, animum, omnem affectum dirige ad me, *et oculi tui vias meas custodiant*; vias suas exposuit Sapientia cap. 7-10 (qeri, G τηρείτωσαν, item S; cf. 22,12 — ketib : placeant oculis tuis viae meae). Harum viarum magna pars est observatio debitae castitatis. Quare ad eam dirigitur admonitio exhibito damno et sceleris excidio v. 27 *fovea enim profunda est meretrix*; cf. 22,14; qui in profundam voraginem incidit, ipso casu laeditur et vix habet emergendi spem; capitur quasi bestia cui capiendae fovea fieri solet; *et puteus angustus,* scrobis, fossa angusta, *aliena,* uxor scil. alterius erit tibi in laqueum et exitium, si eam concupieris; vix te poteris ab interitu expedire,

si te ab ea capi siveris. Et quantum periculum instet a muliere impudica, declaratur v. 28 imo (hebr. אף) *insidiatur in via quasi latro et quos incautos viderit interficiet*; eius insidiarum descriptionem vide 7,6-23; 2,16; 5,3; 6,24; hebr. et praevaricatores, perfidos, inter homines addet, id est : efficit ut numerus perfidorum augeatur; sunt enim adulteri homines foedifragi, periuri (cf. Mal. 2,14); *Frank.* vertit : et multa latrocinia contra homines committit; sed cur 'בוגד abstracte concipiatur, non apparet sufficiens ratio, neque tanta est parallelismi vis seu necessitas, ut quia in priore sticho latro nominatur, ita in altero sermo debeat inferri de latrociniis. Num unum tantum parallelismi genus exsistit? G, Hieronymus, legisse videntur ספה, אסף? inde explicatur vulg. *interficiet.* Simili modo legitur Ier. 3,2 in viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine (ita vulg., hebr. sicut Arabs in deserto).

Dein transitur ad alterum vitium iuvenibus exitiosum, ad ebrietatem : fornicatio et vinum et mustum auferunt cor (Os. 4,11 hebr.) et Eccli. 19,2 vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes et arguent sensatos. Quare Sapiens quo efficacius horrorem incutiat ebrietatis, ad oculum vividis coloribus depingit turpitudinem et exitium eius.

29. *Cui vae? cuius patri vae? | cui rixae? cui foveae? | cui sine causa vulnera? | cui suffusio oculorum?* 30. *nonne his qui commorantur in vino, | et student calicibus epotandis?* 31. *Ne intuearis vinum quando flavescit, | cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blande,* 32. *sed in novissimo mordebit ut coluber, | et sicut regulus venena diffundet.* 33. *Oculi tui videbunt extraneas, | et cor tuum loquetur perversa;* 34. *et eris sicut dormiens in medio mari, | et quasi sopitus gubernator amisso clavo;* 35. *et dices : verberaverunt me, sed non dolui, | traxerunt me et ego non sensi; quando evigilabo et rursus vina reperiam?*

« Gnome haec (v. 29) torquetur in bibones et temulentos, eorumque gulae et crapulae multa graviaque damna accenset » (*Lap.*); *cui vae?* cui ingens calamitas et eiulatus? temulenti calore vini inflammati facile incidunt in lites, rixas; *cui fovea?* « legit שׁוחה per schin, i. e. fossa, fovea; iam legunt שׂיחה per sin i. e. garrulitas » (*Lap.*), vertunt : cui lamentatio, vel cui cura, aerumna? *vulnera sine causa,* quia ebrius propter rem levissimam sine offensa et causa rixatur, maledicit, alios verberat, ideoque vicissim percutitur; unde in 3 Esd. 3,22 : et non meminerunt cum biberunt amicitiam nec fraternitatem, sed non multum post sumunt gladios; *cui suffusio oculorum?* caligantes oculi, subobscuri, quasi vino madentes et turbati. Secundo loco vulg. fert *cuius patri vae,* hebr. אבוי, G eo loco praebet τίνι θόρυβος; cui tumultus? S item : cui perturbatio (confusio); recentiores hebr. ut in-

teriectionem explicant : ah, eheu, vel advocata radice arabica : taedium, nausea; aliis placuit interpretari paupertatem אביון; *Haupt* mavult substituere אהה (cf. *MK.*). Hisce interrogationibus respondetur : (omnia haec mala obveniunt) iis qui longas moras trahunt super vinum (hebr.), G et vulg. : *nonne his qui commorantur in vino,* οὐ τῶν ἐνχρονιζόντων ἐν οἴνοις; cf. Is. 5,11 vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam; *et student calicibus epotandis,* qui ingrediuntur ad explorandum vinum mistum (hebr.); qua locutione cauponae supponuntur.

Cave, ne vino allectus turpia patiaris (v. 31-35) v. 31 *ne intuearis vinum quando flavescit,* quia, quomodo rubescit, *cum splenduerit in vitro color eius,* quia (quomodo) dat in calice oculum suum, splendorem suum (hebr.); « cohibe oculos ne vinum in vitro flavescens et subsiliens intueantur; quia si videris bibes; magna est enim vis, magnus oculorum dominatus in corda, magna vicissim cordium adversus oculos tum sympathia, tum servitus; quo enim feruntur oculi, eo repente et furtive rapiunt secum animos et corda » (*Lap.*). Agitur de aspectu cum desiderio intime iuncto. Vinum suo iam colore et splendore allicit; *ingreditur blande,* iucunde et suaviter bibitur; leniter et sapide per fauces illabitur. At qualis est finis vini abundantius hausti (v. 30)? *sed in novissimo,* finis eius (est, hebr.), *mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet,* G καὶ ὥσπερ ὑπὸ κεράστου διαχεῖται αὐτῷ ὁ ἰός et sicut a ceraste diffunditur ei venenum. Alii פרש explicant : pungit. Ebrietate corpus magno afficitur damno; creantur ardores, febres, vomitus, varii morbi, ut iam non vinum, sed acre venenum haustum esse dixeris.

Etiam maiora damna creantur moribus vitaeque rationali, seu animo mentique bibuli; v. 33 *oculi tui videbunt extraneas,* ἀλλοτρίαν G, ergo feminas alias, unde enascentur adulteria; cf. 22,14 זרות alienae mulieres; sed hoc loco alii malunt vertere : monstruosa, extranea, res plane miras; uti ebriis omnia vacillare videntur, et in delirio ebrietatis varia apparere dicuntur monstra. Uti oculi hallucinantur, ita intellectus quoque delirat : *et cor tuum loquetur perversa,* stulta, absurda. Erit ebrius sui plane impos, maximis periculis expositus, eorum inscius et incuriosus. Id comparationibus describitur v. 34 *et eris sicut dormiens in medio mari,* in alto mari; nauclerus dormiens sinit navim agi in rupes, scyllas et charybdes, quibus eliditur et mergitur, neque sentit pericula, piratas, aliaque discrimina, quare nequit se munire contra ea, sed illis obviam fertur et sopitus perit; *et quasi sopitus gubernator amisso clavo,* et sicut dormiens in capite mali (hebr.), in carchesio, in quo stat excubitor, ut piratas, rupes

ceteraque pericula eminus ex alto prospiciat, de iisque nautas admoneat; hic enim si dormit, nautas omnes periculo exponit, quin et seipsum, ne scil. ex alto in praeceps ruat (*Lap.*). Vocem quippe חבל aliqui de arbore navis, de malo explicant. Textum hebr. restituit *Frank.* secundum G καὶ ὥσπερ κυβερνήτης ἐν πολλῷ κλύδωνι (et ut gubernator in multa tempestate); unde emendat : et sicut dormiens nauta in tempestate (legit חֹבֵל et בשערה, aliqua textus mass. mutatione; maiores mutationes cernere licet apud *MK.*). S sequitur graeca vestigia : et sicut nauta in tempestate magna.

Hisce itaque describitur, in quaenam pericula fortunarum vitaeque ipsius ebrius se coniiciat. Ebrietate obtunditur ratio, sui iam non compos nequit gressus dirigere, saepe cadit; sanitatis naufragium facit, familiam suam reddit miseram.

Demum aliam noxam Sapiens tradit inducendo loquentem ipsum ebrium grata exponendi rem varietate v. 35 *verberarunt me, sed non dolui*; uti verba iacent, declaratur alia vini et vinolentiae ignominia : ebrius exponitur ludibriis et probris aliorum; fit insensibilis ad verbera; et postea experrectus ex ebrietate nil aliud cogitat nisi ut denuo revertatur ad vinolentiam. Adeo enim turpi servituti potationis mancipatus est, ut nulla malorum experientia, damnis nullis, resipiscat. Vulg. *traxerunt me,* percusserunt me (hebr.), *et ego non sensi,* ego nescivi, adeo scil. ebrietate eram destitutus sensibus. Saepe enim ebriis quae ipsis acciderint in ebrietate, ab aliis narrari debet. Tunc vero mentis torporem somno excutere volens, una cogitatione repetendi vini occupatur : *quando evigilabo?* desiderat in medio torpore conditionem sobrietatis, verum solummodo ut iterum denuo sese vino ingurgitet : *et rursus vina reperiam?* Vertunt saepe : si evigilavero; sed valde dubium est possitne מתי ea notione adhiberi. Ultimum ita habet G πότε ὄρθρος ἔσται, ἵνα ἐλθὼν ζητήσω μεθ' ὧν συνελεύσομαι, quando erit diluculum, ut vadens quaeram quibuscum conveniam.

Frank. adoptavit emendationem ab Hitzig propositam, secundum quem ebrius lepide de vi ac virtute victrice vini loquatur : (vinum) me icit, non dolui; me verberavit, non sensi; si evigilavero, iterum vinum requiram. Haec scil. percussio a vino accepta ita grata est, ut statim illam velit repetere. — Habet prior acceptio certe aliquid difficultatis. Si ebrius non scivit plagas, quomodo scit se verberatum esse? quia alii ei narrarunt? aut quia nunc cicatrices advertit? In ultimo sticho habetur hebr. : *id* iterum requiram; ergo : ut verberer neque doleam? In hebr. vinum nequit suppleri, quia a v. 33 et deinceps iam non occurrit. Vulg. utique inseruit *vina,* ut aptus haberetur sensus. Alii utique id referunt ad vinum, sed quo iure? difficultatem

solvit *Bickell* scribens : quando evigilabo a vino meo? contra quam insertionem opponitur, brevitatem illam quaestionis esse studiose quaesitam ideoque retinendam (cf. *MK.* in notis ad 1,10).

24,1. *Ne aemuleris viros malos,* | *nec desideres esse cum eis;* 2. *quia rapinas meditatur mens eorum,* | *et fraudes labia eorum loquuntur.* 3. *Sapientia aedificabitur domus,* | *et prudentia roborabitur;* 4. *in doctrina replebuntur cellaria,* | *universa substantia pretiosa et pulcherrima.* 5. *Vir sapiens fortis est* | *et vir doctus robustus et validus;* 6. *quia cum dispositione initur bellum,* | *et erit salus, ubi multa consilia sunt.* 7. *Excelsa stulto sapientia,* | *in porta non aperiet os suum.* 8. *Qui cogitat malum facere* | *stultus vocabitur.* 9. *Cogitatio stulti peccatum est,* | *et abominatio hominum detractor.* 10. *Si desperaveris lassus in die angustiae,* | *imminuetur fortitudo tua.* 11. *Erue eos qui ducuntur ad mortem,* | *et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses;* 12. *si dixeris : vires non suppetunt,* | *qui inspector est cordis, ipse intelligit,* | *et servatorem animae tuae nihil fallit,* | *reddetque homini iuxta opera sua.*

Repetitur monitum 23,17 datum v. 1 ne invideas prosperitati virorum malorum neve ad talem prosperitatem assequendam desideres cum eis inire societatem; ab eorum commercio cavendum esse Sapiens saepe docet; cf. 1,15; 3,31; 4,27; et ratio affertur v. 2 *quia rapinas,* varios modos aliis nocendi, eos spoliandi et opprimendi *meditatur mens eorum et fraudes,* molestiam, *labia eorum loquuntur* : consiliis et sermonibus aliis damna et molestiam creare student, eorumque fortunam violentia evertere nituntur. In oppositione ad viros malitiae (v. 1 hebr.) ostenditur v. 3-6, ubi et quibus rebus vera habeatur prosperitas, v. 3 *sapientia aedificabitur domus,* ampla familia constituitur et servatur, opes acquiruntur Dei benedictione a viro sapiente, probo, iusto, pio, *et prudentia roborabitur,* intelligentia (quae est merces ac comes sapientiae) omnia firmantur et stabiliuntur; viri sapientis quoque est scire rem familiarem bene administrare, esse peritum agriculturae aliarumque artium quibus vitae commoda et bona parantur; v. 4 *in doctrina* scientia et industria *replebuntur cellaria,* penetralia multiplice et varia, *universa substantia pretiosa et pulcherrima*; aderit opulentia, iucunda quaedam varietas et elegantia supellectilis. Copiam annonae, uberem pulchramque supellectilem vir prudens domui suae providere debet; cf. 3,10; 8,21; 21,20. Haec omnia praestabit *vir sapiens,* cuius laudes et virtutes celebrantur in v. 5 et 6; v. 5 G κρείσσων σοφὸς ἰσχυροῦ melior est vir sapiens forti; item S; quare pro hebr. בעוז in robore legendum est מעז prae potente; vir sapiens praestat prae potente (cf. *Bickell, MK. Wild. Frank.*); idque illustratur 21,22 et Eccl. 9,16 et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine; *et vir doctus,* vir scientiae, *robustus et validus,* ex textu mass. firmans robur; sed etiam in hoc

sticho legendum erit cum G, S et recentioribus מֵאַמִּץ vir scientiae prae forti; eiusmodi enim comparationes frequenter adhibentur in proverbiis; cf. 15,16. 17; 16,8. 19; 16,32; 17,1; 19,1; 21,9. 19; 25,7. 24; 27,10; 28,6. Prudentia et sapientia etiam maxime opus est ad bella gerenda et ad salutem reipublicae tutandam v. 6 *quia cum dispositione,* deliberationibus, *initur bellum,* cf. 20,18; *et erit salus, ubi multa consilia sunt*; cf. 11,14; 15,22; 20,18. Hebr. bellum tibi geres, tibi, dativus commodi, itaque bellum cum successu, feliciter geres; alii legunt forma passiva : bellum perficietur tibi. Breviorem stichum exhibet *Bickell,* quia deliberationibus bellum.

Sapientia videtur viro stulto nimis alta et ardua, quam ut illam assequi possit; v. 7 *excelsa stulto sapientia,* hebr. ראמות corallia Iob 28,18; Ez. 27,16; qui eam formam retineri volunt explicant : rem adeo pretiosam se posse sibi comparare stultus desperat. Explicatio sane est coactior; magis obvia est prior illa; *in porta non aperiet os suum*, in conventu virorum, in porta urbis, ubi cives conveniunt, stultus ille colloquia miscere nequit. Saltem ita sapiens est, ut taceat et ab ineptiis effutiendis caveat! Pertinet itaque ad eos, de quibus Eccli. 20,6 dicitur : est tacens non habens sensum loquelae (non habens quod prudenter dicat, οὐ γὰρ ἔχει ἀπόκρισιν). Priorem stichum coniectura subtili ita effert *Bickell* : si taces דמת coram stulto, sapiens es; monet ex ordine alphabetico requiri hic daleth (cf. א v. 1, ב v. 3, ג v. 5; ד v. 7; sed in sequentibus ordo non continuatur); etsi stultus contra te plurima proferat, in porta, in iudicio debebit tacere; quam acceptionem continere aptam antithesin *Wild.* opinatur; quare placet coniectura a Bickell facta.

Cave a malitia v. 8 *qui cogitat mala facere;* cf. v. 1, 2, *stultus vocabitur* hebr. herus fallaciarum (doli machinator) vocabitur. Opprobriis talis impetitur, qui fraudulentus et insidiosus est et fraudis amans. Docet itaque Sapiens semper agendum esse cum aliis omni fide, candore, sinceritate animi longissime amandata omni astutia et fraude; cf. 16,21 et 21,24. Bene iudicat Sapiens de peccato v. 9 : machinatio stultitiae est peccatum (hebr.), peccatum igitur describitur ut res stulta, ut facinus quod sola stultitia committi possit. Et si res perpenditur, insania quaedam summa deprehenditur in peccato, sive spectas Deum sapientissimum legislatorem et iustum vindicem, sive mala ex peccato parienda et parta. Minus clare rem exhibet vulg. *cogitatio stulti peccatum est,* peccatum nequit oriri nisi in mente et cogitatione stulti; etiam homines simile iudicium ferunt de impietate : *et abominatio hominum detractor,* hebr. irrisor, impius qui rebus sacris et pietati irridet. In utroque sticho subiectum grammaticale ultimum

occupat locum. Ostenso hominum de irrisore iudicio, ut ab omni irrisionis specie caveatur, Sapiens monet.

Ut habeatur aptus sensus in v. 10, ita erit interpungendum : *si desperaveris lassus,* si lassus, remissus fuisti (hebr.), *in die angustiae imminuetur fortitudo tua,* in die angustiae erit angustus commeatus tuus (hebr.). Ex versione vulg. eruitur sensus : si remisse te gesseris et omnem quasi spem abieceris, profecto tempore adversitatis vires tuae plane impares erunt; nulla ratione poteris rebus adversis forti animo obsistere. Si ad prius verbum refertur *in die angustiae,* haec suggeritur explicatio : si in die angustiae fractus fueris animo per desperationem, fortitudo animi tui fiet magis angusta, hoc est per eam desperationem magis fies infirmus ad evadendam incidentem angustiam. Verum haec sententia esset triviale illud : si in calamitate debilis es, etiam magis debilis eris. Alia quoque proponitur explicatio : si in angustis rebus animo defeceris, id ex eo provenit quod fortitudo animi tui sit angusta — quae sententia quidem bonum fundit sensum, at in textum varia ingeruntur. Cum hebr. כח etiam notione possessionis, bonorum, opum adhibeatur (cf. 5,10. Iob 6,22. Esdr. 2,69), explicatio ex textu hebr. magis est obvia : si piger fueris, in die angustiae angusta erit possessio tua i. e. laborabis inopia. Alia huius sententiae acceptio est, ut iungatur sequentibus; vertitur scil. : lassus (ignavus) fuisti in die angustiae, angusta (timida) fuit fortitudo tua — iam ut pro hoc defectu satisfacias, *erue eos* etc.

De quibusnam sermo sit in v. 11, interpretes in varias abeunt sententias : liberandos esse qui in mortis periculo versantur; sed quinam sunt? milites clade accepta fugitivi et persecutioni hostium expositi; viri per testes falsos periculo mortis obiecti; quicumque iniuste capitis damnantur; qui tumultuarie a plebe irata ad mortem rapiuntur; qui ob aes alienum a creditoribus cruciantur. Verum si verba uti iacent de periculo mortis explicanda sunt, admonitio haec v. 11 *erue eos qui ducuntur ad mortem,* solum dirigi potest ad iudices, magistratus, testes, ut eos qui iniuste accusantur, ab iniusta persecutione et damnatione eruant. Et tamen ne ita quidem apta est admonitio; nam, si iam rapiuntur ad mortem, num vi adhibita eruendi sunt? nonne potius iudices et testes curare debent, ne abripiantur ad mortem? Alii volunt a Sapiente in universum reprehendi quod poena mortis a magistratu infligatur; quare ab eo praecipi : *et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses,* et nutantes ad occisionem utinam liberes (hebr.); ita censet *Del.*; at generatim poenam mortis ab ipsa lege impositam reprobari a Sapiente certe nequit admitti. Et profecto quod verbis (uti sonat) postulatur fieri nequit; neque enim prae-

cipi sana ratione potest, ut qui iam ducuntur ad poenam mortis vi et armis eripiantur contra fas et iustitiam. Ergo intellige sententiam de pauperibus, orphanis, viduis oppressis ac spoliatis a potentioribus, quorum misera conditio ac pauperies eos quasi ad mortem adducit, et qui ab oppressoribus ad interitum protruduntur (cf. *Ians.*). Atque oppressionem, iniurias simili modo depingi, vide Mich. 3,2. 3. Ez. 22,6. 27 principes eius in medio illius quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem; Soph. 3,3, et Eccl. 34, 25. 26 panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est; qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum etc. et vide ad 1,11.

Atque curam hanc ac protectionem oppressis praestandam ne omittant qui vere possunt v. 12 *si dixeris : vires non suppetunt*; ecce, nescivimus hoc (hebr.); *qui inspector est cordis, ipse intelligit,* hebr. nonne probans corda, ipse intelligit; tu praetendis excusationem, ignorantiam de conditione oppressorum, impotentiam; « sed vide ne haec sit calva excusatio, quam praetexas tuae negligentiae vel torpidae voluntati, quia nolis molestias liberandi subire » (*Lap.*); Deus inspicit secreta cordis eiusque fundum et intimos recessus perspicit; *et servatorem animae tuae nihil fallit* et observans (intuens) animam tuam, ipse scit — illum fallere non potes; ipse scit sitne excusatio tua sincera, an fallax et mendax. Time itaque iudicem Deum : *reddetque homini iuxta opera sua* vel praemium vel supplicium; cf. Ps. 61,13; Reg. 3,39. Tangitur hic et reprehenditur peccatum omissionis cf. Iac. 4,17 scienti igitur bonum facere et non facienti peccatum est illi. Bene hunc textum explicat *Ians.* moneri scil. eos qui potentes sint ad liberandum innocentes oppressos, eisque eripi causas, quibus se excusare soleant a defensione innocentum.

13. *Comede, fili mi, mel quia bonum est, | et favum dulcissimum gutturi tuo;* 14. *sic et doctrina sapientiae animae tuae, | quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit.* 15. *Ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti, | neque vastes requiem eius.* 16. *Septies enim cadet iustus et resurget; | impii autem corruent in malum.* 17. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, | et in ruina eius ne exsultet cor tuum;* 18. *ne forte videat Dominus et displiceat ei, | et auferat ab eo iram suam.* 19. *Ne contendas cum pessimis, | nec aemuleris impios;* 20. *quoniam non habent futurorum spem mali, | et lucerna impiorum exstinguetur.* 21. *Time Dominum, fili mi, et regem, | et cum detractoribus ne commiscearis;* 22. *quoniam repente consurget perditio eorum, | et ruinam utriusque quis novit?*

Commendatur exemplo mellis dulcedo et salubritas sapientiae. Sicut esus mellis et favi bonus est et salutaris corpori, aeque ac suavis palato dulcisque gutturi, sic pariter sapientia salutaris est animae

aeque ac dulcis menti (*Lap.*); v. 13 *comede mel, quia bonum,* salubre; imperativo non ad esum invitat Sapiens, sed ad comparationem instituendam et ad celebrandam excellentiam sapientiae; unde pergitur in v. 14 sic, nosce, est sapientia animae tuae, seu tibi, si eam inveneris (hebr.); gustabis eius dulcedinem, percipies salubritatem. Saepius solet comparatio mellis et favi adhiberi (5,3; 16,24; 25,16. 17. 27; 27,7). Iam in praesenti sapientia plurima bona affert; promittit eadem pro futuro; et est futurum (hebr.), quod vulg. bene declarat : *habebis in novissimis spem,* est sapientia comes fidissima, nunquam relinquit discipulum, *et spes tua,* exspectatio, *non peribit,* ultra limites vitae temporalis iam necessitate naturae protenditur exspectatio iusti; quae exspectatio per ipsam sapientiam ad summum perducitur fastigium; cf. 23,18.

Iustos tutatur Deus; v. 15 hebr. ne insidieris, impie, habitaculo iusti; ne vastes (ne vim facias) cubile eius (hebr.); versio vulg. videtur malam suspicionem de iusto reprobare *ne insidieris* (*et quaeras impietatem*) *in domo iusti* i. e. ne statim iudices peccatum esse commissum, si iustus in aliquam calamitatem inciderit, *ne vastes requiem eius,* ne eum affligas turbando pacem eius eo quod eum arguas de peccato, uti fecerunt amici Iob; nam etsi septies i. e. saepius in aliquas calamitates incidat, tamen semper iterum ex eis Deo tutore emerget et prospere aget; v. 16 *septies enim cadet iustus et resurget*; nam cum iustus ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam (Ps. 36,24) iustus quippe tempore tribulationis inveniet firmamentum, tempore casus sui (Eccli. 3,34). Dum iustus ex omni casu salvus exsistat et non sinatur ultimatim perire, *impii autem corruent in malum,* ita ut in eo iaceant et maneant sine spe emergendi; dum de iustis dicitur : multae tribulationes iustorum et de omnibus his liberabit eos Dominus (Ps. 33,20), sed vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (l. c. 17). — Duo quandoque in v. 16 peccantur; quandoque citatur ita : septies in die cadit iustus[1] sed falso, cum *in die* neque hebr. nec G nec S nec vulg. habeant. Frequentius aliqui explicant de lapsu iusti in peccata ve-

1. Septies in die cadit iustus, legit Cassianus collatione 22,13; sed coll. 20,11 solum septies cadit. In die quoque additur in margine in editione vulg. henteniana; septies in die edidit quoque Sixtus V in sua editione vulg.; sed in editione clementina in die merito expunctum est. S. Augustinus verba haec non de venialibus peccatis intelligere videtur. Nam de Civitate Dei (11,31) scribit textu hoc recitato : « quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi volunt » et ad Ps. 55,10 : confirmat ambulantem... revocat lapsum; septies cadit etc. (cf. *M.* 36,654; 41,345). Sed verba haec de peccatis venialibus intelligunt Cassianus l. c. — interlocutor catholicus in libro 2,4 contra Pelag. (M. 23,538); Fulgentius (de Incarnatione 41; *M.* 65,596).

nialia; sed id tum ex voce *cadit* tum ex contextu excluditur omnino. Quomodo Deus eruat iustum ex tribulationibus, pluribus prosequitur Eliphaz (Iob 5,19 sq.) et quomodo impius corruat, exponit Baldad (8,11 seq.) et postea Eliphaz (15,20 seq.).

Vetatur v. 17, 18 gaudium de infortunio inimici; v. 17 *cum ceciderit inimicus tuus* in aliquam calamitatem, *ne gaudeas, et in ruina eius,* et si labatur (seu pedem offendat) *ne exsultet cor tuum*; prohibetur gaudium quod ex vindicta privata exsurgat; iam vetatur Ex. 23,4. 5 praecepto : si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Cur vindictae privatae non sit indulgendum, duae rationes afferuntur v. 18 *ne* (*forte*) *videat Deus et displiceat ei*; Deus vetuit; ergo eius incurris displicentiam, peccas contra reverentiam Deo debitam; *et auferat ab eo iram suam,* quam causam *Lap.* difficilem et obscuram vocat. Et Caietanus quidem censet hoc dirigi ad imperfectos; proponitur illis scil. periculum mali proprii, ut inducantur ad evitandum gaudium : si gaudes, Deus desinet punire calamitate inimicum tuum, et confundetur laetitia tua cessante calamitate inimici et aegre feres eius prosperitatem. Castigatur gaudium illud eo ipso quod Deus aufert calamitatem; castigatur tristitia et moerore; « tantum enim dolebit et moerebit invidus de inimici felicitate, quantum antea gavisus fuit de eiusdem afflictione et infelicitate, eoque magis quod cogitabit Deum hoc moerore castigare suam invidiam invidumque gaudium » (*Lap.*). Insuper addunt tacite intelligi, iram Dei auferri quidem ab inimico, sed transferri in invidum. Manifestum est agi hic de vindicta privata. Aliud est cum cantica laudis et gratiarum actionis celebrantur, v. g. submerso Aegyptiorum exercitu, vel victoriis de hostibus Dei populique electi reportatis (cf. Ex. 15, Iud. 5, 2 Reg. 22, 2 Mach. 15,34), ubi epinicion canitur pro vindicta Dei et de tali vindicta divina valet illud : laetabitur iustus, cum viderit vindictam (Ps. 57,11).

Cave ab indignatione de prosperitate impiorum. Verba in v. 19 leguntur eadem quae Ps. 37,1 habentur, ubi in vulg. fertur : noli aemulari in malignantibus neque zelaveris facientes iniquitatem. Hoc vero loco versio vulg. non est satis apta : *ne contendas cum pessimis,* ne excandescas de sceleratis (hebr.) *nec aemuleris impios,* ne zelo invidiae contra impios movearis; temporalis quippe prosperitas brevis est et vana, *quoniam non habent futurorum spem mali*; sensum bene declarat vulg., quia non erit futurum (bonus exitus) malo; non potest sibi promittere bona pro tempore futuro ex certa retributionis norma; nam *lucerna impiorum exstinguetur*; cf. 13,9; felicitas eva-

nescet; pro luce prosperitatis succedent tenebrae miseriarum. Aliter utique res se habet pro iusto; cf. 23,20. — Inculcatur pietas et reverentia in Deum et regem theocraticum, qui scil. sedet super thronum Iahve, qui sedet in throno regni Iahve (1 Par. 28,5; 29,23; 2 Par. 13,8), qui appellatur unctus Iahve (1 Reg. 24,11; 26,9. 2 Reg. 1,14; 19,21). Cum itaque rex tantae sit dignitatis et quasi vices gerat Iahve, regis Israel, apte in ipsa reverentia exhibenda intime iungitur Iahve et rex v. 21 *time Dominum, fili mi, et regem*; quare evita societatem eorum qui Deo vel regi detrahunt, male de eis loquuntur, blasphemant (cf. 3 Reg. 21,10. 13) *et cum detractoribus non commiscearis,* G καὶ μηθετέρῳ αὐτῶν ἀπειθήσῃς et neutri eorum sis inobediens; S et cum stultis ne commiscearis. Fert textus mass. שׁוֹנִים diversi i. e. diversum sentientes, vel (ut alii vertunt) rebelles; textum emendat secundum G *Frank.* : et contra ambos ne te extollas (שְׁנֵיהֶם). Cave itaque, ne pecces contra alterutrum; v. 22 *quoniam repente consurget perditio eorum* perditio ab eis, a Deo et rege proveniens, poena ab eis in delinquentes decreta; *et ruinam utriusque quis novit?* inopinato veniet ruina ab utroque, a Deo et rege; nemo novit, quando, quomodo et quanta futura sit ruina ab eis immissa. Plerique tamen *eorum* referunt ad detractores : perditio detractorum repente veniet et ruina utriusque, detractoris et complicis; vel eius qui Deum non veretur et eius qui regi obsequium denegat, inopinato ingruet. Etiam G refert hebr. שְׁנֵיהֶם τὰς δὲ τιμωρίας ἀμφοτέρων τίς γνώσεται; aliter S : et finem annorum eorum quis novit? Alia coniectura *Bickell* textum sanare conatur : et ruinam insaniae eorum (שִׁגְעוֹתָם) quis novit? Alii repetunt vocem ex v. 21 et ruinam rebellium quis novit?

23. *Haec quoque sapientibus : | Cognoscere personam in iudicio non est bonum.* 24. *Qui dicunt impio : iustus es, maledicent eis populi, | et detestabuntur eos tribus.* 25. *Qui arguunt eum, laudabuntur, | et super ipsos veniet benedictio.* 26. *Labia deosculabitur, | qui recta verba respondet.* 27. *Praepara foris opus tuum, | et diligenter exerce agrum tuum, | ut postea aedifices domum tuam.* 28. *Ne sis testis frustra contra proximum tuum, | nec lactes quemquam labiis tuis.* 29. *Ne dicas : quomodo fecit mihi, sic faciam ei, | reddam unicuique secundum opus suum.* 30. *Per agrum hominis pigri transivi | et per vineam viri stulti;* 31. *et ecce totum repleverunt urticae | et operuerunt superficiem eius spinae, | et maceria lapidum destructa erat.* 32. *Quod cum vidissem, posui in corde meo, | et exemplo didici disciplinam.* 33. *Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, | pauxillum manus conseres ut quiescas;* 34. *et veniet tibi quasi cursor egestas, | et mendicitas quasi vir armatus.*

Inscriptio : haec quoque sunt a sapientibus, ostendere videtur, collecta esse haec proverbia quae de proverbiis sapientium deprompta sint. Ita communiter inscriptionem intelligunt. Aliter tamen G

ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς ἐπιγινώσκειν, et similiter S : haec sapientibus dico ego. Unde secundum hanc acceptionem ipsis sapientibus traduntur doctrinae et monita. Sed sapientes docent ipsi et erudiunt; alias sapientes non docentur. Quare si haec inscriptio graeca rite exhiberetur, sapientes notione ab hoc libro aliena intelligendi essent iudices, principes, viri nobiles. Inde iam satis efficitur, inscriptione hebraea esse standum.

Traduntur monita v. 23-25 pro iudicibus, et primo quidem reprobatur v. 23 studium partium; *cognoscere personam,* alias accipere personam, cum res agitur *in iudicio, non est bonum*; minus dicitur, plus intelligitur. Nam habere rationem personarum et dignitatis cuiuscumque, non vero iustitiae rei, perturbat omnem iustitiam totamque rempublicam; estque proinde pessimum (*Lap.*); cf. Lev. 19, 15. Deut. 1,17; 16,19. Eccli 42,1. Quam perversum sit tale iudicium ex partium studio factum, declaratur v. 24 *qui dicunt impio,* reo : *iustus es,* innocens es, causam obtines, *maledicent eis populi,* omnes homines tales iniuste iudicantes maledictis prosequuntur et furore in eos exardescunt. Opponitur iniusto iudicio iusta decisio eiusque emolumentum v. 25 castigantibus i. e. recte increpantibus iucundum erit, prospere habebunt recte iudicantes (cf. hebr.); sensum rite tradit vulg. : *qui arguunt eum laudabuntur, et super eos veniet benedictio* Dei et hominum; benedictio boni hebr. Potest haec gnome, uti *Lap.* advertit, merito ad omnes extendi, ut scil. in omnibus et ubique in laude et vituperio stricte servetur veritas; dirigitur vero praeprimis contra adulatores, qui vitia nobilium laudant, excusant, iustificant, dum veri amici defectus libere arguunt et castigant.

Quam grata sit aliisque iucunda responsio recta, comparatione quadam ostenditur v. 26 *labia deosculabitur*, osculo alteri exhibetur reverentia, magna benevolentia, amor non communis et tenera quaedam affectio, ita ut in altero quoque animi sensus benevolentiae ac gaudii excitetur; haec igitur omnia praestat et alteri impertit et in eo quoque complacentiam quandam et iucunditatem efficit, *qui recta verba respondet;* cf. 15,23; 25,11. Eccli 20,29. Ostenditur quale sit beneficium, aliorum dubia solvere; eorum quaestionibus satisfacere; petentibus consilium utilia suggerere. Prudenti responso eis quasi osculum pacis imprimitur. Quanti igitur aestimanda sit sapientia, prudentia, experientia rerum, hoc exemplo demonstratur.

Optime praecipitur in v. 27 ut quis prius vitae necessariis provideat, quam matrimonium ineat : *praepara foris opus tuum,* diligenter labora; qualis labor vel quale opus foris fieri debeat, satis elucet ex sequenti in hebr. : et cura illud (opus) in agro tibi; est itaque labor

agriculturae; *et diligenter exerce agrum tuum*; victus itaque labore et possessione debet in tuto collocari, *ut postea aedifices domum tuam*; familiam condere, matrimonium inire postea poteris; domum aedificare idem est ac posteritatem procurare cf. Ex. 1,21; 2 Reg. 7,11. Monitum hoc ex una conditione facile applicatur ad multa : antequam officium docendi, praedicandi aggrediaris, diligenter disce quae necessaria sunt. Quam considerationem ac praeparationem Christus quoque praecipit et docet exemplis duobus : quis ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus etc., aut quis rex iturus committere bellum, non prius sedens cogitat etc. (Luc. 14,28-32).

Contra falsum testimonium et deceptionem agitur in v. 28 *ne sis testis frustra,* G μὴ ἴσθι ψευδὴς μάρτυς, *contra proximum tuum,* cf. 3,30, ubi frustra חנם sine ratione, gratis, iam accedit ad notionem accusatoris falsi; quare hic testis falsus intelligitur, non is qui sine ratione sufficienti sese ut testem offert, qui non citatus exsurgit testis, vel inconsideratus testis. Intelligi testem falsum, suadetur quoque altero sticho : num decipies labiis tuis? *nec lactes quemquam labiis tuis* est quippe lactare allicere aliquem, ut eum decipias falsa spe seu falsis promissis; ergo aliqua deceptio etiam in vulg. exprimitur. Ceterum nihil obstat quominus cum *Lap.* sententia accipiatur de testimonio quoque non forensi, quod inter socios vel alios quavis de causa profertur; ceterum cf. 6,19; 12,17; 14,5; 19,5.

Etsi iniuriam passus es a proximo, ne par referas v. 29 *ne dicas : quomodo fecit mihi, sic faciam ei; reddam unicuique secundum opus suum,* ut mihi detrahenti detraham, fraudantem fraudem, malefico me exhibeam maleficum (*Lap.*). Contendit itaque Sapiens contra propensionem illam adeo hominibus innatam per talionem par pari referendi; cf. 20,22; Eccli 28,1; Ps. 7,5. Cavetur itaque, ne lex talionis (Ex. 21,24; Lev. 24,20; Deut. 19,21) ab unoquoque privata auctoritate in opus deducatur, iamque praeformatur quod Christus ad perfectionem adduxit (Matth. 5,38-41) et apostolus docuit (Rom. 12,17. 19).

Describitur socordia, damna, egestas hominis pigri v. 30-34. Narrationis cuiusdam forma vestitur doctrina v. 30 *per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti,* carentis corde; v. 31 *et ecce* ascenderat totum eius in carduos (hebr.); nihil aliud cernebatur nisi carduetum cf. Is. 5,6 ascendent vepres et spinae; 34,13; *et operuerunt superficiem eius spinae,* et operta erat superficies eius spinis, urticis? (hebr.), *et maceria lapidum,* qua vineae contra vulpes etc. protegebantur, *destructa erat;* cf. Is. 5,5 auferam sepem eius et erit

in direptionem; diruam maceriam eius et erit in conculcationem. Ex quo aspectu ruinae colligitur doctrina v. 32 et aspexi ego et apposui cor meum, vidi, et assumpsi doctrinam (hebr.); diligenter rem perpendi, indeque hausi doctrinam. Quae doctrina enuntiatur v. 33-34 fere uti 6,10 et in hebr. quidem per infinitivum et nomina substantiva : paulum dormire, paulum dormitationes, paulum complicatio manuum ad cubandum; quod in vulg. bene exprimitur: *parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres ut quiescas*; iam damna huius socordiae recitantur v. 34 *et veniet tibi quasi cursor egestas*, et venit celeriter gradiens egestas tua, *et mendicitas*, inopia tua, *quasi vir armatus*. Et cum homini non solum ager colendus sit aut vinea, verum cum seipsum excolere debeat, facultates animi, vires naturales et supernaturales exserere ad finem sibi a Deo propositum, patet huius quoque exempli applicatio varia ad socordiam spiritualem excutiendam.

25,1. *Hae quoque parabolae Salomonis | quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iuda.* 2. *Gloria Dei est celare verbum; | et gloria regum investigare sermonem.* 3. *Coelum sursum et terra deorsum, | et cor regum inscrutabile.* 4. *Aufer rubiginem de argento | et egredietur vas purissimum;* 5. *aufer impietatem de vultu regis, | et firmabitur iustitia thronus eius.* 6. *Ne gloriosus appareas coram rege, | et in loco magnorum ne steteris;* 7. *melius est enim, ut dicatur tibi : ascende huc! | quam ut humilieris coram principe.* 8. *Quae viderunt oculi tui, | ne proferas in iurgio cito; ne postea emendare non possis, | cum dehonestaveris amicum tuum.* 9. *Causam tuam tracta cum amico tuo, | et secretum extraneo ne reveles;* 10. *ne forte insultet tibi, cum audierit, | et exprobrare non cesset. Gratia et amicitia liberant; | quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.* 11. *Mala aurea in lectis argenteis, | qui loquitur verbum in tempore suo.* 12. *Inauris aurea et margaritum fulgens, | qui arguit sapientem et aurem obedientem.* 13. *Sicut frigus nivis in die messis, | ita legatus fidelis ei qui misit eum, | animam ipsius requiescere facit.* 14. *Nubes et ventus et pluviae non sequentes, | vir gloriosus et promissa non complens.*

Proponitur nobis ipsa inscriptione collectio quaedam Parabolarum Salomonis, quas *transtulerunt*, G ἐξεγράψαντο, ex aliis libris seu collectionibus collegerunt viri Ezechiae, G, S φίλοι, amici, consiliarii regis, viri docti[1] quibus rex mandatum dedisse videtur, ut parabolas sub nomine Salomonis variis in libris dispersas conquirerent; *hae quoque* refertur ad inscriptionem cap. 10; habetur persuasio doctorum illorum parabolas has adiungi ad alias Salomonis parabolas iam antea collectas et sub nomine Salomonis promulgatas. Simul docemur Ezechiam regem qui de instauratione cultus et pietatis optime meri-

1. Das Gelehrtencollegium des Koenigs; locutio similis illi de viris magnae synagogae (*Frank.*).

tus est (4 Reg. 18, 2 Par. 29. 30. 31) etiam sollicitum fuisse, ut libri sacri colligerentur et servarentur. Narratur 3 Reg. 4,32 : locutus est quoque Salomon tria millia parabolas et fuerunt carmina eius quinque et mille; unde profecto aderant fontes ex quibus hauriri poterat. Potius miraberis, cur non plura sint congesta. Dicuntur G αἱ παιδεῖαι αἱ ἀδιάκριτοι, quae collectae sunt indiscriminatim, rerum ordine neglecto (*Calm.*), vel citra certum ordinem collectae (apud auctorem catenae gr. *Lap.*); vel, ut aliis placuit vocem sat obscuram explicare : non separatae, scil. a salomonicis antecedentibus, quarum auctorem esse Salomonem non dubitatur (cf. Schleusner, s. v.); S praebet proverbia profunda.

Dei maiestas in eo elucet quod Deus est absconditus, cuius consilia sunt pro hominibus inscrutabilia, cuius viae modique agendi explorari nequeunt; regum vero laus et gloria in eo maxime consistit, ut cum consiliariis accurate negotia perpendant et in rerum conditiones sedulo inquirant v. 1 *gloria Dei est celare verbum,* abscondendo manifestat gloriam suam : est Deus incomprehensibilis, et ut talis exhibetur Iob 11,8; 26,14, cuius cogitationes homo nequit cognoscere Iob 15,8; Eccl. 8,17; Rom. 11,33 et Is. 45,15 vere tu es Deus absconditus; Deus lucem inhabitat inaccessibilem et Dei profunda nemo scrutatur nisi Spiritus Dei (cf. 1 Tim. 6,16. 1 Cor. 2,10); *et gloria regum investigare sermonem,* rem explorare et scrutari, quam laudem sibi tribuit Ecclesiastes (12,8); reges debent leges dare et mandata ferre rebus diu et prudenter consideratis et expensis; ea re acquirunt sibi gloriam.

Commemorantur tria inscrutabilia : coelum quoad altitudinem, et terra quoad profunditatem et cor regum inscrutabile (non exploratio) hebr.; quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (1 Cor. 2,11). Quod de omnibus valet, praeprimis asseritur de regibus, qui plurima volvunt consilia, et ad suam dignitatem pertinere aestimant multa celare et qui variis affectibus agitati haud raro maxime inopinato sententias et mandata mutant vel nuntiis secreto acceptis illa praecipiunt quae inscios rerum in admirationem coniiciunt. Iam *Ians. Lap.* explicant eo modo quo *Frank.* genus dicendi (contra *Del.*) concipi vult : sicut coeli sublimia et terrae profunda sunt inscrutabilia, sic pariter cor regum est inscrutabile; itaque modus comparationis subintelligitur.

Simili modo per comparationem tacitam proponuntur sententiae in v. 4, 5; scoriis ablatis seu rubigine ablata non statim egreditur seu fit vas purissimum (neque vas pro conflatore, hebr.); quare textus hebr. emendetur oportet ex G καὶ καθαρισθήσεται καθαρὸν ἅπαν, et egreditur purum (pustulatum) totum (cf. *Wild. Frank. MK.*). Eodem

modo : auferre impium hebr.; seu aufer impium de vultu regis i. e. si aufertur, *et firmabitur iustitia thronus eius.* Eiusmodi impii sunt adulatores, pravi consiliarii, principes vitiis dediti, familiares detractores et partium studio dediti; qui si e conspectu et conversatione regis removentur, fieri potest ut rex probis usus consiliariis iuste regnum administret et ita ob iustitiam, quam Deus exerceri vult et homines quoque maximi aestimant, thronus eius firmiter stet (20,26). Graviter monentur reges, ut fidos adhibeant ac probos consiliarios, ut omni ratione sedulo servent iustitiam, quia in iustitia tandem habetur regni stabilitas; cf. 16,12; 20,28; 29,14.

Commendatur modestia eiusque ostenditur in v. 6, 7 utilitas v. 6 *ne gloriosus appareas coram rege,* ne ostentes gloriam quae tibi non conveniat neve arroges tibi honorem, G μὴ ἀλαζονεύου, ne gloriose te ostentes, *et in loco magnorum ne steteris,* neve talem locum occupes; praeformatur idem quod Christus monuit (Luc. 14,8 seq.) v. 7 *melius est enim, ut dicatur tibi : ascende huc! quam ut humilieris coram principe;* si coram principe, quanto magis apud Deum humiliare nos oportet ac meminisse conditionis nostrae ac fragilitatis (*Lap.*). Pariter continetur admonitio contra ambitionem, ne quis honores et altas dignitates sibi quasi debitas affectet, qua ambitione sese exponat periculo invidiae et reiectionis.

Esto cautus in accusatione v. 8 *quae viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito,* ne cito ea defer ad iudicium, ad litem; ne cito accusationem instruas. Nam eo modo periculum incurritur accusationis sive falsae, sive exaggeratae : *ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum;* si enim infamia quadam asperseris proximum tua accusatione, difficile erit id corrigere et bonam ei famam restituere. Ita ex interpretatione vulg. sensus commodus habetur. In textu hebr. ad v. 7 refertur stichus : quae viderunt oculi tui, et pergitur : ne egrediaris ad litem cito. At sane emendandus est textus, uti vulg. habet et scribendum אל הֹצִא (cf. *Bickell*, *Frank. MK.*). Alter stichus hebr. ita habet ad verbum : ne quid facis in fine eius i. e. ne in fine iudicii tibi fiat quaestio : quid facis? cum te confuderit proximus tuus. Sensus itaque est : tuam accusationem probare non potuisti; unde cum magna tui ignominia recedes. Sed praeferenda est emendatio a *Frank.* ut pro פן legatur כי : nam quid facies in fine, si te confuderit proximus tuus quem falso accusasti? vel adversarius tuus (cf. 18,17).

Cave ne in litigatione secretum alterius prodas v. 9 *causam tuam tracta cum amico tuo,* litem tuam litiga cum proximo tuo (vel cum adversario tuo) *et secretum* alterius (alius hominis) *ne reveles*, si quid causae et querelae est cum aliquo, cum eo rem pertracta; esto

vero secreti tenax; nihil in publicum sparge de iis quae in hac cum alio tractatione secreta esse debent, neve secretum tibi ab alio commissum reveles ad rem tuam efficacius tuendam aut ad adversarium tuum repellendum. Nam qui secretum quacumque ex causa prodit, habetur infamis v. 10 *ne (forte) insultet tibi* qui audierit et opprobrium tuum (infamia tua) non recedat. In vulg. sensus parumper mutatur, cum legatur *extraneo* ne reveles; et cum in v. 10 de uno illo extraneo sermo sit, qui insultet *cum audierit et exprobrare non cesset*; in hebr. infamia proditoris habetur apud audientem, apud quemvis qui audierit. Quem sensum S quoque exhibet.

Additur in vulg. distichon ex G *gratia et amicitia liberant* i. e. liberum, liberalem et generosum hominem efficiunt; *has tibi serva, ne exprobrabilis fias,* qui benevolentiam, comitatem, amicitiam abiicit, merito apud alios probris obnoxius evadit. Aliis verbis : evita dissidia litesque, si vis esse liber nullamque exprobrationem subire (*Calm.*).

Quam pulcrum et pretiosum sit opportunum verbum, declaratur v. 11. *mala aurea in lectis argenteis* i. e. ornamenta aurea in modum pomorum formata vocari possunt mala seu poma aurea; eiusmodi mala aurea super columnas lecti argentei ponebantur vel e lectis argenteis suspensa pendebant. Haec explicatio a *Ians. Lap. Calm.* data verbis vulg. est accommodata et sensu apto non caret; certo melior est quam trita illa : poma aurea in phialis argenteis; quid enim poma aurea sibi volunt? pomum aureum est contradictio in adiecto, nisi sit nomen ornamenti; neque intelligi potest (quod *Wild.* probabile censet) quod neolatini vocant pomum aurantium (orange); nam certe tale pomum non est fructus adeo eximius, ut huic loco congruat. Ornamentum aureum etiam intelligitur G μῆλον χρυσοῦν ἐν ὁρμίσκῳ σαρδίου pomum aureum in monili sardii; S pomum aureum (sive sphaerula aurea) in calice argenteo. In hebr. legitur משכיות, cuius notio obscura est (cf. Lev. 26,1 et Num. 33,52. Ez. 8,12 et vide supra 18,11 et Ps. 73,7), explicatur vel de sculptura, caelatura, vel generatim de imagine (Gebilde, Schaustück). Textu parumper mutato alii scribi volunt שוכות mala aurea in ramis argenteis (cf. *MK.*). In descriptione babylonica horti deorum arbores ferunt margaritas, et rami arborum pleni sunt margaritis (cf. *MK.*); simili modo in hortis Hesperidum mala aurea prostabant. De eiusmodi fabulis fama perferri potuit ad Iudaeos quoque. Alii parva mutatione facta legunt non poma, sed scalpturae (Gravüren) פתוחי (pro תפוחי) : scalpturae aureae in imaginibus argenteis (cf. *Frank.*), quae lectio praeferenda videtur, cum minima unius litterae transpositione habeatur neque allusionem illam ad fabulas mythologicas prae se ferat.

Pulcris et pretiosis imaginibus vel ornamentis comparatur *verbum in tempore suo,* verbum opportune prolatum. Verbum hebr. pariter est obscurum; sed Eccli. 50,27 legitur pariter אופנים et in utroque loco notio opportunitatis est apta (Eccli. : institutio sapiens et proverbialis doctrina opportuna); in neohebr. אפן est modus, modalitas. G in codice א praebet οὕτως εἰπεῖν λόγον ἐπὶ ἁρμόζουσιν quem textum genuinum censet *Frank.* verbum directum ad viros spectatae fidei (?)[1] tam constans esse atque indelebile, sicut abstergi nequeant scalpturae aureae in imaginibus argenteis. « Generalissime ac plenissime accipias hic verbum quodlibet sive monitionis, sive consilii, sive instructionis etc.; verbum quodlibet congrue et opportune dictum audientes recreat, roborat et pascit » (*Lap.*).

Qui arguit et qui obedit, uterque est laude dignus v. 12 *inauris aurea et margaritum fulgens,* monile obryzatum, ex auro purissimo fabricatum, corripiens sapiens ad aurem obedientem (hebr.), G λόγος σοφὸς εἰς εὐήκοον οὖς sermo sapiens in aurem obedientem. Vir sapiens arguit discipulum obedientem; id Sapienti videtur comparandum esse cum ornamentis pretiosis; effertur pulchritudo et rei dignitas summo quasi pretio metienda. Bene *Lap.* rem declarat : correptio matura et amica quam sapiens opportune adhibet obedienti, non vilis est et infamis, sed res nobilis, pretiosa et pulcherrima instar inauris aureae et margariti fulgentis, quae proinde tum corripienti quam correpto magno ornamento est aeque ac saluti. Versio vulg. *qui arguit sapientem et aurem obedientem* emendatione opus habet : sapiens arguens aurem obedientem; cf. 15,31. Tali laude et magister et discipulus incitantur ut suas quisque partes sollerter agat.

Quam gratus et acceptus sit nuntius fidelis, declaratur v. 13 *sicut frigus nivis in die messis,* cogita aestu et sudoribus laborantem, cui offertur potus nive frigidus, vel cogita ventum a montibus nivosis flantem, qui messoribus calore aestuantibus aestum mitigat et mire eos recreat et refocillat (*Lap.*); cf. Ier. 18,14 numquid deficiet nix Libani? *ita legatus fidelis ei qui misit eum,* herum cura et sollicitudine aestuantem et avide exspectantem quasi refrigerat et reficit; *animam ipsius requiescere facit,* recreat, animam quasi ad novam laetamque vitam reducit; cf. 13,17. « Quod et in spirituali legatione compleri intelligendum est » (*Ians.*).

Quam molesti sint homines promittentes et promissa non implentes, similitudine effertur v. 14 *nubes et ventus et pluviae non sequentes,*

1. Legitur ἐπὶ ἁρμόζουσιν αὐτῷ (*Aq. Theod.*), id quod bene explicari potest : loqui verbum sub conditionibus ei congruis et consentaneis. In 8,30 vox respondet hebr. אמון. *Sym.* λαλῶν λόγον ἐν καιρῷ αὐτοῦ.

vir sese iactans dono fallaci (hebr.); nubes vento allatae videntur donum imbrium afferre, et ad terrae fertilitatem et fruges procreandas pluviae avide desiderantur et magno gaudio ab agricolis conspiciuntur nubes densae; verum si nubes steriles spem et exspectationem fallunt, agricolae maiore dolore et molestia afficiuntur; eodem modo molestiam et indignationem creat *vir gloriosus,* iactator, ostentator, *et promissa non complens,* uti vulg. sensum exprimit. Talis v. g. erat Gaal sese iactans quod regnum arriperet occiso Abimelech; cui tempore rei gerendae dixit trementi Zebul : ubi nunc est os tuum quo loquebaris (Iud. 9,28-38). « Ceterum competit haec sententia in eos qui magnam sanctitatem prae se ferunt exterius, cum nihil minus praestent, utpote in hypocritas; item in concionatores qui bene multa loquuntur et male vivunt, de quibus apostolus : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes » (*Ians.*).

15. *Patientia lenietur princeps | et lingua mollis confringet duritiam.* 16. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, | ne forte satiatus evomas illud.* 17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, | ne quando satiatus oderit te.* 18. *Iaculum et gladius et sagitta acuta | homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* 19. *Dens putridus et pes lassus, | qui sperat super infideli in die angustiae.* 20. *Et amittit pallium in die frigoris, | acetum in nitro, | qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tinea vestimento et vermis ligno, | ita tristitia viri nocet cordi.* 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; | si sitierit, da ei aquam bibere;* 22. *prunas enim congregabis super caput eius, | et Dominus reddet tibi.* 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, | et facies tristis linguam detrahentem.* 24. *Melius est sedere in angulo domatis, | quam cum muliere litigiosa et in domo communi.* 25. *Aqua frigida animae sitienti, | et nuntius bonus de terra longinqua.* 26. *Fons turbatus pede et vena corrupta, | iustus cadens coram impio.* 27. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, | sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* 28. *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, | ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

Quam efficax et utilis sit longanimitas et suavitas, explicatur v. 15; tali enim longanimitate, animi quiete et tranquilla expositione rerum princeps, seu iudex sibi sinit persuaderi; *et lingua mollis,* sermo suavis, *confringet duritiam,* frangit os (hebr.); si quis homini irato respondet pacate verbisque utitur modestiam, benevolentiam spirantibus, facile tandem iram alterius, licet ossis instar duram et rigidam, infringet. Priorem stichum aliqui explicant ita ut princeps moneatur, ne sit ira praeceps, sed tardus ad iram, et excandescentiam longiore mora et dilatione sedare studeat. Verum altero sticho haec acceptio excluditur; hoc enim sticho manifestum est de duobus esse sermonem, de suaviter loquente et de homine irato; quare idem dicendum de priore sticho; cf. 15,1. 4; ita suavi responsione Gedeon fregit iram Ephraimitarum Iud. 8,2 et Abigail iram David 1 Reg. 25,24 et ipse

David sedavit furorem Saul 1 Reg. 26,18. Adnotant veteres hanc sententiam etiam multo magis locum habere in principe coelesti, cuius iusta indignatio leniatur patienti adversorum quae peccatis debeantur tolerantia, et longanimi benignitatis eius exspectatione sine murmuratione. Duram sententiam tulerat in servum qui ei debuit decem millia talentorum; sed eam mitigavit lingua mollis et supplex : patientiam habe in me (Matth. 18; cf. *Beda, Ians. Lap.*).

Opus esse moderatione, v. 16, 17 ostenditur; v. 16 ne te sinas dulcedine mellis abripi, ut nimium comedas, *ne satiatus evomas illud*; applicatio praeprimis patet ad quamvis voluptatem; ipsam vero huius gnomes applicationem Sapiens subdit tacita scil. comparatione in v. 17; ne nimium sis appetens familiaritatis et auxilii alterius; pretiosum i. e. rarum fac pedem tuum (hebr.), raro ingredere domum proximi, amici; ne nimia tua frequentia et importunitate eius animum a te avertas. Regula est prudentiae : omne rarum carum; et omne quod est nimium, vertitur in vitium. Hebr. ad verbum : habe pedem tuum pretiosiorem quam domum i. e. te ipsum aestima pretiosiorem, aliis verbis : ne te exponas contemptui per nimiam visitationem te abiiciendo et fastidium alterius excitando; cf. Eccli. 13, 12 seq.

Gravissimum damnum infert testis mendax v. 18 *iaculum,* malleus (cf. Ier. 51,20). *et gladius et sagitta acuta* « lingua falsi testis est nocentior quibuslibet armis et telis, quia saepe insontes graviter sauciat et laedit ac non raro eis causa est mortis; haec tria acutissima notant acumen linguae falsi testis quod intima non tantum corporis, sed et animae feriat, penetret, cruciet et secet, iuxta illud Ps. 54,22 et 56,5 » (*Lap.*). Describitur quasi homicida, qui omni genere armorum instructus eo certius pro ratione occasionis caedem perpetrare statuit vel eminus vel cominus aggrediendo.

Homo infidelis non utilitatem, sed damnum et molestiam creat v. 19 *dens putridus et pes lassus,* ille non inservit ad masticandum, potius dolorem et molestiam creat; pes lassus, vacillans, titubans, male inservit ad gradiendum, periculum lapsus inducit; eodem modo invenitur esse fiducia praevaricatoris in die angustiae (hebr.); vel uti vulg. rem declarat, talem experientiam dentis putridi pedisque vacillantis facit *qui sperat super infideli in die angustiae*. Apud G sententia annuntiat interitum impii : ὁδὸς κακοῦ καὶ ποὺς παρανόμου ὀλεῖται ἐν ἡμέρᾳ κακῇ, (scribe) dens (ὀδοὺς) mali et pes iniqui peribit in die mala. Ipsam spem et fiduciam improbi plane concidere ac frustrari, etiam *Frank.* explicat : dens fractus et pes vacillans, (ita se habet) spes improbi in calamitate. Textus hebr. in voce רעה obscuri-

tate laborat; *Frank.* emendat נרעה; alii referunt ad רעע. Punctationem massoreticam referri ad miram quandam explicationem de populo Israel, vide Zeitschrift für alttest. Wissenschaft 1895, p. 151 : dens pascens et pes (animalis) noti (cf. Ex. 21,29) erat fiducia (infidelis populi) in die angustiae. Bestiis enim comparantur nationes extraneae; ita Dan. 8,4. Israel modo ab Assur, modo ab Aegypto opem et auxilium flagitavit, uti Isaias, Ieremias aliique prophetae conqueruntur.

Recitantur tria in v. 20 hebr. quae valde sunt inopportuna : exuens pallium in die frigoris; acetum super nitrum (Natron), et cantans cantica ad cor moestum. Dicunt acetum nitro infusum vim nitri infringere et solvere (*Lap. Wild.*); melius legitur in G ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον acetum ulceri seu vulneri non conveniens; et acetum ulceri infusum magnos affert dolores; quare commendatur emendatio ut legatur non נתר, sed נתק cf. Lev. 31,30 (cf. *Wild. MK.*). Prius membrum de pallio non legitur in G. Exemplis duobus allatis (exuere pallium tempore frigoris, acetum nitro, ulceri infundere) ostendit Sapiens, quam inconveniens et molestiam creans sit tertium illud, cordi tristi cantica praecinere; cf. Eccli. 22,6 musica in luctu importuna narratio et Paulus commendat flere cum flentibus. Secundum interpunctionem vulg. *et amittit pallium in die frigoris* pertinet adhuc ad sententiam in v. 19 ad membrum ultimum, cuius est quasi altera quaedam applicatio; qui confidit in homine infideli, multum damni et incommodi sentiet, sicut qui amittit pallium in die frigoris et alget; amicus infidus in adversitate est instar pallii amissi in die frigoris; quando eo maxime opus est, non comparet.

Ex G servatum est distichon de damno tristitiae : *sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi,* habetur quoque apud S, et *Bickell* retinet vertens in hebr.; assimilatur tristitia tineae et vermi, quia, sicut illa, sensim sine sensu (ita ut arrosio non sentiatur) arrodunt et tandem consumunt penitus, ita pariter tristitia cor, corpus et mentem hominis rodit et cruciat, ut tandem absumat et interimat; cf. 17,12 spiritus tristis exsiccat ossa (*Lap.*); cf. Eccli. 25,17 et 30,24 tristitiam longe repelle a te; multos enim occidit tristitia et non est utilitas in illa.

Praecipitur beneficentia et bonitas in inimicos v. 21 *si esurierit inimicus tuus, ciba illum*; iam praescribitur bonitas erga inimicos Ex. 23,4. 5 et Deut. 22,1-4 et vide ad 24,17. Pauperem inimicum omni modo subleva; ergo tantum abest, ut liceat tibi gaudere de indigentia et miseria tui inimici, ut iubearis ei succurrere et opem praestare. Duae adduntur rationes : ex parte inimici et ex parte Dei; v. 22

prunas enim congregabis super caput eius, ardentes prunas (hebr.), confusione et poenitentia afficietur inimicus tibique reconciliabitur veniam petens tuamque caritatem laudans, suam vero agnoscens culpam. Ita Saul beneficio donatus a David agnovit suam culpam et integritatem David (1 Reg. 24,17; 26,21). Talis est vindicta quam optime sumes de adversario tuo; hoc iudicium quod in eum exerces et quo eum punis (cf. Ps. 10,7; 139,11); hoc est quod Paulus hoc textu laudato subdit : vince in bono malum (Rom. 12,21). Ratio autem ex parte Dei est : *et Dominus reddet tibi,* mercedem tui beneficii retribuet tibi Deus; idem adprecatus est Saul Davidi : Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me (1 Reg. 24,20). Aliam acceptionem proposuit *Bickell* : ardentes prunas auferes, amovebis (omissis verbis super caput eius) i. e. amore in inimicos amovendas esse prunas, materiam odii et inimicitiarum. Verbum חתה 6,27; Is. 30,14 (Ps. 52,7?) capi potest notione asportandi utique, sed tamen ibi res asportata retinetur! Immo alii comparatione cum voce aethiopica instituta probabile censent ei tribuendam esse notionem comburendi (cf. *MK.* in nota ad 25,22). Quare sensus veterum versionum retineri potest.

Detractio audientibus est ingrata; ita v. 23 hebr. ventus aquilo parturit pluviam et facies iratas (tetricas) lingua occulte loquens (lingua detractoris); sicut ventus aquilonaris obtenebrat coelum nubibus pluviis, ita sermones detractoris efficiunt, ut vultus audientium obscurentur, fiant tetrici, moesti; lingua itaque parit nubila tristitiae et lacrimarum nimbos, sicut aquilo parit pluvias (*Lap.*). Vento aquilonari seu potius cauro (Nordwestwind) nubes pluvias adduci certum est. Unde hebr. חולל sua significatione nativa retineri potest; G ἄνεμος βορέας ἐξεγείρει νέφη suscitat nubes, S praegnans est imbre et *Aq.* ὠδίνει ὄμβρον. Aliter vertit *Sym.* : διαλύει βροχήν et Hieronymus : *ventus aquilo dissipat pluvias;* potestne *dissipat* referri ad חלל (cf. Is. 15,9)? *et facies tristis linguam detrahentem*; detractor mox silebit, si vultu ostendis tibi displicere eiusmodi sermones et criminationes; cessabit loqui simulac didicerit se ob criminationes despici. — Inseritur versus 24 idem qui habetur 21,9.

Bono nuntio affertur laetitia v. 25 *aqua frigida animae sitienti et nuntius bonus de terra longinqua*; utrumque recreat, refocillat, gratissimum est; nuntius i. e. nuntiatio, auditus (hebr.) G ἀγγελία, cf. 15,30; exemplum habes in Iacob, cuius revixit spiritus, cum audisset nuntium de filio Ioseph (Gen. 45,27). — Luctuosum est et nocivum deprimi virum iustum v. 26 *fons turbatus pede et vena corrupta,* puteus corruptus, miserum praebet aspectum et insuper insalubris

est potui et nocivus, causa morborum; ei consimilis est *iustus cadens,* titubans, *coram impio*; duplici ratione iustus titubat coram impio, si per iniquum iudicem in litigatione cum impio causa cadit et innocens vel amissione bonorum punitur vel ius et rem suam non obtinet; titubat autem coram impio etiam tum, cum auctoritate, potentia, minis, violentia, vi et oppressione impii iustus territus iam non audet causam viduarum et pupillorum suscipere et defendere, sese iniustitiae opponere, palam scelera denuntiare, pietatem et iura tueri, vel si ex ignavia vitia eorum quorum curam habet dissimulat nec corripit, et alia huiusmodi. Iustum ita vel iure bonisque spoliari vel a recto tramite recedere, est non solum magna lugendi causa et materies, sed etiam res periculi et damni, ne scil. alii vel providentiam iustitiamque Dei impetant vel titubationem et ignaviam iusti male imitantes pietatem probitatemque deserant : ecce fons turbatus, corruptus, insaluber, nocivus. Sicut cadere non dicitur apud Hebraeos idem ac peccare (cf. 24,16), ita vacillare seu titubare quoque non statim de quadam iniquitate intelligi potest. Quare explicari nequit : iustus delinquens videntibus impiis, eis maximam quandam addit licentiam peccandi. Debet itaque titubare coram impiis in unam conflari notionem, qua ipsi impii causa sint et effectores titubationis.

Opus est moderatione v. 27; in vulg. particulae comparationis ponuntur et sensus maiore libertate traditur : *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum* comedere mel copiose, non bonum, hebr.; *sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria,* et explorare gloriam eorum, onus (grave). Obscuritas est in *eorum*; fortasse sententia deprompta ex alio contextu, in quo sensus *eorum* non poterat esse dubius. Legunt plures כְּבֵדִם difficilia scrutari gloria (cf. *Bickell, MK.*); G alterum stichum effert in oppositione ad priorem τιμᾶν δὲ χρὴ λόγους ἐνδόξους honorare autem oportet sermones gloriosos; S multum mellis comedere non est conveniens, neque scrutari sermones gloriosos; sensus est aptus : in sermonibus laudatoriis non singula verba sunt premenda, neque bonum est nimium excedere in laudatione. Textum partim ex G emendat *Frank.* : multum mellis comedere non est bonum, quare raros fac sermones laudatorios; i. e. והֹקר דברי כבוד. Ceterum vide Eccli. 3,22-26.

Vae ei qui suis affectionibus nescit dominari v. 28 urbs dirupta sine muro, vir, cuius spiritui non est cohibitio (hebr.); uberius vulg. sic declarat : *sicut urbs patens et absque murorum ambitu,* exposita est cuilibet hostium incursioni, *ita vir, qui non potest* (*in loquendo*) *cohibere spiritum suum,* qui non suarum affectionum, animique motuum, appetituum habet dominium, plurimis periculis obnoxius est

et facile in abyssum scelerum irruentibus malis cupiditatibus abripitur. Spiritus non solum de ira, superbia, arrogantia concipiendus est, sed de omni vehementiore animi affectu et motu.

26, 1. *Quomodo nix in aestate et pluviae in messe, | sic indecens est stulto gloria.* 2. *Sicut avis ad alia transvolans | et passer quo libet vadens, sic maledictum frustra prolatum | in quempiam superveniet.* 3. *Flagellum equo et camus asino, | et virga in dorso imprudentium. |* 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, | ne efficiaris ei similis;* 5. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, | ne sibi sapiens esse videatur.* 6. *Claudus pedibus et iniquitatem bibens, | qui mittit verba per nuntium stultum.* 7. *Quomodo pulcras frustra habet claudus tibias, | sic indecens est in ore stultorum parabola.* 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, | ita qui tribuit insipienti honorem.* 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, | sic parabola in ore stultorum.* 10. *Iudicium determinat causas, | et qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* 11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, | sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* 12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? | magis illo spem habebit insipiens.*

Plurima v. 1-12 habentur de stulto. Contra solitum naturae cursum et insuper damnum et nocumentum afferens est nix et pluvia tempore messis, eodem modo contra debitum ordinem est et valde nocivum, si stultus habet gloriam, auctoritatem, honorem, opes, divitias. Bona enim debentur bonis, i. e. sapientibus ac probis; stultus autem qui idem est improbus, auctoritate, gloria abutitur et offensioni est viris piis, qui facile irritantur prosperitate malorum; Ps. 72,3 zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns (cf. Ps. 36,1. Iob 21,7. Ier. 12,1 quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui inique agunt?). Ex lege divina et norma retributionis stulto, impio debetur calamitas, contemptus; est itaque quasi perversio ordinis, si constitutus cernitur in gloria (v. 1); cf. 19,10.

Maledictum sine sufficienti ratione impactum caret effectu v. 2 sicut avis quoad volitandum, sicut hirundo quoad volandum, ita maledictum sine causa (prolatum) non veniet (hebr.); ita scil. maledictum quasi in aere volat nec certo loco consistit, sed in incertum transvolat et avolat. Maledictioni enim non temere prolatae vis quaedam adscribitur (Gen. 27,13; Num. 5,21; Deut. 11,28; 28,15; Ios. 9,23; Eccli. 3,11; 4,6); vulg. *sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet,* exprimitur hebr. qeri לו, sensu eodem, superveniet scil. sicut avis transvolans, ut scil. eum in quem profertur non tangat, sed avolet et transvolet avis instar; maledictum volans comparatur avi huc illucque instabiliter volanti, ab uno loco in alium mox transvolanti; sic transvolat maledictum (*Lap.*). Bene praebet G οὕτως ἀρὰ ματαία οὐκ ἐπελεύσεται οὐδενί, ergo hebr. לא exprimitur. Ap-

posite S sensum effert : sicut avis volat in aere, ita maledictio vacua (vana) vagatur.

Non gloria, verum castigatio debetur stultis, improbis v. 3 *flagellum equo et camus asino et virga* (*in*) *dorso imprudentium*; cf. 10,13; 20,30; Ps. 31,9; Eccli. 33,25-30; sicut equi et asini flagello et freno reguntur, ut laborent et recto itinere coerceantur, ne in incertum vagentur, ita stulti et improbi a vitiis deterrendi sunt castigatione. Notat flagellum incitationem ad bona, camus refrenationem a malis, quorum utrumque necessarium est imprudenti (*Lap.*). — Quomodo respondendum sit stulto, v. 4,5 docetur et quidem iucunda quadam antilogia et sententiis ad speciem contrariis; v. 4 *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam,* scil. ita inconsiderate, arroganter, stulte, inconcinne, uti illi loqui solent, *ne efficiaris ei similis,* sed ei vel nihil respondeas contemnens stultiloquium vel moderate et digne cum eo agas; *responde stulto iuxta stultitiam suam,* sicut decet repellere, confundere hominem stultum, *ne sibi sapiens esse videatur,* ut si fieri possit, a vana sui ipsius aestimatione avocetur et sanetur. Stulta scil. eius praesumptio retundenda est, ignorantia eius vel sententiae opinionesque perversae castigandae et repellendae sunt, ne audacia sua aut fucata sapientiae specie et se et alios decipiat, aut assumpta quadam auctoritate et elatione simplices in errorem inducat. Quoad prius membrum dicendum est cum *Ians.* sermonem stulti quandoque plane esse contemnendum nec dignum responsione habendum, ne scil. si quis semper omnia dicta stulti reprehendere et confutare voluerit, etiam in stultitiae notam incidat, dum facit quae stultitiae sunt respondendo ad ea quae contemnenda erant et respondendo illi in quo nullus proferetur fructus; cf. 9,8. Quandoque autem stulto inepte loquenti respondendum est, ut cum periculum est, ne aliis noceat, sibique nimis placeat et efferatur, dum nullum audit sibi contradicentem, ut tandem stulta eius loquacitas coerceatur in aliorum utilitatem.

Duo ergo in conversatione cum stulto observari vult Sapiens : ne te conformes opinionibus et modo loquendi hominis stulti; ita cum eo agas, ut ei eximas stultam sui ipsius aestimationem. Significat itaque *iuxta* in priore loco imitationem, in altero exigentiam, uti Lyranus notat (*Lap.*).

Noli homini stulto committere negotia v. 6 abscindens pedes, molestiam bibens, mittens verba (res, negotia) per stultum (hebr.); qui sibi pedes abscindit, quam maxime sibi nocet et negotia peragere non potest; si adhibet ad negotia tractanda hominem stultum, sibi ipsi imputare debet, si nihil efficitur, sed potius damna maxima

creantur; eodem modo in vulg. *claudus pedibus et iniquitatem bibens,* res non peragitur, exsistet insuper molestia, *qui mittit verba per nuncium stultum*; cf. 10,26. Ad v. 7 illustrandum optime inservit Eccli. 20,22 : ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo. Vertunt hebr : dependere crura de claudo, et parabola in ore stultorum, i. e. sicut claudus habet quidem crura, at illis uti non potest, quia quasi inertia de ipso dependent, ita stultus si quam sententiam acutam audierit, illa recte uti nescit; ea abutitur ridicule vel eam profert tempore inopportuno locoque incongruo (cf. *Lap.*). Ad eundem sensum vulg. facile accommodatur : *quomodo pulcras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola*; neuter recte uti potest. Aliter rem exprimit S : si dabis gressum claudo, accipies verbum ex ore stulti. Prius fieri nequit; ergo neque a stulto verbum sapiens exspectari potest.

Rem inutilem ac ridiculam facit qui stultum honorat v. 8 sicut ligare lapidem in funda (ita verte cum G), sic qui dat stulto honorem (hebr.); plane est contra rationem, lapidem in funda, vel ad fundam ligare, cum funda destinetur ad lapidem proiiciendum; tam inepte agit qui honorem stulto tribuit. Idem etiam declaratur in vulg. *sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem,* in acervum lapidum iacere lapidem, satis inutile est. In versione addens Mercurii Hieronymus certe secutus est doctorem suum hebraeum. Atque revera dicitur in Midrasch Mischle ad v. 8 : qui honorem tribuit stulto, est perinde ac si lapidem iaciat ad Marcolim (ad statuam Mercurii; cf. *Wünsche,* Der Midrasch Mischle, p. 64). Rem iam bene explicuit *Lap.* : « acervus Mercurii significat lapides congestos tumulatim in honorem Mercurii (qui erat dux viae) quos Graeci Hermaea et Hermacas vocabant. Solebant enim antiqui in biviis aut triviis statuam Mercurii collocare, quo cum perveniebant qui faciebant iter, honoris gratia offerebant lapillum. Citant ex glossis talmudicis, tractatu de idololatria fol. 42, p. 1 : sunt gentes quae colunt lapidum acervum quem Mercolis vocant; cultus autem eiusmodi est : quisquis venit, proiicit lapidem in acervum illum ». Si hanc de Mercoli sententiam liceret adscribere vetustis Iudaeis, tunc honor stulto tributus censeretur quasi cultus idololatricus. — Nimis libere vertit *Frank.* sicut fasciculus gemmarum in acervo lapidum, ita res se habet, si stulto honor tribuitur; et simili modo iam explicant *Ians. Lap.* At nimis liberaliter lapis אבן sine addito convertitur in gemmas.

Satis obscura est sententia in v. 9; dictionem hebr. ascendit in manu iam declaravit *Lap.* invenitur, exstat; vel potius : est ad ma-

num; unde: spina est ad manum temulenti, et parabola in ore stultorum. Sed quo sensu? alii spinam faciunt baculum spinosum, quo ebrius alios laedit; ita stultus parabola abutitur ad alios vexandos. Alii retinentes spinam aiunt temulentum se ipsum laedere spina, ita stultum perverso usu et mala intelligentia parabolae sibi ipsi damnum inferre et se irrisioni et contemptui aliorum exponere; *quomodo si spina nascatur*, inveniatur, *in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*; utrumque periculosum est et nocivum. Cur de spina sermo inferatur, non liquet. Nam si periculum pro aliis ob oculos habetur, exspectaremus alia arma cerni in manu ebrii; cf. 25,18; si agitur de damno quod ipse sibi infert, pariter mirum est quod spinam manu capiat, cum tamen spinae neque in domo neque in plateis urbis obviae esse soleant.

Plane singularis est textus vulg. in v. 10 *iudicium determinat causas*, iudicium iudicis causas et lites decidendo finit, *et qui imponit stulto silentium, iras mitigat*; eodem modo sapiens tollit seu mitigat iras et rixas, dum stulto iniuste et imprudenter eas suscitanti obsistit et silentium imperat (*Lap.*). Suggeritur remedium irarum; ad tacendum adigendi sunt homines imprudentes ac stolidi. Multum laboratum est de textu hebr.; pauca referre satis erit. Si textus mass. vertitur uti iacet, haec habentur: sagittarius vulnerans omnes, conducens stultum, conducens transeuntes. Videntur assignari tria quae stulte et inepte fiunt, similiter uti 25,20. Sagittarius qui sine delectu quoquoversus mittit sagittas, qui stultum mercede conducit ad laborem, qui quosvis transeuntes conducit. Parva mutatione facta meliorem sensum elicit *Bickell*: sagittarius vulnerans omnes transeuntes est, qui stultum conducit et ebrium (ita alii quoque; cf. *MK.*). Parumper alio modo legit hebr. G πολλὰ χειμάζεται πᾶσα σὰρξ ἀφρόνων, συντρίβεται γὰρ ἡ ἔκστασις αὐτῶν, multum iactatur caro insipientium, conteritur enim insolentia eorum (et ita hebr. emendat *Frank.*); idem effert S in priore parte: multum dolet caro stulti; scribit Bickell רב מחלל כל עברים — et alterum stichum וישכר כסל ושכר; *Frank.* secundum G textum efformat: רב מחולל כל בשר כסיל et in altero sticho; וישבר עברתם. Habes varia emendationis conamina. Versionem vulg. ex alia lectione et punctatione iam explicant *Ians. Lap.*

Ostenditur quam foedum sit nolle resipiscere v. 11 *sicut canis* (*qui*) *revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*, comparatur cani vomitum resorbenti quo nihil est detestabilius *Lap.*); cf. 2 Petr. 2,22. Facilius esse stultum curare quam arrogantem (*Calm.*) declaratur v. 12 *vidisti hominem sapientem sibi videri?* sapientem in oculis suis, talis enim consilia aliorum spernit, se melius intelligere

aestimat; ab aliis doceri, corrigi nullatenus fert; *magis illo spem habebit insipiens*, hebr. spes stulto prae eo; facilius enim stulto, si non omnino stolidus est et stupidus, persuaderi potest, ut se doceri sinat, ut bona aliorum consilia audiat et sequatur, quam ei qui totus sua sapientia captus alios prae se contemnit; cf. 29,20. Is. 5,21 vae qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismetipsis prudentes. Multa dixerat Sapiens de stultis; in hac ultima sententia iam indicat ineptissimum stultorum genus : sapientes in oculis suis (cf. *Ians.*).

13. *Dicit piger : leo est in via | et leaena in itineribus;* 14. *sicut ostium vertitur in cardine suo, | ita piger in lectulo suo;* 15. *abscondit piger manum sub ascella sua | et laborat si ad os suum eam converterit;* 16. *sapientior sibi piger videtur | septem viris loquentibus sententias.* 17. *Sicut qui apprehendit auribus canem, | sic qui transit impatiens et commiscetur rixae alterius.* 18. *Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem, |* 19. *ita vir qui fraudulenter nocet amico suo | et cum fuerit deprehensus, dicit : ludens feci.* 20. *Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis; | et susurrone subtracto iurgia conquiescunt;* 21. *Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem, | sic homo iracundus suscitat rixas.* 22. *Verba susurronis quasi simplicia, | et ipsa perveniunt ad intima ventris.* 23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, | sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.* 24. *Labiis suis intelligitur inimicus, | cum in corde tractaverit dolos;* 25. *quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, | quoniam septem nequitiae sunt in corde illius.* 26. *Qui operit odium fraudulenter, | revelabitur malitia eius in concilio.* 27. *Qui fodit foveam, incidet in eam, | et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* 28. *Lingua fallax non amat veritatem, | et os lubricum operatur ruinas.*

Sequuntur v. 13-16 disticha quattuor, quibus indoles et natura pigri carpitur; partim repetuntur quae iam alibi notata sunt 22,13; 6,9. 10; 19,24.

Piger non vult egredi ad labores suscipiendos, sed domi otiosus se continere; unde adhortantibus, ut ad opus se accingat, respondet : leo in via, leo inter plateas (hebr.); cf. 22,13. Piger assidue sese in lecto modo in hanc modo in aliam partem volutat v. 14 sicut ostium frequenter vertitur, cum ianua aperitur et clauditur; cf. 6,9. Pigritiae est in lecto manere somno iam plene dissipato; eo quidem tempore quaerens situm commodum piger solet se vertere modo huc modo illuc. Tertio exaggeratur pigritia ita, ut piger ne ad comedendum quidem manum ad os ferre velit v. 15 immittit piger manum suam in patinam (hebr.), eam ad os reducere piget eum vel fatigatur (hebr.); cf. 19,24; vulg. *abscondit piger manum sub ascella sua*, G, S in sinu suo. Notat *Lap.* : « nec mirum eundem versum hic subinde repeti; causa enim est, vel quod a diversis collectae sint hae sententiae, vel quia eadem sententia variis convenit locis varioque fine et scopo affertur, uti hic affertur ad gradationem iam dictam ». Denique quasi

fastigium mali habetur, quia piger se in pigritia sapientissime agere sibi persuadet v. 16 *sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias;* piger enim felicitatem summam existimat otium, desidiam, quiete frui et sine labore et contentione diem carpere et bonis vitae uti; quare ridet eos qui sudant ad acquirendam sapientiam, sese omnibus illis esse multo sapientiorem iactat, quippe qui ab inutili labore abstinens iucunde ac genialiter vivat. Septem i. e. multis, omnibus se censet sapientius agere; septem symbolum est multitudinis vel universalitatis; alii etiam cogitant de septem consiliariis regis regnique administratoribus (cf. *Lap.*).

Ne te temere ingeras litigationi aliorum v. 17 *sicut qui apprehendit auribus canem*, G ὁ κρατῶν κέρκου κυνὸς qui tenet caudam canis, bene iungunt alii עבר canis praetereuntis, nam si subito canis praetercurrens apprehenditur aure (*Sym.* auribus *Theod.* S) vel cauda, furorem prodit latrando et mordendo, *sic qui* (*transit impatiens et*) *commiscetur rixae alterius*, hebr. excandescens de lite non sua, quae ad eum non pertinet; i. e. linque et dimitte utrumque, canem et litem quae ad te non spectat; alias exsistet furor, strepitus, excitatio animi et indignatio. Exhibetur imago quaedam, cui apponitur res, conatus temere factus et supervacaneus. Neque canis praetercurrens, neque lis aliena ad te pertinet; si vero negotium tibi ipsi feceris, vide quid eventurum sit — ab utroque si abstinueris, quiete potieris.

De homine fraudulento agitur v. 18, 19 qui sub specie ioci damna infert v. 18 *sicut noxius est* stupidus (*Frank.* fingens insaniam) *qui mittit sagittas* (ardentes) *et lanceas in mortem* hebr., tela et mortem i. e : tela mortifera, tela et perniciem, *ita vir qui fraudulenter nocet amico suo* et dicit : nonne iocans ego (hebr.). Sicut valde nocet, qui utpote vesanus falaricas et sagittas et mortifera tela emittit, sic pariter magis nocet qui fraudulenter, subdole laedit, quam qui palam et aperte; praesertim si damno perpetrato excusationem ioci praetendit et ita ad damnum etiam irrisionem adiungit.

Repetitur doctrina iam 22,10 tradita v. 20 *cum defecerint ligna, exstinguetur ignis*; et ubi non est susurro, cessat iurgium (hebr.); ignis nutritur lignis; per detractores, calumniatores, susurrones excitantur iurgia, inimicitiae; remota causa cessabit effectus, idque exemplo illustratur in priore sticho, quo res ad oculos demonstratur. Idque illustratur simul a contrario v. 21 *sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem,* ita maior ignis, maius excitatur incendium, sic vir litigiosus ad rixam inflammandam (hebr.), rixam multum auget et duratione et vehementia homo litigiosus iracundus vel vir contentionum (cf. hebr.); cf. 15,18; Eccli. 28,11. In v. 22 legitur idem quod

18,8; vulg. *verba susurronis,* et 18,8 verba bilinguis, G δίθυμος, κέρκωψ, *Aq.* τονθρυστής, *Sym.* δόλιος, *Theod.* γογγυστής.

Depingitur hypocrisis v. 23 : argentum scoriarum (argentum nondum purgatum, vel spuma argenti) obductum super testam; labia ardentia (amore) et cor pravum (hebr.); sicut vas fictile obducitur spuma argenti, quo pulcrius cernatur neque testa et lutum, sed stannum aut argentum esse videatur, sic hypocrita loquitur blande et amanter, quo efficacius tegat cor malum. Comparationem explicite effert vulg. *quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,* obducere, *sic labia tumentia* (amore, amicitiae verbis) *cum pessimo corde sociata*; specie quadam pulcra obtegitur in superficie ibi materia vilis, hic animus et sensus pestifer.

Cave ab inimico v. 24 *labiis suis,* sermonibus suis, *intelligitur inimicus,* simulat amicitiam (alium se fingit, hebr. scil. amicum), *cum in corde tractaverit dolos*; quo certius odium et inimicitiam expleat incautum perdens simulat amicitiam et blandis sermonibus utitur. Verum cave a simulato amore : v. 25 *quando submiserit* gratiosam, suavem fecerit *vocem suam, ne credideris ei,* ne fidas ei, *quoniam septem nequitiae sunt in corde illius,* septem i. e. multae; quo se magis amicum fingit, eo magis machinatur perniciem. Etiam Eccli. 12,20 seq. monetur : non credas inimico tuo in aeternum; et si humiliatus vadat curvus, custodi te ab illo. — Perpetuo latere inimicitia minime poterit, v. 26 operitur (abscondit se) odium deceptione, revelabitur malitia eius in coetu (hebr.); etsi fraudulentus celat odium suum et fingit deceptione amicitiam, tamen mox fiet manifestum publice; nam sicut ignis diu latere non potest, ita inimicus rebus, verbis, dolis perpetratis odium suum explebit et notum faciet. Idem indicatur in vulg. *qui operit odium suum fraudulenter, revelabitur malitia eius in concilio*; tandem aliquando perversitas eius iusto iudicio manifesta evadet. Hoc iam requiritur ex norma iustae retributionis (Eccli. 27,26).

Per quae peccat quis, per haec et torquetur (Sap. 11,17) v. 27 *qui fodit foveam, incidet in eam, et qui volvit lapidem, revertetur ad eum* i. e. qui alium perdere vult, se ipsum in perniciem immittit; atque id quasi ad oculum demonstratur duobus exemplis foveae et lapidis in altum sublati, ut in alium devolvatur, qui tandem in ipsum proiicientem cadat. Exempla illustria sunt : Aman suspensus est in patibulo quod Mardochaeo paraverat; accusatores et calumniatores Danielis sibi ipsis pararunt interitum; duo illi senes volentes perdere Susannam sibi ipsis interitum machinati sunt; cf. Eccli. 28,28-30.

In v. 28 G, S, vulg. praebent : *lingua fallax non amat,* odit, *veritatem,* hebr. explicant : lingua mendax odit oppressos suos i. e. eos

quos ipsa oppressit, contrivit דכיו. Sententia est certe vera; nam communiter contingit, ut quem laeseris odio habeas; *et os lubricum,* blandum, *operatur ruinas*; os blanditiis fallens, per dolum suaviter loquens vel verborum lenociniis decipiens et eo modo alios perdens; cf. Ps. 54,22. G, S, vulg. praebent in priore sticho veritatem; potestne explicari ex aramaico דכיות?

27,1. *Ne glorieris in crastinum, | ignorans quid superventura pariat dies,* 2. *Laudet te alienus et non os tuum, | extraneus et non labia tua,* 3. *Grave est saxum et onerosa arena, | sed ira stulti utroque gravior.* 4. *Ira non habet misericordiam nec erumpens furor, | et impetum concitati ferre quis poterit?* 5. *Melior est manifesta correptio | quam amor absconditus.* 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, | quam fraudulenta oscula odientis.* 7. *Anima saturata calcabit favum, | et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* 8. *Sicut avis transmigrans de nido suo, | sic vir qui derelinquit locum suum.* 9. *Unguento et variis odoribus delectatur cor, | et bonis amici consiliis anima dulcoratur.* 10. *Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris, | et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuae, | melior est vicinus iuxta, | quam frater procul.* 11. *Stude sapientiae, fili mi, et laetifica cor meum, | ut possis exprobranti respondere sermonem.* 12. *Astutus videns malum absconditus est, | parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.* 13. *Tolle vestimentum eius qui spopondit pro extraneo, | et pro alienis aufer ei pignus.* 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, | maledicenti similis erit.*

Ne nimium fidas de futuro v. 1 *ne glorieris in crastinum*; nam bona et mala, vita et mors, paupertas et divitiae a Domino sunt (Eccli. 11,14) et a mane ad vesperam immutabitur tempus et haec omnia citata in oculis Dei (l. c. 18,26); *ne glorieris* de opibus tuis, de robore ac felicitate tua, de re bene gesta *in crastinum* quasi haec omnia tibi stabilia essent ac firma, quia nescis quid pariat dies scil. crastinus (hebr.); exemplum dat et doctrinam Christus (Luc. 12,19) in illo gloriante de futuro : anima mea, habes multa bona, requiesce, comede, bibe! stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te! et Iac. 4,13. 14 : ecce nunc qui dicitis : hodie aut crastino ibimus in illam civitatem et faciemus ibi quidem annum et mercabimur et lucrum faciemus — qui ignoratis quid erit in crastino!

Non qui seipsum commendat, ille probatus est v. 2 *laudet te alienus et non os tuum*; non decet te laudare temetipsum, sed digna laude gerere, quae suo splendore alios compellant ad te laudandum, non quod laudem hanc quaeras, sed quod laus ex virtute et iam eo qui laudatur ignorante, imo invito, naturaliter quasi emanet et resultet (*Lap.*). — Stultus furore et impotentia gravis est omnibus (*Calm.*) v. 3 *grave est saxum et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior* scil. indignatio quam stultus aliis movet, dum stulte, iracunde, impotenter agit, est quovis pondere gravior, est molesta valde; cf. Eccli.

21,19 narratio fatui quasi sarcina in via; et 22,14 super plumbum quid gravius? et quod illi aliud nomen quam fatuus? arenam et salem et massam ferri facilius est ferre quam hominem fatuum. Simili modo res omnium molestissima est zelotypia v. 4 crudelitas indignationis et inundatio irae — et quis stabit coram zelotypia? hebr.; duo priora possunt sustineri; sed quis sustinere potest zelotypiam? cf. 6,34. Num. 5,14. Ad eundem sensum reduces vulg. *ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*; facilius ira et furor sedantur, comprimuntur — *et impetum concitati ferre quis poterit?* gravis et portatu difficilis est ira et excandescentia, cum erumpit et saevit; at longe gravior est zelus vel invidia, impetus scil. concitati spiritus (*Lap.*). Nam iram franges patientia et demissione vel flectes officiis et significationibus honoris et amicitiae. Sed mala aemulatio alitur confirmaturque ipsa illius virtute quem invadit : bonis officiis efferatur, et significationibus obsequii et demissionis provocatur. Si cedas et declines, illa validius instat, et usurpat superiora, neque contenta est, nisi penitus deiectum exstinctumque illum videat, qui sollicitudinis et aemulationis suae est argumentum (*Calm.*).

Probatio amoris est exhibitio operis; unde v. 5 *melior est manifesta correptio quam amor absconditus,* latens, nullo opere seu effectu se prodens. Amare est bene alteri velle, bonum amantis procurare. Qui alterum de defectu reprehendit, bonum reprehensi revera vult et promovet; unde si ex una parte reprehensio non adeo grata est, tamen ex altera parte, omnino spectat ad bonum correpti; ergo melior, efficacior est amore abscondito, quo nihil emolumenti accedit amato. — Inter se opponuntur amici et inimici v. 6 *meliora* fidelia *sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis,* hebr. numerosa oscula odientis, G ἢ ἑκούσια φιλήματα ἐχθροῦ quam spontanea oscula inimici (ita *Bickell* secundum G emendat textum hebr.; scribit scil. מנדבת pro ונעתרות; cf. *MK.*). S : meliores sunt plagae amici prae osculis inimici. Amicus bonum tuum procurat vituperio, correptione, castigatione; inimicus blanditiis te demulcet et in mala consuetudine te confirmat ac retinet. Aliis verbis : qui te castigat, amicus est; qui blanditur, inimicus; ita ex hebr., ubi non cernitur comparativus.

Fames et desiderium pariunt voluptatem, saturitas nauseam v. 7 *anima saturata calcabit favum,* cuius fames plene exstincta est, is spernit mel, favum; animae famelicae omne amarum dulce (hebr.); optimum cibi condimentum est fames, potionis sitis; fames affert saporem et delectationem; qui satur est, fastidit cibos etiam delicatissimos. Applicatio facile habetur : si magna ac difficilia aggredi vis vel debes, excita in te magnum eorum desiderium et famem magnam,

et molesta evadent suavia et iucunda. Rebus utere moderate; qui nimium se voluptatibus tradit, ipsum sensum voluptatis obtundit.

Durum est pelli a domo v. 8 *sicut avis transmigrans,* fugiens, expulsa *de nido suo,* sic vir fugiens (expulsus) de loco suo; ita hebr.; amittit commodam habitationem; in incertum vagari cogitur. Hoc expertus est David, fugiens coram Absalom (Reg. 15,14. 20. 25). Tale accidere potest incauta fideiussione; repromissio nequissima multos perdidit et commovit illos quasi fluctus maris; viros potentes girans migrare fecit et vagati sunt in gentibus alienis (Eccli. 29,24. 25). Aere alieno oppressi quandoque fugere cogebantur (1 Reg. 22,2). Praeterea addi potest cum *Ians.*, eo quoque tendit parabola, ut iuxta Pauli monitionem unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, ut homo maneat in gradu suo, maneat in officio ac statu suo, nec temere de mutando cogitet, sed contentus vivat sua sorte, ne contingat ipsum vagari animo, inquirendo temere alia cum magno rerum temporalium et spiritualium damno.

Quam grata sint bona consilia, declaratur in vulg. v. 9 *unguento et variis odoribus delectatur cor,* unguentum et suffimentum delectat cor; haec adhibebantur in conviviis; convivae ungebantur unguentis pretiosis et recreabantur suffitibus exquisitis; cf. 21,17; 7,17. Cant. 3,6. Sicut istis odoribus et unguentis sensus corporis delectantur, ita *bonis amici consiliis anima dulcoratur,* bona consilia auferunt anxietatem, tollunt incertitudinem molestam, animam dubiis in varias partes distractam quiete donant et gaudio et fiducia et consolatione implent. Textus mass. praebet : et suavitas amici eius ex consilio animae (laetificat cor). Verum G (ex iisdem consonantibus coniunctis מתקרעה) praebet in oppositione ad priorem stichum : καταρήγνυται δὲ ὑπὸ συμπτωμάτων ψυχή disrumpitur autem a calamitatibus anima (ita *Bickell* textum hebr. emendat, *Frank. MK* item); eo modo textus hebr. iisdem consonantibus retentis (littera נ inserta), sed aliter lectis bonum effert sensum, quem G ex hebr. quoque nobis servavit, dum S ita hebr. exprimit : sic qui delectat amicum suum consilio animae.

Amicum retinere stude v. 10 *amicum tuum et amicum patris tui,* qui itaque se diu iam probavit amicum, *ne dimiseris;* tibi enim quasi iure hereditatis a patre relictus est; fidelem se praestitit patri; ergo omnino fovendus est a te. Non duos amicos esse intelligendos, sed simplicius unum eundemque accipi, recte *Lap.* monet; vetus amicus retinendus est; hunc enim nosti, huic certo fidere potes; scis qua ratione cum eo agere debeas; expertus es eius probitatem, fidem constantiam. Idem docet Eccli. 30,6; nam filium vult esse similem patri et ut filius relictus a patre amicis reddat gratiam; *et domum*

fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuae, sed potius quaere opem apud amicum; nam omni tempore diligit qui amicus est (17,17) et fieri facile potest, ut sit amicus magis pronus ad auxilium quam frater (cf. 18,24). Frater enim tuus fortasse rarius tecum versatur, minus res tuas novit aut non curat; possunt facile inter cognatos simultates et lites oriri. Durum illud quod contra fratrem in illo *ne ingrediaris* latere videtur, emollitur sententia subiecta, qua prior explicari videtur : *melior est vicinus iuxta,* qui prope te habitat, *quam frater procul,* qui procul abest; apud propinquum statim auxilium habere potes; difficilius, cum mora et iactura temporis quaeretur subsidium, consolatio a longinquo. Docet itaque Sapiens, procurandam et fovendam esse bonam vicinitatem, colendam cum vicinis benevolentiam, beneficentiam, communicationem opis mutuae, amicitiam, et magis fidendum esse vicinis amicis, quam cognatis longinquis. Prudentia discipuli est defensio magistri v. 11 hebr. sape, fili mi, et laetifica cor meum, ut respondere possim exprobranti mihi; item S : et aufer a me opprobrium exprobrantium nihi; vulg. *ut possis exprobranti respondere sermonem;* G σοφὸς γίνου, ἵνα σου εὐφραίνηται ἡ καρδία καὶ ἀπόστρεψον ἀπὸ σοῦ ἐπονειδίστους λόγους, sapiens esto, ut laetetur cor tuum et averte a te exprobrabiles sermones. Filius sapiens honori est patri; quare si quis patri calumniam infert, filius bene moratus pro patre respondebit et eius honorem vindicare poterit. Simul continetur monitum pro patre vel magistro, ut bene educet filium doceatque, et pro filio, ne sua negligentia evadat dedecus patris.

Repetitur quod iam 22,3 dictum est v. 12 *astutus videns malum absconditus est, parvuli,* simplices *transeuntes sustinuerunt dispendia,* poenam luunt, affliguntur, mulctantur, damnum patiuntur, G ζημίαν τίσουσιν poenam solvent. Vir astutus se subducit ingruentibus malis; inexpertus, imperitus ea non advertit et capit detrimentum. — Cave a fideiussione; repetitur, quod 20,16 legitur (et cf. 22,16) v. 13 *tolle vestimentum eius* etc.; hebr. scribe uti 20, 16 נכרים (cf. *MK.*).

Omne nimium vertitur in vitium, seu moderatione opus est v. 14 *qui benedicit proximo suo voce grandi* mane, (tamquam) maledictum reputabitur ei (hebr.). Qui nimia sedulitate et intempestive multoque clamore salutationes, acclamationes, adprecationes bonorum, encomia et laudes alii offert, haud sincere agere videtur et eiusmodi commendatio intempestiva et clamorosa habebitur ut maledictio ob importunitatem et molestiam. Apud Romanos quidem in usu erant matutinae et antilucanae salutationes et acclamationes quae a clientibus deferebantur patronis; sed de talibus apud Hebraeos non erit cogitandum. Intempestivum est summo mane hominem felicem ac beatum

praedicare, cum tamen nesciatur, quid superventura pariat dies (27,1). Eo magis praeposterum est, si summo mane intellexeris de primis initiis conditionis felicis, in quam quis pervenerit, quasi de aurora alicuius felicitatis et prosperitatis, quam auroram tanta exaggeratione beatam praedicare quasi certum augurium permanentis fortunae utique stultum reputabitur. Fortasse subest quidquam superstitionis popularis de oculo nequam (cf. Eccli. 31,14. 15); nimia laus a superstitiosis consideratur et timetur malum omen, quo maledictio et infortunium procreetur. Homo invidus et malignus exaggeratis laudationibus offensionem alicui apud alios creare studet. Talis utique potius *maledicenti similis est.* Quod autem *Frank.* putat fere subesse notionem illam vulgarem apud gentes de deorum invidia, quae laude et felicitate provocata perniciem afferat, admitti nequit. Hebraei certe longe aberant a notione numinis invidi et maligni, quod prosperitati hominum invideat.

15. *Tecta perstillantia in die frigoris | et litigiosa mulier comparantur;* 16. *qui retinet eam quasi qui ventum retinet | et oleum dexterae suae vocabit.* 17. *Ferrum ferro exacuitur, | et homo exacuit faciem amici sui.* 18. *Qui servat ficum comedet fructus eius, | et qui custos est domini sui glorificabitur.* 19. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, | sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* 20. *Infernus et perditio nunquam implentur, | similiter et oculi hominum insatiabiles.* 21. *Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, | sic probatur homo ore laudantis. | Cor iniqui inquirit mala, | cor autem rectum inquirit scientiam.* 22. *Si contuseris stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, | non auferetur ab eo stultitia eius.* 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, | tuosque greges considera;* 24. *non enim habebis iugiter potestatem, | sed corona tribuetur in generationem et generationem.* 25. *Aperta sunt prata et apparuerunt herbae virentes, | et collecta sunt foena de montibus.* 26. *Agni ad vestimentum tuum, et hoedi ad agri pretium.* 27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, | et in necessaria domus tuae et ad victum ancillis tuis.*

Duo valde molesta nominantur (cf. 19,13) v. 15 distillatio continuans in die pluviae vehementis (hebr.), *tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur,* aeque molesta, imo, intolerabilia sunt; neutrum potest cessare; talis mulier ubique inveniet de quo conqueratur; cf. 21,9.19; 25,24; Eccli. 25,23-26. Talem mulierem coerceri non posse, declaratur in vulg. v. 16 *qui retinet eam quasi qui ventum teneat,* « qui uxorem clamosam et litigiosam cohibere velit ut taceat, perinde facit ac qui conetur ventum impetuosum manu tenere aut certo loco claudere » (*Lap.*). Quod sequitur *et oleum dexterae suae vocabit,* nequit intelligi; neque sensus erui potest, etsi non *vocabit,* sed occurret hebr. explicaveris. Nam quid sibi vult quod aliqui vertunt : oleum occurrit dexterae eius? vel oleo occurrit dextera eius?

i. e. si mulierem manu comprehendere vult, est ac si oleum manus eius tangeret quod nequit comprimere!

Plane aliud praebet G v. 16 βορέας σκληρὸς ἄνεμος ὀνόματι δὲ ἐπιδέξιος καλεῖται, aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur; idem S et targum; facile cernitur, quomodo haec versio orta sit ex hebr. (lege חצף? syr.). Mirum solum videri potest, quomodo ventus aquilonaris *dexter* ימין vocari possit, cum ea voce non septemtrio, sed meridies, pars meridionalis designetur. Qua consideratione inductus *Bickell* satis audacter hunc sibi textum construit : aquilo maxime serenus est ventorum, at auster (תימן) nomen habet a dextra parte. Cum pars dextra simul habeatur pars felix, prospera, ventus borealis tempore aestatis potest vocari favorabilis, quo scil. nimii calores temperentur. Varia proposita sunt ad aenigma textus solvendum (*Lap. Calm. Del. Frank. Wild. MK.*). Optimam tamen solutionem indicasse videtur *de Lagarde*, qui ex Plutarcho (Isis, 32) affert Aegyptios τὰ πρὸς βορρᾶν δεξιά existimasse; unde hoc loco considerationem palaestinensem in aegyptiacam esse transmutatam (Anmerkungen zur gr. Uebers. d. Proverbien, p. 87). Mirum solum videri potest in proverbio palaestinensi ventum borealem ex modo loquendi Aegyptiorum designari. Voluitne auctor id efferre utpote singularem ac plane miram illorum opinionem ac dictionem? cum pro Palaestinensibus proponatur paradoxon ventum borealem appellari meridionalem.

Quid hominum inter se commercio efficiendum sit, exemplo declaratur v. 17 *ferrum ferro exacuitur et homo exacuit faciem amici sui*; « sicut ferrum simili ferro, puta lima, acuitur, sic homo hominem sibi similem exacuit in qualibet re, puta in scientia, arte, consilio, industria et virtute; exacuit, inquam, conferendo, interrogando, disputando, animando, instruendo, exhortando etc. » (*Lap.*). Mutuo commercio mores corriguntur, poliuntur quoque. — Labore acquiritur emolumentum v. 18 *qui servat ficum, comedet fructum eius,* curam eius arboris habet eamque tuetur, ne perdatur per animalia vel incuria hominum; *et qui custos est domini sui glorificabitur,* qui fideliter servit hero, honorabitur i. e. dona larga accipiet; nam 3,9 : honora de tua substantia (*Frank.*). Excitatur itaque industria et fidelitas famulorum, qui servitiis bene praestitis sibi et opes et magnam apud omnes aestimationem comparare possunt. Cur arbor ficulnea prae ceteris arboribus in comparationem adhibeatur, explicant veteres quidam eo quod maturis ficis decerptis nascuntur aliae recentiores, ita ut ter in anno fructus habeantur; sic qui fideliter servit hero ab eo munera et dona accipiet variis occasionibus adeoque frequenter honorabitur (cf. *Ians. Lap.*).

In v. 19 sensum bonum praebent G et S; ὥςπερ οὐχ ὅμοια πρόςωπα προςώποις, οὕτως οὐδὲ αἱ διάνοιαι τῶν ἀνθρώπων, sicut non similes facies faciebus, ita neque cogitationes hominum; et S : sic corda cordibus non sunt similia. Sensus fere idem ex hebr. colligitur, si corrigitur כמו, sicut facies ad facies, ita cor hominis ad hominem. Diversae sunt facies, inter se dissimiles; ita varia sunt quoque ingenia hominum, varia eorum studia, diversa quandoque, alii appetitus aliorum; alia aliorum indoles. Quae varietas munerum naturae perbene observanda est iis qui ad alios docendos vel regendos vocantur, ne scil. omnes in eandem formam redigere velint neve eadem ab omnibus exposcant, verum rationem habeant singulorum, quid valeant quid ferre recusent, neque enim omnia possumus omnes. — Plane aliud habet vulg. v. 19 *quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus,* est partim paraphrasis, partim certa quaedam explicatio, uti videtur, textus : sicut in aquis facies ad facies, sic cor viri ad virum; facies relucent in aquis, ita cor cognoscitur a viro scil. prudenti. « Speculum aquae naturale est et sincerum ac plane rem repraesentat talem qualis sibi obiicitur; sic et corda hominum plane talia qualia sunt cognoscuntur a prudentibus », ita quidem *Lap.*; at quis hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (Cor. 2,11)? Comparatio cum sincero speculo non est nimis urgenda; nam « qui inspector est cordis, ipse intelligit » (24,12) neque solummodo cor regum est inscrutabile (25,3).

Desiderium hominis rebus creatis expleri nequit v. 20 *infernus et perditio,* infernus et orcus, *nunquam implentur,* non satiantur; continuo enim homines moriuntur et descendunt ad umbras inferorum; ad imaginem orci non satiati vide Is. 5,14 dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino; cf. 30,16; *similiter oculi hominum insatiabiles,* non satiantur; oculi nominantur, quia in oculis quam maxime relucet et exprimitur cupiditas animi, desiderium, amor; Eccli. 40,22 gratiam et speciem desiderabit oculus tuus; et Eccl. 1,8 non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur; et Iob 31,1 pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine et Matth. 5,28. 29. Notum est illud : oculi sunt in amore duces et cf. 1 Joan. 2,16 concupiscentia oculorum.

Vir probatur laude v. 21 *quomodo probatur in conflatorio argentum,* catinus pro argento et fornax pro auro et vir secundum laudem suam (hebr.); uti metalla, argentum, aurum, igne probantur, sintne impura, scoriis mixta vel pura, ita vir laude sua, vel *ore laudantis;* id quod duplici ratione intelligi potest : « communis plausus ac sincerae laudes, quibus omnes circumstrepunt, certissima sunt argu-

menta virtutis; cum iudicium fertur ex communi et consentaneo populi testimonio, vix unquam fieri potest, ut quis erret. Hoc sensu verissime affirmatur, laudes probare hominem, ut ignis metalla probat. Aliter : ut certo iudicetur quam sit solida hominis virtus ac sapientia, illud considerandum est, quo animo congestas sibi laudes excipiat. Si nihil iis afficiatur nec intumescat, si neque audacior neque arrogantior fiat, si laudes fugiat et aegre ferat, si communis favoris auram non captet ambitiose, tuto colligas solida illum virtute instrui neque collatis sibi laudibus indignum esse » (*Calm.*). Sin vero ex laude superbiat et intumescat, signum est virtutem esse impuram et imbecillam. Vera igitur virtus et laus est spernere laudem, sicut vera gloria est gloriam contemnere; hoc enim magni et celsi est animi (*Lap.*); cf. 12,8; 17,3. Versiones laudem intelligunt ab aliis profectam (G, S, vulg.). Textus hebr. potest etiam ita capi, ut vir cognoscatur eo quoque, de quo glorietur, vel in quo gloriam suam reponat, vel quod ipse in aliis laude et commendatione dignum aestimet.

Sententia adiuncta legitur apud G et S quoque, non hebr.; *cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam*; merito eam *Bickell* retinuit et hebr. reddidit; arbor bona bonos fert fructus, mala arbor malos. Scientiam cor rectum inquirit seu prudentiam, sapientiam; vir sensatus studet iuvari ac dirigi bonis consiliis eaque sedulo quaerit et expetit. Aliter res se habet cum stulto v. 22 *si contuderis stultum in pila,* in mortario, *quasi ptisanas feriente desuper pilo,* hebr. in medio ptisanarum? pilo, *non auferetur ab eo stultitia eius*; ei quasi altera natura insita est et innata. Gravibus poenis stultus non emendatur; cf. Eccli. 22,7 qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, et 21,17 cor fatui quasi vas confractum, non tenebit quidquam sapientiae. Naturam expellas furca, tamen usque redibit; Ier. 2,30 frustra percussi filios vestros.

« Hucusque Salomon dedit praecepta ethica; nunc dat oeconomica quae scil. pertinent ad instruendam alendamque familiam; quare commendat artem pecuariam et pastoritiam » (*Lap.*) v. 23 *diligenter agnosce vultum pecoris tui*, curam habe pecoris, ovium, caprarum; speciem et figuram pecoris attende, *tuosque greges considera,* pone cor (hebr.), attentionem tuam dirige ad greges *tuos*; ita G, S, vulg.; eodemque modo corrigendum censet hebr. *Frank.*, ubi legitur : ad greges scil. tibi comparandos, quasi esset adhortatio ad possessiones augendas, quale monitum a mente Sapientis videtur alienum. Eccli. 7,24 pecora tibi sunt? attende illis. Et ratio affertur v. 24 quia non in perpetuum thesaurus (hebr.); possessio non in infinitum durat; curandum est, ut decrementis nova provideantur incrementa;

ipso usu, rebus adversis, furto, multa pereunt; ergo continuo laborandum erit, ut inopia arceatur; res esse fluxas et instabiles variasque cerni fortunarum vicissitudines : *non enim habebis iugiter potestatem,* i. e. possessionem, demonstratur eo quod ne corona regia seu sceptrum quidem maneat in eadem stirpe seu familia : num diadema in generationem et generationem (hebr.)? num diadema manet de generatione in generationem? vulg. eodem sensu, sed affirmative : *sed corona tribuetur in generationem et generationem,* in aliam et aliam transibit stirpem, familiam.

Sententia in v. 25 enuntiatur a G per imperativum ἐπιμελοῦ adhibe curam graminibus in campo et attondebis herbam et congrega pabulum montanum; alii censent ibi describi quae per anni cursum fieri solent : hebr. aufertur foenum et apparet herba viridis (suboles) et colliguntur pabula de montibus. Ad quam acceptionem facile refertur vulg. v. 25 *aperta sunt prata et apparuerunt herbae virentes et collecta sunt foena de montibus*; recentiores tamen malunt sententiam explicare protasin seu sententiam conditionalem ad v. 26 si disparuit gramen et apparet herba recens et si collecta sunt pabula montium, v. 26 *agni* (tibi serviunt) *ad vestimentum tuum* (ita *Wild. Frank.*). At mihi videtur nexus plane deficere inter protasin et apodosin, sive explicaveris *si* disparuit, sive *quando*; nam quae dicuntur v. 26,27 neque conditione neque tempore dependent a v. 25; *et hoedi ad agri pretium* habendum inserviunt; et in hebr. pergitur : et sufficiens lac caprarum (habebis) ad victum tuum et ad victum domus tuae et ad nutrimentum ancillis tuis. In G nexus statuitur hic : v. 25 curam habe etc. v. 26 ἵνα ἔχῃς πρόβατα εἰς ἱματισμόν, ut habeas oves ad vestimentum; in S nexus aliquis non indicatur. Rem bene explicat *Ians.* : « his versibus tribus insinuatur commoditas et fructus vitae pastoralis; primo enim versu indicatur, quam facile parentur ea, quae ad pecorum nutritionem et sustentationem sunt necessaria, ac dein duobus aliis versibus indicatur, quomodo ex pecoribus homini proveniant quae ad vestitum et victum sunt necessaria. »

« Demonstrat quam facile a Deo et natura parvo vel nullo labore hominis paretur cibus gregibus, ut eorum pastum et artem pastoritiam commendet a facilitate; mox eandem commendaturus a fructu et utilitate » (*Lap.*), uti in v. 27 hebr. sufficientia lactis in cibum etc. quod in vulg. per modum exhortationis exhibetur : *sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos et in necessaria domus tuae et ad victum ancillis tuis*; simplex vivendi modus describitur, qui satis discrepat a cibo Salomonis eiusque aulae 3 Reg. 4,22. 23; simplex victus commendatur quoque Eccli. 29, 28 et 39,31. Uti βίος vita et victus dicitur, ita חיים

quoque saltem hoc loco; similiter quandoque adhibetur vita (reperire sibi vitam).

28,1. *Fugit impius nemine persequente;* | *iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* 2. *Propter peccata terrae multi principes eius;* | *et propter hominis sapientiam et horum scientiam quae dicuntur, vita ducis longior erit.* 3. *Vir pauper calumnians pauperes* | *similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* 4. *Qui derelinquunt legem, laudant impium;* | *qui custodiunt, succenduntur contra eum.* 5. *Viri mali non cogitant iudicium;* | *qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* 6. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua,* | *quam dives in pravis itineribus.* 7. *Qui custodit legem filius sapiens est;* | *qui autem comessatores pascit confundit patrem suum.* 8. *Qui coacervat divitias usuris ex foenore,* | *liberali in pauperes congregat eas.* 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem,* | *oratio eius erit exsecrabilis.* 10. *Qui decipit iustos in via mala,* | *in interitu suo corruet* | *et simplices possidebunt bona eius.* 11. *Sapiens sibi videtur vir dives,* | *pauper autem prudens scrutabitur eum.* 12. *In exsultatione iustorum multa gloria est;* | *regnantibus impiis ruinae hominum.* 13. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur,* | *qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* 14. *Beatus homo qui semper est pavidus,* | *qui vero mentis est durae corruet in malum.*

Describitur impius in oratione Eliphaz (Iob 15,21) : sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Et similiter dicit Sapiens v. 1 *fugit impius nemine persequente,* conscientia peccati rea timida res est (*Calm.*); cf. 14,32; tale Deus quoque minatus est populo inobedienti : fugietis nemine persequente (Lev. 26,17. 36 dabo pavorem in cordibus eorum; cadent nullo persequente) et Sap. 17,10 cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim praesumit saeva perturbata conscientia. Aliter vero se habet iustus : hebr. iustus quisque autem quasi leo confidit, et vulg. explicat : *confidens absque terrore erit*; iustitia enim est libera, animosa, iustosque facit generosos, animosos; et parit bonam securamque conscientiam; iusti sciunt se Deo caros ab eo protegi (Ps. 90,1). Ut leo qui est fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum (30,30), sese securum sentit; nam leo rugiet, quis non timebit (Am. 3,8).

Vae regno multis lacerato principibus (*Calm.*) v. 2 *propter peccata terrae multi principes eius,* ubi facinora impune perpetrantur, iura conculcantur, facile inveniuntur qui seditione facta potestatem sibi arrogant, mox denuo ab alio deturbandi. Nam iustitia firmabitur thronus regis remota impietate (25,4); ergo a contrario iniquitatibus corruunt throni. Exemplum cernitur in regno Israel, ubi per rebelliones et perturbationes plures brevissimo tempore regnum obtinebant; Zambri v. g. per septem dies, Zacharias per sex menses, Sellum uno mense; alii per duos annos etc. Alter stichus ex hebr. verti po-

test : sed per virum prudentem, gnarum, ius (rectum) diu manet; aliquid simile praebet vulg. : *et propter hominis sapientiam et horum scientiam quae dicuntur, vita ducis longior erit;* si dux est sapiens et notitiam habet eorum quae in civitate fiunt, tunc spes erit, ut diu regnet, spes scil. ex parte Dei (ob sapientiam i. e. probitatem), spes ex parte hominum, qui ei ob curam rerum faventes non insidiabuntur. S hunc stichum ita effert : et homines iusti qui norunt rectitudinem durabunt. Sensus et concinnitas huius distichi multum desideratur; neutrum perspicuum est. Sententiam facilem et accommodatam praebet G δι' ἁμαρτίας ἀσεβῶν κρίσεις ἐγείρονται, ἀνὴρ δὲ πανοῦργος κατασβέσει αὐτάς, propter peccata impiorum lites suscitantur; vir autem astutus exstinguet eas; ad quem sensum textus hebr. emendandus erit.

Quam noxia sit oppressio, exhibetur v. 3 *vir pauper calumnians* (i. e. opprimens) *pauperes similis est imbri vehementi,* hebr. (est) praeceps pluvia et non panis; pluvia exspectatur ad segetes maturandas; pluvia inundans et segetes prosternens adducet famem. Si cum hebr., S, vulg. retinetur : vir pauper opprimens, explicandum erit cum *Lap.* : haec gnome tangit eum, qui cum pauper sit praeficitur aliis sive ut gubernator, censor, praetor, qui ut suam paupertatem alienis bonis levet et famem opum expleat, alios usque ad ossa expilat. Sed melius corrigitur secundum G (ἀνδρεῖος ἐν ἀσεβείαις) vir potens et impius, id quod magis etiam ad notionem גבר congruit. Talis debebat protegere, adiuvare pauperes; at impius ille fortis eos penitus spoliat, sicut pluviarum torrentes et segetes et humum destruunt. Qui beneficus esse debuit fit quam maxime noxius.

Diversa hominum ad legem habitudo assignatur v. 4 *qui derelinquunt legem,* seu institutionem, doctrinam traditam, *laudant impium,* gaudent enim quod habeant sibi similes in negligentia et contemptu legis et illis laudibus alios quoque asseclas comparare volunt; aliter *qui custodiunt, succenduntur contra eum,* contendent, pugnabunt contra impium; obsistent zelo magno, ne ista derelictio legis latius serpat; eam reprimere et coarctare conantur.

Pii Dei cultores bene cognoscunt ius et rectum v. 5 *viri mali non cogitant,* non intelligunt *iudicium* id quod rectum est, quod iure et iustitia et suis cuiusque officiis et muneribus exigitur; quasi sensum recti amiserunt; caecutiunt in diiudicando quid sit aequum et iustum; *qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia,* intelligunt omnia, in singulis conditionibus bene norunt quid sit rectum; in suis rebus omnia (iusta, quae ipsis praestanda sunt, quae vitanda) perspiciunt; lucerna pedibus meis lex Domini (cf. Ps. 18. 118); similiter

scribit Ioannes fidelibus : nostis omnia (1 Ioan. 2,20); item Eccl. 8,5 cor sapiens scit rectum et tempus (hebr., quid et quando agendum sit). — Pauper qui probus est multum praestat prae divite impio v. 6 *melior est pauper ambulans in simplicitate sua*; cf. 19,1; cuius conversatio, vita est integra, pia, rectum servans sine duplicitate aut hypocrisi, *quam dives in pravis itineribus,* prae perverso quoad duas vias (hebr.), perversus relinquens viam bonam et incedens per viam pravam, quasi duplici modo perversus, et hic dives; cf. infra v. 18 et Eccli. 2,14 vae peccatori terram ingredienti duabus viis, et 3 Reg. 18,21 claudicare in duas partes; vel perversus est quia per hypocrisin simulat se ingredi per bonam viam, dum re vera incedit per pravam.

Fuge helluones v. 7 *qui custodit legem, filius sapiens est,* et talis patri affert honorem et gaudium; cf. 10,1; *qui autem comessatores pascit,* cum helluonibus conversatur, consuetudinem habet, *confundit patrem suum,* ei ignominiam affert; cf. 13,20 רעה, 27,11 et 29,3. — Custoditur iusto substantia peccatoris, uti dicitur 13,22 atque similiter v. 8 *qui coacervat divitias usuris et foenore,* G μετὰ τόκων καὶ πλεονασμῶν, foenus תרבית, cf. Lev. 25,35 ne accipias usuras ab eo nec amplius quam dedisti; refertur id v. g. ad frumentum, quod mutuo acceptum est, ne maior quaedam mensura postuletur a foeneratore; *liberali in pauperes congregat eas*; opes iniuste acquisitae non foeneratori manent, sed Dei providentia disponente tandem transibunt ad virum iustum et liberalem in pauperes; ita quae a pauperibus iniuste exacta sunt, Deo providente pauperibus restituentur. Deus itaque avaros et usurarios in rerum inopiam incidere sinet ad puniendam iniustitiam; cf. Eccli. 2,26 peccatori dedit curam superfluam, ut addat et congreget et tradat ei qui placuit Deo; Iob 27,16, si comportaverit (impius) quasi terram argentum et sicut lutum praeparaverit vestimentum, praeparabit quidem, sed iustus vestietur illis et argentum innocens dividet. Ita quidem secundum notionem de Dei norma popularem.

Populus iste labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est a me (Is. 29,13. Matth. 15,8); verum qualis censeatur a Domino glorificatio haec, declaratur v. 9 *qui declinat aures suas, ne audiat legem,* imo oratio eius abominatio hebr.; cf. 15,8; 21,27; Deus quasi par pari refert; sicut homo Deum spernit loquentem per legem, ita vicissim Deus abhorret loquentem per orationem; oratio coniuncta cum affectu peccati videtur potius irrisio Dei, cum eodem actu dicatur : volo Deum invocare et colere, volo eundem offendere. Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum (Ps. 49,16)? cf. 1,28.29. Ps. 108,7. — Qui fodit

foveam, incidet in eam (26,27), applicatur in v. 10 qui errare facit iustos in viam malam, in foveam suam ipse cadet; ita hebr.; qui aliis malum, insidias parat, ipse sua malitia capietur. Exemplum illustre est, scribit *Lap.*, in Laban, qui volens circumvenire Iacobum per pacta nova et iniqua iisdem Dei nutu circumventus est; tertius stichus in hebr. fert : et integri hereditabunt bonum. In vulg. cum legatur additum *eius,* alius sensus exoritur : *qui decipit iustos in via mala,* qui decipere conatur fraude aliqua, vel dolo, per consilium vel machinationem, ut scil. bona decepti sibi arripiat, *in interitu suo corruet,* ipse per artem et fraudem illam amittet opes suas, et *simplices possidebunt bona eius*; exemplum habes in Aman, qui per fraudem Iudaeos spoliare voluit, et ipse sua molitione periit; cf. 2,21. A fraudulento consiliario serva te, monet Eccli. 37,9, ne forte mittat sudem in terram et dicat tibi : bona est via tua, et stet a contrario videre quid tibi eveniat. Interitum quem adversarii Danielis ipsi Danieli parare volebant, non Daniel, sed eius calumniatores experti sustinuerunt (Dan. 6,24).

Prudentia melior est divitiis v. 11 *sapiens sibi videtur vir dives,* sapiens in oculis suis vir dives; nam opes addunt diviti animos, ut putet se prae aliis sapere; praesertim quia a vulgo magnus et excęlsus praedicatur (*Lap.*); divitiis gigni animum superbum satis frequenter experientia docetur; *pauper autem prudens scrutabitur eum*; cf. 20,5; pauper vel homo inferioris conditionis (heb. דל) sagax facile perspiciet qualis ille revera sit, eiusque consilia et occultas machinationes prudenter coniectando deprehendet, ut 18,17 dicitur : investigabit eum. Fere repetitur ex 11,10.11 sententia in v. 12 *in exsultatione iustorum multa gloria est,* si probitas et pietas floret in republica, iubilant iusti; iidem exsultant, dum prosperum successum habent a Domino et etiam, cum impietas removeatur; in hac rerum conditione ubique est laetitia, seu quidam quasi splendor et magnificentia, dęcor (cf. hebr.); cf. 29,2; *regnantibus impiis ruinae hominum*; si impii consistunt et ius obtinent, vae aliis. Pro hebr. explorabitur homo, alii vertunt : abscondentur homines, cf. v. 28; alii emendant : trement homines (יחפזו) vel in carcerem coniicientur (חפּשׂ = חבשׁ; cf. *MK.*).

Quomodo peccator consequatur misericordiam, docetur v. 13 *qui abscondit scelera sua, non dirigetur* non prosperum successum habebit; *qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequitur*; declaratur idem Ps. 31,5 « delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi et dixi : confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei »;

cf. Iob 31,33. Ideo Eccli. 8,6 vetatur, ne quis homini avertenti se a peccato improperet. — In timore incolatus vestri tempore conversamini (1 Petr. 1,17); idem monet Sapiens in v. 14 *beatus homo qui semper est pavidus*, qui sese continet in timore ac reverentia Dei, ita ut caveat a neglectu mandatorum Dei; *qui vero mentis est durae*, hebr. obdurans cor suum, *corruet in malum*; cf. Ps. 94,8 hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Duro corde est contumax, qui noscens legem eam spernit; cf. Iob 21,14 qui dixerunt Deo : recede a nobis; et scientiam viarum tuarum nolumus; quis est Omnipotens, ut serviamus ei? Ita obduravit cor Pharao (Ex. 7,13. 23; 8,15 etc.); Eccli. 3,27 cor durum habebit malum in novissimo.

15. *Leo rugiens et ursus esuriens, | princeps impius super populum pauperem.* 16. *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam, | qui autem odit avaritiam, longi fient dies eius.* 17. *Hominem qui calumniatur animae sanguinem, | si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.* 18. *Qui ambulat simpliciter salvus erit; | qui perversis graditur viis, concidet semel.* 19. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; | qui autem sectatur otium, replebitur egestate.* 20. *Vir fidelis multum laudabitur, | qui autem festinat ditari, non erit innocens.* 21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit, | iste et pro buccella panis deserit veritatem.* 22. *Vir qui festinat ditari et aliis invidet, | ignorat quod egestas superveniet ei.* 23. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, | quam ille qui per linguae blandimenta decipit.* 24. *Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre et dicit hoc non esse peccatum, | particeps homicidae est.* 25. *Qui se iactat et dilatat, iurgia concitat; | qui vero sperat in Domino sanabitur.* 26. *Qui confidit in corde suo stultus est, | qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.* 27. *Qui dat pauperi non indigebit; | qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* 28. *Cum surrexerint impii, abscondentur homines; | cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.*

Describitur dominator iniquus v. 15 *leo rugiens et ursus esuriens*, invadens, *princeps impius super populum pauperem*; cf. 16,14; 19,12; 20,2; Soph. 3,3 principes eius quasi leones rugientes, iudices eius lupi. Talis indolis se ostendit Roboam minis suis : minimus digitus meus grossior est dorso patris mei; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem caedam vos scorpionibus (3 Reg. 12,10. 11). Item princeps insipiens proponitur v. 16 dux carens intelligentiis (et)[1] magnus oppressionibus; i. e. stultus et maxime violentus; ita ex hebr.; idem vulg. *dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam*, vexatione; nota calumniam dicere vexationem, oppressionem. Quo quis stultior est, eo quoque arrogantior esse solet in usu potestatis; *qui odit avaritiam*, lucrum scil. iniustum, prolongabit dies, diu vivet; longa vita merces promittitur iustis (Deut. 5,16. Is. 65,20).

1. Dele *et* ex G et explica : dux parvus intelligentia magnus est oppressionibus.

Homo noxius festinabit ad perniciem suam v. 17 homo oppressus sanguine animae ad foveam fugiet; ne fulciatis eum; ita hebr.; estne sermo de homicida? Qui in psalmis dicuntur viri sanguinum (Ps. 5,7; 25,9; 54,24; 58,3; 138,19) opponuntur (in parallelismo membrorum) operantibus iniquitatem et loquentibus mendacium, vel impiis, peccatoribus; et vir sanguinum et dolosus dicitur abominationi esse Domino. Vexatio et oppressio aliorum caedibus comparatur : comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt et ossa eorum confregerunt et conciderunt in lebete (Mich. 3,3; cf. Ps. 41,11; 140,7. Is. 38,13. Lam. 3,4 contrivit ossa mea; Iob 19,22; Ps. 26,2). Quibus exemplis satis constat, non de solo homicida esse cogitandum, verum generatim de eo qui alios plurimum molestiis afflixerit et qui ex norma retributionis divinae se ipsum in ruinam et perniciem proiiciet; nam « panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est; qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum » (Eccli. 3,4 25). Talis itaque relinquatur iustae poenae. Qui de homicida interpretantur qui fugam arripuerit, scil. ut e potestate ultoris sanguinis evaderet, explicant hebr. aut : ne retineatis eum, ut scil. possit securus aufugere; aut e contrario : ne adiuvetis eum, ut scil. in manus ultoris incidat. Verbum quippe תמך hac duplici notione usurpatur. In vulg. autem enuntiatur eiusmodi hominem omnibus esse exosum et intolerabilem; *hominem qui calumniatur animae sanguinem*, qui opprimit vitam hominis, *si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet*; explicat *Calm.* : si se proiiciat in lacum, nemo ei manum porriget; homicidam ita esse exosum omnibus, ut lucem fugiens in antra se abdat, *Lap.* existimat. Ceterum cf. 12,6; 24,11. G praebet ἐγγυώμενος, legit itaque non עד בר, sed ערבו id quod *de Lagarde* restituit.

Fere recolitur sententia 10,9 et 11,5 proposita in v. 18 *qui ambulat simpliciter, salvus erit,* qui recte vivit, experietur opem divinam; *qui perversis graditur viis* (cf. v. 6 hebr.), *concidet semel,* vel verte hebr. concidet in una scil. ex illis viis perversis; varias artes et fraudes adhibet; una ex illis tandem eum perdet. Alii suspicantur in באחת aramaismum, penitus, subito. S fert : cadet in foveam; eodem modo בשחת emendant textum *Bickell,* aliique (cf. *MK.*). — Commendatur, uti 24,27, agricultura v. 19 *qui operatur terram suam, satiabitur panibus*; cf. 12,11, *qui autem sectatur otium,* persequens res inanes, *replebitur egestate,* hebr. satiabitur paupertate; cf. 24,33. 34. Eccli. 7,16; 20,30.

Cave ab avaritia v. 20 *vir fidelis multum laudabitur,* hebr. multus (magnus, copiosus) benedictionibus, qui fidelis est et probus in suis

negotiis, cumulabitur rerum copia et opibus ditescet : *qui autem festinat ditari, non erit innocens*; ut famem opum expleat, fraudes committet; cf. 20,21; 23,4; nam qui divites fieri volunt incidunt in tentationem et laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva quae mergunt hominem in interitum et perditionem (1 Tim. 6,9). — Pariter cavendum est a partium studio v. 21 *qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit*, non est bonum, cognoscere faciem i. e. rationem habere personarum, ita hebr., uti legebatur 24,23; conqueritur Sapiens quod invenirentur qui pro minima re ius prodant : *iste et pro buccella panis deserit veritatem,* hebr. delinquit; si ad partium studium minimum accedat munusculum, iam saepe ius relinquitur; simile quid reprehenditur Ez. 13,19 : et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis; ceterum cf. 18,5. Deut. 1,17; 16,19.

Opes male partae male dilabentur v. 22 *vir qui festinat ditari et aliis invidet* vir oculi mali, hebr. cf. 23,6; 20,21, *ignorat quod egestas superveniet ei*; nam, uti dicitur 23,4 opes facient sibi pennas et avolant; idque eo magis eveniet, quia cum illo vehementiore studio ac festinatione et cum animo invido et avaro iam non potest consistere divina benedictio, sed potius ultio provocatur; cf. Eccli. 11,20.

Satius est corrigere quam blandiri v. 23 *qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis* quam blandiens lingua (hebr.); cf. 25,12; 27,5; ab initio correptio haud placet; at qui ea corrigitur, mox grato animo eius recordatur; adulator autem celans defectus et laudans vitia ruinam alterius praeparat; de spreta correptione cf. 5,11 seq. Valet, quod 27,6 dicitur : meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. G praebet ὁ ἐλέγχων ἀνθρώπου ὁδοὺς, unde simul nobis praebetur emendatio obvia pro hebr. אחרי, nam quod aliqui vertunt : qui corripit hominem retrorsum gradientem, neque voci neque sensui congruit. Cave, parentes in quapiam re ne defraudes v. 24 hebr. spolians patrem suum et matrem suam et dicens : non est iniquitas, iste socius est viri perniciosi; tangitur iniquitas filii, qui in bona paterna successit et parentibus debitam sustentationem imminuit et subtrahit eo scil. praetextu, quia ipse sit possessor; est itaque casus similis illi, de quo Christus reprehendit pharisaeos et scribas (Marc. 7,11-13); vulg. bene sensum refert : *qui subtrahit aliquid, particeps homicidae est*; nam qui victum surripit, ipsam aggreditur vitam (cf. Eccli. 34,25-27); vide 19,26 et Eccli. 3,18.

Iurgia excitare dicitur in v. 25 latianimis, *Sym.* πλατύψυχος, vir avidus, cupidus; *qui se iactat et dilatat,* hebr. latus anima i. e. cuius

cupiditas seu aviditas est valde ampla, *iurgia concitat*; si quis eius aviditati obsistit, vel si sperat litigatione se posse quidquam acquirere, facillime provocat contentiones homo cupidus. Ei opponitur is qui haud frustra cupit ac desiderat : fidens in Iahve impinguabitur, hebr.; abunde satiabitur; minus exprimit vulg. *qui vero sperat in Domino, sanabitur,* a vano desiderio sanabitur accipiens vera bona et benedictionem a Domino; cf. 11,25 anima quae benedicit impinguabitur; 16,20 qui sperat in Domino beatus erit.

Ne innitaris prudentiae tuae (3,5), etiam fortius inculcatur in v. 26 *qui confidit in corde suo,* qui suae intelligentiae fidit, hic *stultus est*; cf. 14,16; aliorum sententias atque consilia petere, audire, sapientis ac providi viri est; ea negligere seu spernere hominis est stupidi vel superbi simul et stulti; *qui vero graditur sapienter, ipse salvabitur*; qui prudenter inquirit et ab aliorum experientia, cognitione, sapientia discit, is facilius pericula evitabit; sapienter cumprimis is incedit seu vitam agit, qui pius est Dei cultor; qui itaque Deo protegente iure sperare poterit se ereptum iri a periculis; cf. 10,29; 14,26; 18,10. Ps. 60,4; 90,1-14.

Eleemosynas dare est ditescere v. 27 *qui dat pauperi, non indigebit,* non experietur penuriam seu inopiam; is scil. ex iis est qui dividunt propria et ditiores fiunt (11,24); qui enim dat pauperi, foeneratur Domino (19,17; 22,9); verum velans oculos suos, multis maledictionibus onerabitur, seu copiosus seu dives erit maledictionibus; oppositum erit ad v. 20 hebr.; pauper scil. cum eius precibus et inopiae ne minima quidem attentio impendatur (oculi velantur, ne aspectus pauperis diviti molestus evadat), durum illum ac crudelem diris prosequetur; cf. 11,26 et Eccli. 4,5 ab inope ne avertas oculos tuos... maledicentis enim tibi in amaritudine animae exaudietur deprecatio illius. In vulg. potius exprimitur id quod G habet ἐν πολλῇ ἀπορίᾳ ἔσται, *qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam*; ei deerit Dei benedictio et iure quodam talionis, quia indigentibus non opem tulit, ipse indigentiam experietur. — Callidus vidit malum et abscondit se (22,2), ita v. 28 *cum surrexerint impii, abscondentur homines*; si impii potestate valent et dominantur, fugiunt et abscondunt se homines, ut illorum tyrannidem, vexationes, oppressiones declinent : « sic regnante Achab cum sua Iezabel absconditi sunt prophetae Domini in speluncis » (*Lap.* 3 Reg. 18,4); *cum illi perierint, multiplicabuntur iusti*; cf. 11,10; hebr. ירבו melius explicabis : magni seu potentes erunt iusti; impiis iusto Dei iudicio deiectis vel fortitudine bonorum remotis, iusti potientur auctoritate bonoque communi consulent; cf. v. 12; 29,2.

29,1. Viro qui corripientem dura cervice contemnit, | repentinus ei superveniet interitus, | et eum sanitas non sequetur. 2. In multiplicatione iustorum laetabitur vulgus; | cum impii sumpserint principatum, gemet populus. 3. Vir qui amat sapientiam, laetificat patrem suum; | qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. 4. Rex iustus erigit terram; | vir avarus destruet eam. 5. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, | rete expandit gressibus eius. 6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus; | et iustus laudabit atque gaudebit. 7. Novit iustus causam pauperum; | impius ignorat scientiam. 8. Homines pestilentes dissipant civitatem; | sapientes vero avertunt furorem. 9. Vir sapiens si cum stulto contenderit, | sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. 10. Viri sanguinum oderunt simplicem; | iusti autem quaerunt animam eius. 11. Totum spiritum suum profert stultus; | sapiens differt et reservat in posterum. 12. Princeps qui libenter audit verba mendacii, | omnes ministros habet impios. 13. Pauper et creditor obviaverunt sibi, | utriusque illuminator est Dominus. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, | thronus eius in aeternum firmabitur.

In v. 1 bene sensum expressit vulg.; nam hebr. vir correptionum, est vir qui multas correptiones expertus est, uti v. g. vir dolorum (Is. 53,3), duram faciens cervicem, subito conteretur, neque est sanatio; hanc accusationem per Ieremiam Deus profert contra populum : non audierunt me nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam (Ier. 7,26; 17,23; 19,15). Hominem itaque contumacem, *qui corripientem dura cervice contemnit,* Deus subito sinit ruere in exitium, ex quo iam non emerget; « sic Ophni et Phinees luxuriose viventes saepe correpti ab Heli patre suo, cum nihilominus in scelere perseverarent, ambo uno die repente in proelio occisi sunt 1 Reg. 4,11 » (*Lap.*). Correptiones non esse negligendas saepius monetur; cf. 12,1; 13,18; 15,5. 10; 28,14. In v. 2 repetitur sententia 11,10; 28,12. 28 proposita et ut ad 28,28 notatum est, verbum רבה potius intelligendum erit non de *multiplicatione iustorum*, sed de eorum possessione potestatis; ita habetur oppositio ad *principatum* impiorum, sub quo *gemet populus,* dum sub potestate iustorum *laetabitur vulgus.*

In v. 3 fere effertur quod 10,1 et 28,7 dictum est : *qui amat sapientiam laetificat patrem suum, qui autem nutrit scorta* vel cum iis conversatur, iis adhaeret, cf. רעה 28,7, *perdet substantiam*, opes; cf. 5,10 et Eccli. 9,6 ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hereditatem tuam. — Iustitiam in omnibus servans rex prosperitatem terrae conciliabit, v. 4 *rex iustus,* rex per ius (iustitiam, iudicium) *erigit terram*; vir tributorum i. e. qui plurima tributa imponit, *destruet eam*; cf. 16,12; 25,5; qui tributis gravat populum, in vulg. nominatur *avarus*; de voce תרומה cf. Ez. 45,13; alias dicitur de donis sacris; G fert generatim ἀνὴρ δὲ παράνομος, S iniquus. Sed in oppositione ad regem in iustitia bene sermo infertur hebr. de viro tributorum, de exactore tributorum.

Cave ab adulatoribus v. 5 : vir blandiens amico suo, *rete expandit gressibus eius*; ita hebr.; vulg. pluribus explicat blandiri. Blanditiis enim efficitur, ut ille se putet maiorem vel meliorem quam revera est, ut nimia securitate et confidentia agat, ut vitia quae adulator excusat non deponat, et ita tandem quasi illaqueatus corruat; cf. 11,9; 28,23. Res noxia est peccatum v. 6 *peccantem virum iniquum involvet laqueus*, in peccato viri iniqui est laqueus hebr.; peccatum affert damnum, ruinam cf. 12,13; 18,7; 22,25; *et iustus laudabit*, iubilabit *atque gaudebit*, gaudet scelera puniri videns, gaudet quia se a Deo protegi certo confidit; facit enim iustitia laetam conscientiam. Praebet S vir malus in facinore captus est; dein alter stichus exponit gaudium iusti de iusto Dei iudicio; ad quem sensum vulg. *involvet* facile reducitur. Alii parva mutatione facta (פשׁע, ירוץ) sensum eliciunt : ad gressum hominis impii laqueus (ubi graditur, laqueus est), iustus autem curret et laetabitur (currit securus et gaudens; cf. *Del. MK.*).

Quod Iob de se affirmat (Iob 29,12. 13) id a iusto praestari Sapiens quoque asserit v. 7 *novit iustus causam pauperum*, litem et causam forensem pauperum, hominum inferioris conditionis cordi habet, eamque tuetur; cf. 12,10 et Eccli. 4,9 libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi; *impius ignorat scientiam*, talem notitiam et curam impius non intelligit (cf. ידע et דעת); impio ne in mentem quidem venit, illis esse opem ferendam; ita accusantur principes et iudices : pupillo non iudicant et causa viduae non ingreditur ad illos (Is. 1,23). — Ore impiorum subvertetur civitas (11,11), similiter in v. 8 *homines pestilentes*, irrisores, *dissipant civitatem*, concitant civitatem, incolas; irrisionibus suis pacem perturbant, alios contra alios inflammant, rixas excitant; cf. 15,1. 18; Eccli. 28,17 lingua susurronis civitates muratas divitum destruxit et domos magnatorum effodit; *sapientes vero avertunt*, sedant, *furorem*, tumultus placant, inimicitias exstinguunt.

Sultum doceri non posse declaratur v. 9 *vir sapiens si cum stulto contenderit*, disceptat, *sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem*, sive serio agat, sive ioco, sive seriis verbis iustam suam indignationem ostendat, sive ridendo declaret se contemnere illius improbitatem, sive dure cum illo agat, sive blande et benigne (*Lap.*), non erit requies, stultus nunquam acquiescet, corrigi seu doceri non potest; semper contradicet et animo contumaci suae inhaerebit sententiae. Alii monent irasci, ridere sapientem minime decere; unde sensum esse : disceptante iusto cum stulto, sultus et excandescit et ridet, neque quiete audire potest rationes sapientis. Sed רגז Is. 28,21

et שׂחק Ps. 2,4; 37,13; 59,9 etiam dicitur de Deo; unde bene de sapiente quoque usurpari potest. Etiam G refert verbum irasci ad stultum, sed ratio est in aperto; nam priorem stichum sic praebet ἀνὴρ σοφὸς κρίνει ἔθνη iudicat gentes. S : et irascit et ridet, et non conteritur (similiter corrigit *Frank.* et vertit : auf den macht es keinen Eindruck).

Describuntur impii uti 1,11, in v. 10 *viri sanguinum oderunt simplicem*, viri oppressores, violenti; vide ad 28,17; *iusti autem quaerunt animam eius*; aliter S : et iusti amant eum, quae est bona oppositio ad oderunt. Verum G quoque praebet, uti hebr. et vulg. quaerere animam; at animam alicuius quaerere est vitae eius insidiari; vide Ex. 4,19. 1. Sam. 20,1. Ps. 39,15; 53,5. Ier. 4,30; 11,21; 19,7. 9; 21,7; 22,25; 34,20; 38,16 etc. neque unquam sensu bono adhibetur. Quare hoc loco textus emendetur oportet. Proponitur secundum Ez. 34,11 legendum esse יבקרו iusti curam habent animae eius; vel mutant subiectum : et impii quaerunt animam eius; *Bickell* recurrit ad vocem syram נפשׁאא : iusti quaerunt refectionem, seu iuvamen eius. Aliis placuit assumere hoc tandem loco *quaerere animam* dici sensu bono : curam eius habere.

Fatuus statim indicat iram suam (12,16); similiter in v. 11 *totum spiritum suum profert stultus* ὅλον τὸν θυμὸν αὐτοῦ, totum iram suam profert insipiens; cf. 14,29 qui impatiens est exaltat stultitiam suam; in altero sticho hebr. : et sapiens postea placabit eum; dicitur שׁבח Ps. 65,8 et 89,10 de fluctibus mitigandis; G σοφὸς δὲ ταμιεύεται κατὰ μέρος, coercet iram; non uti stultus statim omnibus pandit. Quare *Frank.* lectionem ex G יחשׂך pro hebr. commendat utpote aptiorem. Quam notionem in bona oppositione ad stichum priorem, etiam vulg. praebet : *sapiens differt et reservat in posterum*; qua versione sententia non de ira solum, verum de omni animi affectione et mentis scientia intelligi potest. Stultus primo impetu seu aestu se abripi sinit; at prudens magna cum consideratione agit ratione habita temporis et rerum conditionum (Eccli. 20,7).

Secundum iudicem populi, sic et ministri eius (Eccli. 10,2); regis ad exemplum totus componitur orbis v. 12 *princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios*; si princeps calumnias et falsas accusationes libenter audit, facit ut ministri tales quaerant et fingant, ut ei placeant (*Lap.*) et si princeps calumniatoribus aures praebet, isti eum obsident et curabunt longe removere viros probos, nec sinent accedere ad regem nisi impios, sui similes (*Calm.*). — Fere ut 22,2 legitur in v. 13 *pauper et creditor,* hebr. vir oppressionum? *obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus,* hebr. oculos

amborum illuminat Dominus; uterque vivit et videt, quia Dominus vitam visumque dedit et conservat; cf. Iob 31,15. Legitur תֹּךְ Ps. 10,7 (δόλος, dolus); 55,12 et 72,14 (τόκος, usura). Lumine oculorum suggeritur notio vitae seu luminis vitae; ita illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte (Ps. 12,4; 37,11) et ut revocet animas eorum a corruptione et illuminet luce viventium (Iob 33,30). Deus qui utrique vitam dat et conservat, utriusque opera considerat et ad trutinam revocat; quare pauper ne animum abiiciat, dives oppressor ne animum extollat, verum timeat.

Iustitia firmabitur solium (16,12) v. 14 *rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in aeternum firmabitur,* qui hominibus inferioris conditionis secundum veritatem ius dicit eorumque iura contra divites vindicat, se praebet regem iustum; hac autem iustitia et Deum sibi habet propitium protectorem et saniorem populi partem sibi devincit; unde regnum eius firmiter consistit; cf. 20,28; 25,5.

15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam, | puer autem qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam.* 16. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera; | et iusti ruinas eorum videbunt.* 17. *Erudi filium tuum et refrigerabit te | et dabit delicias animae tuae.* 18. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus, | qui vero custodit legem beatus est.* 19. *Servus verbis non potest erudiri, | quia quod dicis intelligit et respondere contemnit.* 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? | stultitia magis speranda est quam illius correptio.* 21. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, | postea sentiet eum contumacem.* 22. *Vir iracundus provocat rixas, | et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* 23. *Superbum sequitur humilitas | et humilem spiritu suscipiet gloria.* 24. *Qui cum fure participat, odit animam suam; | adiurantem audit et non indicat.* 25. *Qui timet hominem cito corruet; | qui sperat in Domino sublevabitur.* 26. *Multi requirunt faciem principis, | et iudicium a Domino egreditur singulorum.* 27. *Abominantur iusti virum impium, | et abominantur impii eos qui in recta sunt via.*

Verbum custodiens filius extra perditionem erit.

Inculcatur norma educationis iam saepius tradita (13,24; 19,18; 22,15; 23,13) v. 15 *virga atque correptio tribuit sapientiam*; doctrina, praecepta, reprehensio requiruntur et sanctio quoque, scil. virga seu castigatio, ne defectus impuniti maneant; *puer autem* emissus hebr., qui quasi pro lubitu currere et agere sinitur, bene vulg. *qui dimittitur voluntati suae,* ignominiam affert matri suae; cf. 10,1; 17,21. Apposite monetur Eccli. 30,8 equus indomitus evadit durus et filius remissus evadit praeceps; et *Lap.* ait significari hac gnome puerum esse instar pulli equini; quare sicut pullus domatur freno, calcari, ut hero serviat, ita puer petulans et lascivus verbis et verberibus, correptione et castigatione, formari debet et coerceri. — Si impii auctoritate potiuntur, impietas quoque crescit v. 16 *in multiplicatione impiorum,* hebr.

potius explica : cum impii potentes fiunt; cf. v. 2, *multiplicabuntur scelera,* augescunt, crescunt etiam eo quod ob auctoritatem impiorum mores quoque impiorum maiorem habent aestimationem et vim, qua alii in eorum imitationem pertrahuntur. At ex stabili norma diu valere ac florere iniquitas non potest; *et iusti ruinas eorum videbunt*; quam subito impius quandoque corruat, describitur Ps. 36,35. 36; 90,8 retributionem peccatorum videbis. In hebr. ראה ב significare solet videre cum gaudio, libenter aspicere.

Repetitur monitum de educatione v. 17 *erudi,* castiga, *filium tuum et refrigerabit te,* recreabit te, *et dabit delicias animae tuae*; ita completur quod in v. 15 dictum est; nam filius sapiens laetificat patrem (10,1; 15,20; 23,15). Quid vero opus sit ad mores rite efformandos, satis indicatur v. 18 *cum prophetia defecerit, dissipabitur populus,* hebr. ubi non est visio; eiusmodi visio prophetis contingebat; docet itaque Sapiens opus esse superna quadam revelatione et institutione, qualis a Deo per prophetas tradita est; et ubi non est talis institutio, populus fit dissolutus, effrenatus. Eiusmodi visionem, seu prophetiam habent in lege sibi traditam; unde *qui vero custodit legem beatus est*; intelligi doctrinam et institutionem legis, quae per sapientes et doctores tradatur, apparet quoque ex G, ubi loco visionis habetur ἐξηγητής. Prosperitatem populi vitamque beatam unice haberi in custodia legis clare proponitur; lex autem est vera ipsa sapientia (cf. Eccli. 24,32).

De servo inobediente, seu contumace agitur in v. 19 *servus verbis non potest erudiri;* et qualis servus acrioribus modis sit erudiendus, cum monita non sufficiant, declaratur, quia intelligit et non respondet, non obedit (hebr.) S : scit enim se non vapulare; vel, uti explicatius vulg. fert : *quia quod dicis intelligit et respondere contemnit*; non agit quod tu vis. Nam si pro educatione et eruditione filii praeter verba etiam verbera requiruntur et commendantur (v. 15 etc.), cur non eo magis pro servo? cf. 10,13; 20,30; 23,13; 26,3. Et Eccli. 33,28 servo malevolo tortura et compedes proponuntur; verum : si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, et quasi fratrem eum tracta! — Contra praecipitem et turbulentum agendi modum dirigitur v. 20 *vidisti hominem velocem ad loquendum?* velocem in rebus suis; ita explica hebr.; spes erit stulto prae illo; stultus habet maiorem spem (de felici exitu negotiorum, de successu) quam ille; ita ex hebr.; et G γίνωσκε ὅτι ἐλπίδα ἔχει μᾶλλον ἄφρων αὐτοῦ, scito spem habere magis insipientem eo; vulg. *stultitia magis speranda est quam illius correptio,* maiorem de se correctionis spem praebet stultitia, quam velocitas illa ac praecipitantia (*Lap.*); facilius stultum corrigi posse sperabis quam praecipitem; nam praeceps continuo agit contra sanam

rationem, quam commendat Eccli. : sine consilio nihil facies (32,24). In eum sensum textum vulg. *Beda* quoque intellexit; scribit enim : « grave quidem vitium stultitiae, sed non levius est verbositatis. Nam saepe contingit, ut hebes aliquis et ipsarum quoque nescius litterarum citius verba salutiferae correptionis accipiat, quam is qui affluentia praeditus sermonis magis sua quae novit, vel quae se nosse autumat, iactanter proferre, quam dicta sapientum audire contendit ». Sic utique verba vulg. debent explicari, ut sensus habeatur cum hebr., G congruus. At satis aegre haec explicatio ad ipsa verba accommodatur; nam recte monet *Ians.* in vulg. potius dici : ab homine veloce exspectandam esse stultitiam magis quam correptionem.

In hebr. et vulg. sermo est de servo in v. 21 *qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem*; hebr. finis eius erit מנון quod nequit explicari; alii emendant מדון rixa (cf. *MK.*). Sententiam meliorem exhibet S : qui delicate nutritur ex pueritia sua, erit servus et in fine gemet; et G ὃς κατασπαταλᾷ ἐκ παιδὸς οἰκέτης ἔσται qui dissipat a pueritia, servus erit; ἔσχατον δὲ ὀδυνηθήσεται ἐφ' ἑαυτῷ novissime dolebit super se; et secundum haec *Frank.* textum hebr. corrigit; monetur itaque ne parvulus puer nimis delicate et molliter educetur; talis enim redigetur tandem in conditionem servilem et finis vitae erit miseria. Pertinet itaque haec sententia ad eas quae de educatione filiorum agunt; de educatione servorum nullibi sermo instituitur.

Fere ut 15,18 legitur in v. 22 *vir iracundus provocat rixas*; cf. 26,21; et in altero sticho hebr. et possessor excandescentiae (vir valde iracundus) multus praevaricatione, multa scelera committit, *erit ad peccandum proclivior*; aestus enim iracundiae pessimus est consiliarius. Ira viri iustitiam Dei non operatur (Iac. 1,20). — Qui se exaltat humiliabitur; v. 23 hebr. superbia viri humiliabit eum; idem alio modo exprimit vulg. *superbum sequitur humilitas,* post superbiam venit conditio abiecta; *et humilem spiritu suscipiet gloria,* potius hebr. et humilis spiritu firmiter tenebit gloriam, honorem cf. 16,19; 25,6.7. Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam (1 Petr. 5,5); Eccli. 10,17 sedes ducum superborum destruxit Deus et sedere fecit mites pro eis; radices gentium superbarum arefecit Deus et plantavit humiles; cf. Matth. 23,12; Luc. 14,11; 18,14.

Quomodo quis socius furis et furti efficiatur, ostenditur v. 24 *qui cum fure participat, odit animam suam,* odit se, sibi ipsi ignominiam et damnum infert; *adiurantem audit et non indicat,* hebr. imprecationem audit et non indicat; explicatio exhibetur Lev. 5,1, ubi dicitur : si quis audit vocem imprecationis et ipse testis fuit, eo

quod vidit aut aliunde didicit et non indicat, portabit iniquitatem suam, id est, reatum contrahet. Imprecatio illa profertur ab eo qui furtum passus est contra fures ignotos et eorum socios et adiutores. Qui audit imprecationem, debet indicare, si quid scit de scelere perpetrato aut eius auctoribus; si non indicat, socius est furis et maledicto illi imprecationis obnoxius erit (cf. *de Hummelauer* ad Lev. 5,1, Comment. p. 383). At plerumque intelligunt de iudice obtestante socium furis vel alios qui quidquam norunt, ut rem palam proferant. Verum in hebr. de obtestatione seu adiuratione non fit sermo, sed de exsecratione; et si socius furis (seu conscius furti eius) iam adstat coram iudice, cur Lev. 5,1 et nostro loco adeo explicite dicitur *audit?* in lege Lev. 5,1 vis in eo ponitur : si audit exsecrationem et non indicat; ergo non de iudicio publico sermo est, neque iudicis est obtestari omnes adstantes ut prodant si quid noverint. Exemplum exsecrationis matris quam filius audivit et seipsum indicavit, habes Iud. 17,2.

Timor hominum est noxius v. 25 *qui timet hominem, cito corruet,* hebr. tremor hominis dabit (efficiet, causa erit) laqueum, id erit, si quis ob timorem hominum vel bonum omittit, vel quidquam mali admittit; si famulus non audet obedientiam detrectare hero impia quaedam aut turpia mandanti. Apposite monetur Eccli. 7,6 : noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis et ponas scandalum in aequitate tua. Contra vanum timorem hominum suggeritur remedium : *qui sperat in Domino sublevabitur,* protegetur, securus erit; cf. 28,25; benedictus vir qui confidit in Domino et erit Dominus fiducia eius (Ier. 17,7). Dei favor exquiratur oportet v. 26 *multi requirunt faciem principis,* exquirunt eius gratiam, student ad eum appropinquare; cf. 19,6; at quid unusquisque sit et quae pars vel sors ei obtingat, hoc non a principe dependet, verum a Deo; *et iudicium a Domino egreditur singulorum,* in manibus tuis sortes meae (Ps. 30,16); quare facies Dei ambienda est, eius gratia et benevolentia exquirenda. Ita affertur ratio pro sententia antecedente v. 25; ideo qui timent homines corruent, qui vero sperant in Domino securi sunt, quia non hominum, sed Dei est suam cuique sortem distribuere; Deus autem sperantes in se amat, ideoque bonam eis sortem dispensat. Faciem alicuius requirere est eius ambire et captare benevolentiam; favor enim et benevolentia in facie vultuque sereno et benevolo apparet et resplendet (*Lap.*).

Quae societas luci ad tenebras (2 Cor. 6,14)? v. 27 *abominantur iusti virum impium,* hebr. abominatio iustorum vir iniuriae, et abomi-

natio improbi rectus via, *qui in recta sunt via,* qui iuste ac pie vivunt. Ad rem notat *Lap.* : concludit Salomon hac gnome suas parabolas, qua instar s. Augustini duas civitates constituit sibi contrarias, unam Dei, alteram diaboli, unam iustorum, alteram impiorum, inter quas perpetua est lis et bellum. Probitas ne improbitati victa succumbat, semper in armis excubare, et improbitatis satellites non tantum depellere sed et expellere nitatur oportet; est enim inter utramque internecinum odium et dissidium.

In vulg. adscripta est sententia quae apud G legitur post 24,22 λόγον φυλασσόμενος υἱὸς ἀπωλείας ἐκτὸς ἔσται, *verbum custodiens filius extra perditionem erit*; significatur quasi coronidis loco fructus et praemium parabolarum : quicumque praecepta haec et doctrinam opere exercet, evadet perditionem, id est, erit beatus.

30,1. ***Verba Congregantis filii Vomentis, | visio quam locutus est vir, cum quo est Deus, | et qui Deo secum morante confortatus ait :*** 2. ***Stultissimus sum virorum | et sapientia hominum non est mecum;*** 3. ***non didici sapientiam | et non novi scientiam sanctorum.*** 4. ***Quis ascendit in coelum atque descendit? | quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? | quis suscitavit omnes terminos terrae? Quod nomen est eius | et quod nomen filii eius, si nosti?*** 5. ***Omnis sermo Dei ignitus, | clypeus est sperantibus in se;*** 6. ***ne addas quidquam verbis illius, | et arguaris inveniarisque mendax.***

Inscriptionem verte ex hebr. : Verba Agur filii Iake; visio (oraculum); ita vocem videmus intellectam apud S : qui accepit prophetiam. Ceterum alii vocem omittunt, scil. ut perperam ex 31,1 assumptam, vel ob 31,1 emendant : ex Massa, seu Massaitensis. Effatum viri : laboravi, Deus, laboravi, Deus et defeci (לאיתי אל ואכל) vel, uti *Bickell* : effatum viri qui laboravit circa Deum : laboravi circa Deum et non potui.

Rabbini inscriptionem de Salomone esse intelligendam putarunt; quare nomina illa etymologica quadam explicatione accersita ad significandum Salomonem usurparunt. Et alii quidem : verba congregantis (cf. אגר) scil. qui legem (Deut. 17,17) in se assumpsit, filii vomentis (cf. קיא), sed iterum reiecit : mecum Deus et ego potero (scil. multas mihi assumere mulieres sine damno). Versio vulg. huic etymologiae adstipulatur, quam versionem tamen in sensum magis pium trahunt : congregantis parabolas easque eructantis magna copia (*Lap.*) vel congregans, filius eructantis (scil. David, qui de se dixerit : eructavit cor meum verbum bonum; Ps. 44,1; *Calm.*). Aliorum rabbinorum acceptio proponitur in Midrasch Mischle : Agur i. e. Salomo qui lumbos sapientia cinxit ((שאגר), filius Iake, quia a culpa liber erat (נקי); effa-

tum viri ad Ithiel et Uchal (intellexit signa Dei et in iis stare potuit); vide *Wünsche,* Midrasch Mischle, p. 67.

Ex textu hebr. Agur profitetur se multum laboris et considerationis impendisse circa Deum, ut eum et opera eius quam optime posset intelligeret; at cogitur fateri : defeci; et quam longe absit conatus humanus ab intelligentia Dei et operum eius, et quantopere in rebus naturalibus caecutiat humana sapientia, in v. 2-4 gravissime exponitur. A Dei maiestate et a multitudine et inscrutabilitate operum Dei quasi oppressus exclamare cogitur : nam iumentum ego, non homo et intelligentia hominis non est mihi; cum ex una parte in se experiatur maximum quoddam desiderium cognoscendi et ex altera deprehendat, quam impar sit cognitioni perfectae assequendae, sibi videtur ipse defecisse quasi a natura humana neque habere eam intelligentiam quae ab ipsa natura humana exigatur; unde intime sibi conscius istius defectus qui tamen ex ipso naturali appetitu quam gravissime reprehenditur, cum dolore exclamat : iumentum ego, quasi longe ab homine; *non didici sapientiam et non novi scientiam sanctorum,* vel hebr., ita ut scientiam sanctorum noverim ; eam sapientiam non potuit acquirere qua ipsi communicaretur scientia sanctorum, i. e. Dei et operum, arcanorum eius (cf. 9,10). Talem igitur hoc loco designat sapientiam quam Sapientes ipsi docere nequeant et hanc vocat scientiam sanctorum. Hanc describit in v. 4.

Ut talem scientiam quis noverit, necesse esse ait ut quis eam de coelo deferat; verum v. 4 *quis ascendit in coelum atque descendit?* cum nemo secreta coelestia perspexerit, nemo ea tradere potest. Et quanta sit hominum ignorantia, ostenditur quaestionibus de iis quae in aere fiunt et cernuntur : quis collegit ventum *in manibus suis?* Praeplacet G ἐν κόλπῳ in sinu vestis; quam lectionem *Frank.* pro hebr. commendat ob parallelismum ad vestimentum et ob defectum pronominis suffixi; quis ventos pro lubitu suo retinet et emittit? Homo plane impos est ventorum; iis se nequit subtrahere; si nocet tempestas, non potest impedire; si iis indigeret ad navigandum, non potest eos advocare; quando et quomodo oriantur, desinant, ignorat. Eadem ei est impotentia et ignorantia de nubibus ac pluviis : *quis colligavit aquas* (*quasi*) *in vestimento?* quis aquas conclusit in nubibus easque quasi obvolutas retinet, et ad lubitum effundit? Eadem impotentia et ignorantia hominis cernitur circa terram, eius amplitudinem et extensionem : *quis suscitavit,* constituit, *omnes terminos terrae* seu fines? eam fulcit?

Sensus quaestionum idem est qui habetur Iob 38,5 seq. et Is. 40,12 seq.; solet enim Scriptura infinitam Dei sapientiam et potentiam, quae

incomprehensibilis est et inexplicabilis, non tam affirmative enarrare, quam interrogando contemplari et admirari (*Lap.*). Iam si haec opera, si venti et nubes, superant hominis cognitionem, quid tandem de ipso Deo sentiendum? *quod nomen est eius et quod nomen filii eius, si nosti?* nomen pro ipsa persona ponitur; ergo quis et qualis est ipse? num natura eius et excellentia aliquo verbo seu sermone humano satis declarari potest? et quis et qualis est filius eius; G τί ὄνομα τοῖς τέκνοις αὐτοῦ quod nomen filiis eius? angelis. Ad notionem filii Dei referri potest quod dicitur 8,22 Dominus possedit me etc. et v. 30 cum eo eram cuncta componens, ludens coram etc. *si nosti,* uti Iob 38,4 indica mihi si habes intelligentiam. Quaestio haec generatim ponitur eo sensu, neminem id declarare posse. Aliqui interpretes sibi ipsi creant difficultatem contendentes quaestionibus illis v. 4 fieri alloquium ad Deum; utique esset absurdum, si quis Deum compellans diceret : si nosti! sed cum Deo non instituitur sermo. Pariter arbitrarium est hisce quaestionibus exponi irrisionem hominis athei, qui exagitet eos qui se quidquam de Deo scire iactent et qui irrisorie quaerat de familia illa Dei nunquam visi. In Midrash respondetur ad quaestiones illas, Moysen, Aaron, Eliam ea praestitisse (cf. *Wünsche,* l. c. p. 68). Explicavit Agur, quomodo laboraverit circa Deum et defecerit. Iam v. 5 aperitur alius fons ex quo Dei cognitio hauriatur. Humanae investigationi et scientiae, cuius defectus et insufficientia v. 2-4 proponebatur, nunc ostenditur revelatio divina. Suntne quae sequuntur etiam verba Agur? aliqui negant; *Bickell* in v. 5-14 cernit impugnationem fieri contra Agur (Polemik gegen Agur). Sed ex inscriptione huius capitis (cf. 31,1) mihi potius sequi videtur, verba Agur non ad paucissima quaedam restringi; praesertim si *visio* ibi retinetur, et si textus hebr. v. 1 explicatur, uti supra, certe etiam exspectamus, ut doceatur quomodo post laborem frustra impensum ad veram de Deo doctrinam et cognitionem pervenerit; idque eo magis, si 30,1 intelligitur, uti in vulg. habetur et partim quoque apud S : qui accepit prophetiam et confortatus est robore.

Defectui humanae scientiae succurrit revelatio divina v. 5 *omnis sermo Dei ignitus,* igne examinatus, purus; cf. Ps. 11,7; 17,31; 18,9; 118,140; omne verbum seu effatum Dei est purum, sincerum, perinde ac si esset aurum igne eliquatum et expurgatum. Ibi igitur est altior illa sapientia, quae homini praeprimis necessaria est et qua de Dei gubernandi ratione edocetur et simul maxima in Deum fiducia confirmatur et roboratur : *clypeus est sperantibus in se*; cf. Ps. 17,31; ecce timor Domini, ipsa est sapientia (Iob 28,28). Haec verba bene custodienda sunt : *ne addas quidquam verbis illius* (cf. Deut. 4,2; 12,32 vel 13,1);

esto contentus iis quae Deus docuit de ratione sua gubernandi, de promissis, de rerum destinatione, de officiis hominum; noli inquirere in ea quae obtecta hominibus esse voluit, ne tua nimia curiositate in errores incidas neve de occultis Dei consiliis et iudiciis nimium investigare studeas; *et arguaris inveniarisque mendax,* hebr. ne te convincat et mendax inveniaris; etiam in scrutatione et inquisitione rerum seu eventuum necesse est non plus sapere quam oportet sapere et sapere ad sobrietatem (Rom. 12,3). Assignatur itaque v. 5 verus et altissimus fons doctrinae et sapientiae (omne effatum Dei), assignatur potentissimus vitae hominum ductor et protector iustorum (clypeus); commendatur moderatio animorum ac modestia (v. 6).

7. *Duo rogavi te, | ne deneges mihi antequam moriar :* 8. *vanitatem et verba mendacia longe fac a me, | mendicitatem et divitias ne dederis mihi | tribue tantum victui meo necessaria;* 9. *ne forte satiatus illiciar ad negandum | et dicam : quis est Dominus? | aut egestate compulsus furer, | et periurem nomen Dei mei.*

Duo efflagit Agur : animum veracem, sincerum, et victum necessarium. Efflagitat cum studio et affectu; unde addit : *ne deneges mihi,* ne prohibeas a me; addit G μὴ ἀφέλῃς μου χάριν πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν με, ne auferas a me gratiam, *antequam moriar*; « non quasi petat dumtaxat ante mortem horum duorum compos fieri, sed quod per omnem reliquam vitam usque ad mortem haec duo sibi praestari cupiat; sed flagitat, ut antequam moriatur, id est quamdiu superstes erit, quamdiu non moritur, haec duo sibi continuo adsint » (*Lap.*), vel simpliciter, haec in vita mea mihi tribue. Videtur etiam esse instans petendi modus : tribue mihi ante mortem, ac si dicerem amico : hoc mihi largire beneficium ante mortem meam; postea non poteris, vel ut tranquilla mente mortem possim exspectare! Odit Dominus proferentem mendacia (6,19); unde v. 8 *vanitatem,* fallaciam, *et verba mendacia longe fac a me*; petit in animo et verbis sinceritatem, sincerum veritatis amorem, quo in conversatione fidem servet inviolatam cum proximo. Dein obsecrat, ut quae duo sunt in hac vita maxime ad tentandum valida a se longe removeantur (*Calm.*) : *mendicitatem,* egestatem, *et divitias ne dederis mihi*; quid medium inter utrumque sapientem virum sentire deceat et expetere a Deo, subiungitur hebr. : ciba me pane demenso mihi (vel carpere me fac panem statuti mei, mihi convenientem), vel bene ad sensum vulg. *tribue tantum victui meo necessaria*; laudabilem quandam mediocritatem inter egestatem et divitias vir vere sapiens exoptat. Significat חק partem alicui attributam, pensum ab eo exactum, mensuram (vulg. Ez. 45,14 et Ex. 5,14; cf. Iob 23,14. Ez. 16,27; Gen. 47,22 vulg. statuta cibaria).

Cur talis mediocritas postulanda sit, afferuntur rationes v. 9; et quidem divitias non esse expetendas, probatur ex periculo fastus et arrogantiae : *ne forte satiatus illiciar ad negandum et dicam : quis est Dominus,* simplicius in hebr. : ne satier et negem et dicam : quis est Iahve, uti insolenter dixit Pharao : quis est Iahve (Ex. 5,2). Periculum divitiarum iam exponitur Deut. 8,12 sq. ne postquam satiatus fueris, elevetur cor tuum et non reminiscaris Domini Dei tui, et Deut. 32,15 incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo. Etiam Iob 21,14 describuntur divites dicentes : quis est omnipotens ut serviamus ei? et supra Prov. 23,8 legitur monitum : ne erigas oculos tuos ad opes; ex divitiis exsurgere impietatem, docetur exemplo Ps. 51,9 : ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum; cf. Eccli. 5,1; 27,1; 31,5.

Neque egestati sua desunt pericula : hebr. ne egenus efficiar et furer et violem nomen Dei mei, *aut egestate compulsus furer et periurem nomen Dei mei,* proprie hebr. apprehendere, i. e. male, impie usurpare nomen Dei; scil. maledictione aliqua contra Deum eiusque providentiam prolata, ad quam egenus sorte sua exacerbatus provocatur; uti Is. 8,21 dicitur : et esuriet, et cum esurierit, irascetur et maledicet regi suo et Deo suo. Alii explicant de periurio, quo fur deprehensus coram iudice suum furtum iuramento neget; at verbo hebr. non statim designatur periurium. Duobus malis exponitur egenus; periculo furti et periculo blasphemiae; cf. 6,30 furatur, ut esurientem impleat animam.

10. *Ne accuses servum ad dominum suum | ne forte maledicat tibi et corruas.* 11. *Generatio quae patri suo maledicit | et quae matri suae non benedicit;* 12. *generatio quae sibi munda videtur, | et tamen non est lota a sordibus suis;* 13. *generatio cui excelsi sunt oculi, | et palpebrae eius in alta surrectae;* 14. *generatio quae pro dentibus gladios habet, | et commandit molaribus suis, | ut comedat inopes de terra | et pauperes ex hominibus.*

Uti maledictio matris dicitur habere effectum (Eccli. 3,11), ita maledictio servi qui apud herum falsi criminis accusatur v. 10 *ne accuses,* hebr. ne crimineris lingua (ne calumnieris) *servum ad dominum suum,* ne maledicat tibi et poenam luas; talis enim maledictio non est frustra prolata 26,2; similiter asseritur Eccli. 21,6 deprecatio pauperis (oppressi) ex ore usque ad aures Dei perveniet et iudicium festinato adveniet.

Describitur v. 11-14 generatio impiorum; similiter Ps. 13,1-3; 52,2-7. Proponuntur quattuor sententiae, quae eadem voce inci-

piunt; quaevis generatio duobus stichis designatur, ultima generatio autem quattuor. Reprehensio utique sat gravis est; at recole, quae alias quoque populo vitio vertuntur Deut. 32,15-25. Is. 1,11-16,21-23; 5,18-23; 28,7-10; 57,3-10. Ier. 2,12-20; 5,1 circuite vias Ierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem; Ez. 16,15-36; 22,3-12; 23,3-21. Suae itaque generationi impiorum Agur speculum exhibet, dum quattuor vitia praecipua conditioni variorum hominum obiicit: ingratitudinem et impietatem in parentes; hypocrisin et fictam sanctimoniam, superbiam et fastum, iniuriam, vim et oppressionem in pauperes (cf. *Ians. Lap. Calm.*). Placuit aliis ea applicare quattuor aetatibus hominis; pueritiae congruere primam sententiam, quia soleant pueri parentibus obstrepere; adolescentiae alteram; quia adolescentes videantur candidi et puri, cum tamen ob bullientem sanguinem proni sint in rixas, libidines; in tertia delineari iuvenes animosos, excelsa ambientes; virili aetati aptari quartam, quia viri ad alendam familiam non raro expilent alios (cf. *Lap.*). Hebr. generatio patri suo maledicit i. e. est quoddam genus hominum, sunt qui patri maledicant; cf. 20,20; sunt qui mundi sunt in oculis suis, qui sibi mundi videntur et tamen sordibus peccatorum onusti; cf. 20,9, Is. 4,4. Eo modo in evangeliis describuntur pharisaei (Matth. 23,27) et iam Isaias tale hominum genus designat 5,20.21. In v. 13 hebr. exclamatione quadam effertur fastus et superbia: quam excelsi sunt oculi eius; cf. 6,17. Is. 2,11. Demum violentia et oppressio v. 14 illustratur; dentes eorum sunt gladii, et cultri molares eorum; minus bene vulg. *commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra*; sunt quasi feroces bestiae; cf. Ps. 56,5 dentes eorum arma et sagittae et lingua eorum gladius acutus; Mich. 3,3. Ps. 13,4 devorant plebem meam sicut escam panis; Ps. 52,5. Is. 9,12.

15. *Sanguisugae duae sunt filiae, dicentes: affer, affer! | Tria sunt insaturabilia | et quartum quod nunquam dicit: sufficit:* 16. *infernus et os vulvae et terra, quae non satiatur aqua, | ignis vero nunquam dicit: sufficit.* 17. *Oculum qui subsannat patrem | et qui despicit partum matris suae, | effodiant eum corvi de torrentibus, | et comedant eum filii aquilae.* 18. *Tria sunt difficilia mihi | et quartum penitus ignoro;* 19. *viam aquilae in coelo | viam colubri super petram, | viam navis in medio mari, | et viam viri in adolescentia.* 20. *Talis est et via mulieris adulterae, | quae comedit et tergens os suum dicit: | non sum operata malum.*

In v. 15 explicant עלוקה de sanguisuga veteres versiones, et eadem notio voci inest in arabico, aramaeo, neohebraeo; verum quae sunt duae eius filiae, non liquet; suppono, ait *Lap.* per duas filias alludi ad duo sanguisugae ora, quibus ob ingentem sugendi aviditatem prae-

dita est. Sententia est incompleta; unde clarum est aliquid deesse; nam quaenam sint duae illae filiae debuit explicari. Ex S (et ex G fere) haec efficitur sententia : sanguisugae sunt tres filiae dilectae; tres istae non saturantur et quartum non dicit : sufficit : infernus, clausa vulva (sterilis) et terra non satiata aqua. Haec tria itaque dicuntur filiae sanguisugae, quia eius prae se ferunt indolem et naturam i. e. insatiabilitatem, expleri, satiari nequeunt; ita collis dicitur Is. 5,1 filius olei ad designandam humum fertilem. Alii textum sanare student supponentes verba quaedam esse ab amanuensibus omissa : sanguisugae sunt duae filiae : affer, affer, infernus et vulva sterilis; tria haec sunt insaturabilia; quattuor non dicunt : sufficit : infernus et vulva clausa, terra non satiata aqua, et ignis non dicit : sufficit (cf. *Del. Wild.*). Textum transpositione emendat *Bickell* in hunc modum : tria non saturantur, quattuor non dicunt : sufficit; sanguisugae sunt duae filiae, affer, affer : infernus; et vulva; terra non satiatur aqua et ignis non dicit : sufficit. Sed quia tam explicite efferatur tria non satiari, haec tria etiam iungenda erunt; hoc fit in textu graeco et syro; quare eum modum praeferendum censeo.

Infernum non satiari clarum est quia continuo homines moriuntur; de desiderio mulieris sterilis, exemplum praebet Rachel dicens marito : da mihi liberos; alioquin moriar (Gen. 30,1); ignis quamdiu invenit materiam aptam non deficit, verum in immensum augetur. Ceterum vide ad 27, 20 et ad verba cf. Gen. 20,18 et Hab. 2,5. Est igitur sensus : sanguisugae quoad aviditatem inexplebilem similes sunt infernus, vulva, terra; ista similitudo nomine filiarum designatur. Quare nullo modo opus est cum aliquibus fingere עלוקה nomen esse daemonis cuiusdam sanguinarii, de quo nullum aliud vestigium reperitur apud Iudaeos, neque alia vocis significatio apud eos ostendi potest. De eiusmodi daemone apud Arabes et Persas circumferri opinionem verum est, neque tamen ea statim ad Iudaeos transferenda erit. Adverte insuper, sententiam primam in v. 15 esse mancam!

Iam Ex. 21,15.17 et Lev. 20,9 et Deut. 27,16 et supra 20,20 dirae et poenae statutae sunt in eos qui parentes non honorant; item in v. 17 *oculum qui subsannat patrem,* « oculi enim omnium affectuum sunt indices, ideoque despectus et irrisio in oculis praecipue cernitur » (*Lap.*); item superbia v. 13, voluptas (6,25. Iob 31,1. Eccli. 26,12), ira (Ps. 30,10), invidia (Eccli. 14,8), *et qui despicit partum matris suae*; quo sensu partum? partus dolores possunt intelligi, scil. ne quis immemor sit, quantis doloribus ac curis a matre sit editus et educatus; uti Eccli. 7,29 dicitur : gemitus matris tuae ne obliviscaris (Tob. 4,4. 2 Mach. 7,27); alii partum matris explicant fratrem eadem

matre natum. Verum de partu non fit mentio neque in hebr. neque in aliis versionibus. Et in hebr. legitur vox quae Gen. 49,10 habetur : qui despicit obedientiam matris, G γῆρας μητρὸς senectutem matris, item S et eo modo emendandum esse textum hebr. (זקנת pro יקהת), merito censent *Bickell, Frank. MK.; talem itaque oculum effodiant corvi de torrentibus et comedant eum filii aquilae,* pulli aquilae; poena negati sepulcri, quae magna est ignominia, proponitur; cf. 1 Reg. 17,44. 3 Reg. 14,11; 16,4. Is. 14,20. Ier. 8,1.2; 22,19. Eccl. 6,3. 2 Mach. 9,15.

Quae v. 18. 19 dicuntur, multi ita concipiunt ut dicant enumerari res quae nullum relinquant vestigium; in aere non cerni quod antea aquila volaverit, neque in petra quod serpens super eam repserit etc.; itaque non posse cognosci aquilam transvolasse, neque navim praeterisse etc. At in ipsis verbis, quibus tria illa et quattuor annuntiantur, nulla est mentio vestigii non relicti; verum asseritur solum v. 18 *tria sunt difficilia mihi,* potius hebr. mirabilia sunt prae me, altiora quam ut ego ea assequar, G ἀδύνατά μοι νοῆσαι impossibilia mihi intellectu; *Aq.* ἐθαυμαστώθησαν, S abscondita a me, *et quartum,* et quattuor, *penitus ignoro*; quod itaque conceptis verbis asseritur id unum est, illa ab homine ignorari, esse mirabilia, superare captum et intelligentiam humanam, adeoque iis excitari admirationem. Hoc ultimum inter alia commemorat *Lap.* : « res admiratione digna est, quod aquila mole corporis gravis, solis alis per aera se libret et in altum evolet, quod serpens pedibus carens velocissime per petras et saxa lubricando serpat et currat, quod navis grandibus sarcinis onerata mari velut piscis innatet ». Atque talis admiratio iure colligitur ex v. 18; nam aliqua fieri quae tamen quomodo fiant ignorantur, haec excitant admirationem; vel aliqua fieri quae explicari ab homine nequeunt, apud istum hominem videntur mirabilia. Et eiusmodi sunt quae v. 19 enumerantur.

Non cognoscit *viam aquilae in caelo,* quomodo viam suam per regiones aereas conficiat, quomodo avis grandis celerrimo volatu in altum ascendere possit; *viam colubri super petram,* quomodo pedibus carens tam celeriter super petram sinuosis motibus currat; *viam navis in medio maris,* quomodo aedificium tantae molis natare possit et percussione aquae modo in hanc modo in aliam partem propellatur. Etiam maiore admiratione stupet et ignorat *viam viri* in virginem (hebr.); quomodo fiat, ut vir magno desiderio ad virginem attrahatur et ad eam (per copulam) ingrediatur; tangitur aenigma appetitus illius coniunctionis et aenigma novae vitae oriundae. Lectio vulg. *viam viri in adolescentia* contra hebr. nequit sustineri, quamvis

eadem sit lectio G et S; at *Sym.* ἐν νεάνιδι. Additur v. 20 aliud, iam non ex ordine rerum physico, verum ex ordine morum, quod pariter intelligi nequeat, quomodo scil. stante humana natura et intima apud homines conscientia boni et mali adultera scelere perpetrato scelus negare possit; *talis est et via mulieris adulterae, quae comedit* (cf. 9,17, de adulterio) *et tergens os suum dicit : non sum operata malum*; sensum boni malique ita perverti et exstingui, mulierem indole naturali verecundam, pudicam ad eum improbitatis et impudentiae gradum sibi viam parasse, res est similis illis quattuor, quae non novit, non explicare potest homo. Sunt qui interpretentur, mulierem sperantem fore, ut adulterium non notum fiat, committere adulterium. Ita eam agere et sperare non negatur; sed num hoc loco verbis illis : *non sum operata malum* id tantum exprimitur? Sapiens affirmat se non cognoscere viam mulieris adulterae, et eius via, modus et ratio agendi describitur : adulterio commisso dicit : non feci malum. Haec est via, quae intellectu est difficilis. Nullum signum sceleris in muliere apparere, verbis textus minime dicitur. Quare pariter admitti nequit, quod alii explicant, vel in viro, vel in puella nihil apparere, unde scelus perpetratum cognosci possit. Si tale quid Sapiens dicere voluisset, certe non dixisset : viam ignoro.

21. ***Per tria movetur terra, | et quartum non potest sustinere :*** 22. ***per servum cum regnaverit, | per stultum cum saturatus fuerit cibo,*** 23. ***per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta, | et per ancillam cum fuerit heres dominae suae.*** 24. ***Quattuor sunt minima terrae | et ipsa sunt sapientiora sapientibus :*** 25. ***formicae populus infirmus, | qui praeparat in messe cibum sibi;*** 26. ***lepusculus plebs invalida, | qui collocat in petra cubile suum;*** 27. ***regem locusta non habet | et egreditur universa per turmas suas;*** 28. ***stellio manibus nititur | et moratur in aedibus regis.***

Sub tribus vel propter tria contremiscit terra et propter quattuor non potest tolerare, vel sub quattuor non potest sufferre; ita hebr.; enumerantur quae contra naturam sunt adeoque plane indigna et quibus rectus et ordinatus rerum cursus perturbatur; unde sub eiusmodi terra dicitur tremere, non posse sustinere. Simili modo dicitur terra maculari peccatis hominum; ita Ier. 2,7 ingressi contaminastis terram meam; 3,2 polluisti terram; cf. 9,12; 10,10; 12,4. Ez. 12,19; 15,8 etc. Terra contremiscit sub servo cum dominetur; cf. 19,10; id est hominibus gravis et molestus est servus, qui ad dominationem pervenit; indoles servilis et dominatio inter se non congruunt; servus si potestatem accipit evadere facile solet insolens et arrogans. Item aliis molestiam creat stultus deliciis et vino saturatus; nam stultitiam eius acuit saturitas et generat petulantiam; insuper absonum est stultum hominem habere opulentiam; 19,10 non decent stultum de-

liciae; quo ditior est, eo intolerabilior erit et eo maiore insania opes profundet.

Est pariter contra rectum ordinem, ut ea quae odio habetur, in matrimonium assumatur; sicuti, si ancilla in hereditatem dominae succedat. Censet *Frank.* odio habitam esse mulierem secundum libellum repudii Deut. 24,1 a marito dimissam. At cum ex lege vetere dimissa fiat licita cuilibet viro (excepto priore marito), illa explicatio non videtur posse assumi; si enim aliquis eam ducere velit, res per se non est ordinis eversio. Neque mulier odio habita recte concipitur de dimissa per libellum repudii; cur alii in ea cernant virginem superadultam, vetulam, non liquet; et si eiusmodi virum invenerit, nondum exinde mundus quasi inversus apparebit. At relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae (Gen. 2,24); quare contra naturae ordinem est in matrimonium assumere eam, quae odio habetur.

In textu hebr., uti nunc legitur, *quattuor* illa *minima terrae,* non dicuntur esse *sapientiora sapientibus,* sed esse sapientia, sapienter edocta (cf. Ps. 58,6 hebr. de forma vocis). Cernitur scil. in modo vivendi illorum ordo quidam valde aptus; formicae, plebs valde debilis, tamen aestate sibi procurant cibum; cf. 6,6-8; quare ad eam ibi piger amandatur. Lepusculi (Klippdachse, hyraces syriaci), plebs invalida, apte et secure in rupe, in petra, collocant cubilia sua; cf. Ps. 104,18 hebr. petra dicitur eorum refugium; G hoc loco οἱ χοιρογρύλλιοι (item Ps. 103,18, ubi etiam λαγωοῖς alicubi praebetur). Locusta, quamvis regem non habeat, tamen universa turma egreditur bene ordinata; G στρατεύει ἀφ' ἑνὸς κελεύσματος εὐτάκτως pergit in acie ab una iussione ordinate; de locustis cf. Ioel 1,3 seq. 2,4 seq. In v. 28 hebr.: stellionem manu prehendes, G καὶ καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος καὶ εὐάλωτος ὤν, stellio manibus innitens et facilis captu; parvus est, et tamen in aedibus regis est.

29. *Tria sunt quae bene gradiuntur, | et quartum quod incedit feliciter :* 30. *Leo fortissimus bestiarum, | ad nullius pavebit occursum;* 31. *gallus succinctus lumbos, et aries, | nec est rex qui resistat ei.* 32. *Est qui stultus apparuit | postquam elevatus est in sublime; | si enim intellexisset, | ori suo imposuisset manum.* 33. *Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, | exprimit butyrum; | et qui vehementer emungit, | elicit sanguinem, | et qui provocat iras, | producit discordias.*

Quae gressu incedunt maiestate quadam et quasi dominationis in alia haud ignara enumerantur quattuor, hebr. et quattuor bene adornantia incessum. Leo fortis, heros inter animalia, et retrocedit nullatenus (hebr.); bene ad sensum vulg. *ad nullius pavebit occursum,* uti Is. 31,4 describitur : rugit leo super praedam suam, et cum occurrerit

multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit et a multitudine eorum non pavebit. In v. 31 veteres hebr. explicant de gallo qui descriptione : lumbis cinctus, *succinctus lumbos* designatur, G καὶ ἀλέκτωρ ἐνπεριπατῶν θηλείαις εὔψυχος conscendens gallinas alacer, item *Aq. Theod.* et 5. ἀλέκτωρ et S : gallus fastuose incedens inter gallinas. Aliqui recentiores explicant de cane vertago, alii de equo strato. Sed neutra explicatio congruit ad contextum; nam leo, aries seu hircus, rex quandam dominationem exercent, id quod ad gressum et incessum sollemnem bene consequitur; talem dominationem prae se fert gallus, minime inter canes vertagus, neque equus (etsi sella imposita ornatur). Graditur aries, caper quasi dux gregis; ita G καὶ τράγος ἡγούμενος αἰπολίου et hircus ducens gregem; item S : et hircus incedens in capite gregis (sim. *Aq. Theod.* et 5).

Ultimum membrum exhibetur apud G καὶ βασιλεὺς δημηγορῶν ἐν ἔθνει, item S habet. Quod hebr. legitur אלקום explicari nequit; qui sibi persuadent medias inter locutiones hebraeas poni vocabulum arabicum, vertunt : et rex apud quem copiae militares. Versio graeca quae quinta dicitur praebet καὶ βασιλεὺς ἀναστὰς ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ. Variae emendationes propositae sunt : rex consistens coram populo suo; rex cum quo est Deus; rex duo millia cum eo (cf. *Bickell, MK.*). Quod vulg. habet *nec est rex qui resistat ei,* intelligi nequit; sensum aptum praebet editio Sixtina : et rex, nec est qui resistat ei (ita Lyra, Ians. et alii). Et hebr. קם לעמו — אלהים עמו — אלפים עמו?? Imo *Geiger* (Urschrift und Uebersetzung der Bibel, p. 61 sq.) vult ibi cerni impium Alcimum, qui volebat fieri summus sacerdos (1 Mach. 7,5 seq. 2 Mach. 14,3 summus sacerdos, voluntarie coinquinatus) — at Alcimus nunquam affectavit titulum regium et insuper plane arbitrarium est hanc sententiam tempori Machabaeorum attribuere (cf. *Wild.*).

In v. 32 sententia in vulg. exhibita, haec est : est qui vir prudens existimatur, quamdiu in conditione humili versatur; sed in sublime elevatus, stultitiam suam prodit : *est qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime*; si vere fuisset prudens, *si intellexisset, ori suo imposuisset manum,* tacuisset. Hebr. verti potest : si stulte egisti te elevando et si malum cogitasti, manum ad os; i. e. tace; nam stulte te elevando, aliorum iram et invidiam et contradictionem provocasti, tace; alias evadet res peior; tacendo iam quasi retractas elevationem illam ineptam; si malum cogitasti, tace, ne prodas malum (dicitur זמם de mala cogitatione, vide Ps. 37,12). Alii oppositionem ita concipiunt : si in te elevando egisti ex stulta superbia, et si egisti ex consideratione, tace (cf. *Wild.*). Nam in utroque casu, si te supra alios extuleris et si hanc tuam dignitatem nimium efferas, orietur rixa et

discordia et animorum aversio. Et ad hoc congruunt exempla quae v. 33 afferuntur et particula : nam (hebr.) inducuntur.

Ne quid nimis! In hebr. breviter exempla ponuntur : nam pressio lactis producit butyrum et pressio narium producit sanguinem et pressio irae producit litigationem. Exempla duo priora convergunt ad tertium illustrandum : sicut concussio frequens lactis exprimit butyrum et vehemens emunctio nasi exprimit sanguinem, ita et irritatio vehemens irae excitat contentionem (ita *Vatablus, Lap.*). Monet itaque Sapiens servandam esse moderationem, extrema severitate ac nimio rigore vitato (*Calm.*). Perperam legitur in vulg. premit *ubera.*

31,1. *Verba Lamuelis regis, visio, qua erudivit eum mater sua :*
2. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, | quid dilecte votorum meorum?* 3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, | et divitias tuas ad delendos reges;* 4. *noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, | quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas;* 5. *et ne forte bibant et obliviscantur iudiciorum, | et mutent causam filiorum pauperis.* 6. *Date siceram moerentibus | et vinum his qui amaro sunt animo;* 7. *bibant et obliviscantur egestatis suae, | et doloris sui non recordentur amplius.* 8. *Aperi os tuum muto | et causis omnium filiorum qui pertranseunt.* 9. *Aperi os tuum, decerne quod iustum est, | et iudica inopem et pauperem.*

Cum in hebr. מלך articulo careat, vertendum erit : verba Lamuelis regis Massa; Gen. 25,14 enumeratur Massa simul cum Duma, Cedar, Nabaioth aliisque tribubus ismaeliticis; Ptolemaeus (5,19,2) novit Μασανούς inter septemtrionem et orientem solem a Duma habitantes et tempore regis Asurbanipal simul cum Nebaioth et Cedar nominantur Mas'u (cf. *Wild.*). Quare haec acceptio prorsus admitti potest. G βασιλέως χρηματισμὸς ὃν ἐπαίδευσεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ, uti vulg. *visio qua erudivit eum mater sua*; cf. 30,1; S : verba Muel regis prophetae, quem instituit mater eius et dixit.

Mater regis etiam apud reges Iuda et Israel magnae erat auctoritatis; neque enim sine ratione sedulo memoriae tradita esse videmus nomina matrum regum (cf. 3 Reg. 2,19. 20; 15,2; 22,42. 4 Reg. 8,26; 13,1; 14,2; 15,2; 18, 2 etc.). Mater admonet filium, ut caveat a mulieribus et ab ebrietate, ut miseros soletur et inopes secundum iustitiam adiuvet.

Magno amore et animi commotione orditur mater : quid fili mi, quid fili uteri mei, et quid fili votorum meorum, quem itaque magno desiderio, votis precibusque ad Deum factis olim efflagitavit; en gradatio in compellatione filii : primo fili mi, dein fili uteri mei « solent matres ut delicias amoris filiis ostendant iisque ipsos urgeant ad obtemperandum, refricare dolores, fastidia, metus, et pericula quae

pro ipsis per novem menses sustinuere, cum eos utero gestarent » (cf. 2 Mach. 7,27. *Lap.*), denique fili votorum meorum, tot desideriis, votis, suspiriis expetivi te et a Deo postulavi.

Primum monitum est, ne evadat mulierosus : *ne dederis mulieribus substantiam tuam* hebr. robur tuum; τὴν ἰσχύν σου *Sym.*; ne scil. imitetur Salomonem (cf. Eccli. 47,21); in altero membro : neve des vias tuas ad perdendos reges, machinationes tuas sive actiones ne dirigas ad alios reges perdendos. Monetur itaque ne bella gerat; in vulg. *et divitias tuas* ne adhibeas *ad delendos reges*; punctatione parumper mutata explicant alii : ne des vias tuas eis quae perdunt reges, nempe mulieribus; vel cum aliqua textus mutatione : ne des amores tuos (דודיך) eis quae reges perdunt; cf. 5,9. Deut. 17,17 rex non habebit uxores plurimas quae alliciant animam eius. S : ne des vias tuas cibis regum; uti cavendum est a libidine, ita quoque a gula et nimio luxu. Iterum aliud praebet G καὶ τὸν σὸν νοῦν καὶ βίον εἰς ὑστεροβουλίαν, ne des mentem tuam et vitam (victum, opes) ad praeposteram deliberationem. Quod S habet, cavendum esse a conviviis luxuriosis, bene congruit post mentionem de libidine.

In v. 4 verba vulg. sunt clara; hebr. ne regibus, Lamuel, ne regibus bibere vinum et principibus vel siceram; textus sane est corruptus; G : μετὰ βουλῆς πάντα ποίει, μετὰ βουλῆς οἰνοπότει, cum deliberatione omnia fac, cum deliberatione (ergo moderatione) vinum pota; οἱ δυνάσται θυμώδεις εἰσὶν potentes iracundi sunt, οἶνον δὲ μὴ πινέτωσαν, vivum ne bibant; aliter S : a regibus, Muel, cave, a regibus qui vinum bibunt, et a potentibus qui bibunt siceram. In hebr. debuit dari monitum ne rex seu nobilis vel iudex vino indulgeat; nam pergitur in v. 5 ne bibat et obliviscatur iuris (legis statutae) et pervertat causam omnium miserorum. Item numerum singularem S praebet; G vero et vulg. exhibent pluralem, qui pariter cernitur in v. 6, ita ut adhortatio iam in universum dari videatur, inscriptione v. 1 quasi in oblivionem data. Vinum scil. dandum esse moerentibus, hebr. pereunti, qui omnia bona sua amisit, et eo modo est perditus, et afflictis, seu iis *qui amaro sunt animo*, ut scil. saltem pro aliquo tempore v. 7 *obliviscantur egestatis suae et doloris non recordentur amplius*; vinum enim laetificat cor hominis (Ps. 103,15) et vini laudes celebrantur a iuvene 3 Esdr. 3,18-21.

Ab admonitione generali sermo revertitur ad ea quae regem seu iudicem spectant v. 8 *aperi os tuum muto*, patrocinium suscipe eius, qui ius suum tueri non potest, vel prae oppressoribus non audet, quales sunt pupilli, viduae; patrocinare quoque causae omnium infelicium, hebr. forte ad verbum : omnium filiorum interitus (חלף Is.

2,18 evanescere?), vulg. *qui pertranseunt,* interitui appropinquant. Simile Iob de se praedicat : oculus fui caeco et pes claudo (Iob 29,15). Cum emphasi repetitur v. 9 *aperi os tuum, decerne quod iustum est,* iudica rectum, iustitiam (hebr.), ita iudica, ut iustitia fit; cf. 16,10; 20,8; *et iudica inopem*, miserum, oppressum, *et pauperem,* ius redde misero, seu vindica pauperem a vi et oppressione; illis restituendum cura quod illis debetur, « de divitibus vero non opus erat dicere; nam illi, ut raro afficiuntur iniuria, ita et se facile defendunt et facile patronos inveniunt » (*Ians.*).

10. *Mulierem fortem quis inveniet? | procul et de ultimis finibus pretium eius.* 11. *Confidit in ea cor viri sui | et spoliis non indigebit.* 12. *Reddet ei bonum et non malum | omnibus diebus vitae suae.* 13. *Quaesivit lanam et linum | et operata est consilio manuum suarum.* 14. *Facta est quasi navis institoris, | de longe portans panem suum.* 15. *Et de nocte surrexit deditque praedam domesticis suis, | et cibaria ancillis suis.* 16. *Consideravit agrum et emit eum, | de fructu manuum suarum plantavit vineam.* 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos | et roboravit brachium suum.* 18. *Gustavit et vidit quia bona est negotiatio eius, | non exstinguetur in nocte lucerna eius.* 19. *Manum suam misit ad fortia, | et digiti eius apprehenderunt fusum.* 20. *Manum suam aperuit inopi | et palmas suas extendit ad pauperem.* 21. *Non timebit domui suae a frigoribus nivis; | omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* 22. *Stragulatam vestem fecit sibi, | byssus et purpura indumentum eius.* 23. *Nobilis in portis vir eius, | quando sederit cum senatoribus terrae.* 24. *Sindonem fecit et vendidit, | et cingulum tradidit Chananaeo.* 25. *Fortitudo et decor indumentum eius, | et ridebit in die novissimo.* 26. *Os suum aperuit sapientiae, | et lex clementiae in lingua eius.* 27. *Consideravit semitas domus suae | et panem otiosa non comedit.* 28. *Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt, | vir eius et laudavit eam.* 29. *Multae filiae congregaverunt divitias, | tu supergressa es universas.* 30. *Fallax gratia et vana est pulchritudo, | mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* 31. *Date ei de fructu manuum suarum, | et laudent eam in portis opera eius.*

Exhibetur in hoc carmine alphabetico forma quaedam ac figura praeclara matrisfamilias. Describitur qualis esse debeat; proponitur eius industria, cura domesticorum, cura rei familiaris, honor quem viro conciliat, laus quae ei ab omnibus tribuitur; quorum omnium quasi fons et origo est timor Domini. Vide quae similiter habentur Eccli. 26,1-3. 16-24.

Uxor bona iam saepius laudata est 12,4; 18,22; 19,14; pluribus hoc loco virtutes eius enumerantur; v. 10 *mulierem fortem,* 12,4 diligentem, strenuam, *quis inveniet?* quis eam consequetur? bene G γυναῖκα ἀνδρείαν mulierem virilem (cf. 2 Mach. 7,21 femineae cogitationi masculinum animum inserens); « inventu est non impossibilis, sed difficilis, quia paucae tales sunt, sed velut rara avis in terra » (*Lap.*); hebr. mulierem roboris, strenuitatis; et quanti sit aestimanda, declaratur hebr. pro-

cul a margaritis pretium eius, id est, pretium eius plurimum superat pretium margaritarum; multo maioris pretii talis mulier est quam margaritae; apposite praebet G τιμιωτέρα δέ ἐστιν λίθων πολυτελῶν ἡ τοιαύτη, pretiosior est lapidibus pretiosis quae talis est; eodem modo versum laudat S. Hilarius : uxorem virilem quis inveniet? pretiosior est autem lapidibus multi pretii istiusmodi (in Ps. 127; *M.* 9,708); et similiter S. Ambrosius (in Lucam, *M.* 15,1768). Quod in vulg. habetur *procul et de ultimis finibus pretium eius* potest ita intelligi : mulier strenua et industria rara res est rarique pretii, uti solent esse res quae procul de ultimis terrae finibus afferuntur (*Lap.*) vel tam pretiosa res est, ut in ultimis terrae finibus sit inquirenda, indeque evocanda, si inveniatur.

Quanti pretii sit pro marito, insigni modo declaratur v. 11 *confidit in ea cor viri sui,* secure in uxore strenua conquiescit cor mariti; in eam cordis sui curas et sollicitudines de providendo familiae resignat; illi opes resque omnes agendas committit (*Lap.*); et optime ita agit; nam hebr. et spolio (i. e. quaestu, victu) non carebit; uxor ita rem familiarem curat, ut vir nunquam indigentia seu inopia prematur; ita explica : *et spoliis,* comparatione rerum pro vita, *non indigebit,* non carebit. Uti in vulg. v. 15 praeda adhibetur non sensu militari et bellico, ita hic spolium induit notionem pacificam; neque enim explicandum est (quod aliquibus placuit) : uxor tam bene providet opibus, ut vir non opus habeat in bello gerendo sibi spolia quaerere. Talis utique mulier viro semper affert utilitatem, damnum nunquam; ita v. 13 *reddet ei bonum et non malum,* cum et antea et postea de rebus ad vitam necessariis sermo sit, etiam hic *bonum* de utilitate et prosperitate promovenda, de lucro afferendo, de augendis opibus intelligatur oportebit; verum est ea ratione etiam viro reddi vitam laetam, iucundam, minime tristem; uxorem ei esse blandam, signa amoris ei exhibere, neque ei moerorem ac tristitiam causare, *omnibus diebus vitae suae,* verum quidem est de uxore bona et amanti. Verum cum hoc loco mulier describatur strenua, prior acceptio boni et mali retinenda erit.

Quomodo incumbat labori, docetur v. 13 *quaesivit lanam et linum,* ut scil. ex iis conficeret nendo fila lanea, linea, uti indicatur v. 19, et ex linteis vestimenta (v. 21. 22); et huiusmodi operi et labori cum gaudio incumbit *et operata est consilio* hebr. beneplacito, cum laetitia, *manuum suarum*; libentissime, alacriter; manus cernuntur promptae, alacres, laetae in lanificio; ipsa quaerit, non exspectat donec vir lanam et linum coemeret eique obtruderet (*Lap.*). Hinc hausit S. Hieronymus monita quae dedit Demetriadi virgini : « ha-

beto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusi vertantur » (Epist. 130; *M.* 22,1119) et ad Laetam de institutione filiae haec scribit : « discat et lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere » (Epist. 107, *M.* 22,875). Mulier strenua valde studiosa est, ut quae utilia ac necessaria sunt, etiam e longinquis regionibus sibi comparet; habet studium negotia gerendi mercatorum instar; nam v. 14 *facta est quasi navis institoris,* mercatoris; et similitudo declaratur : *de longe portans panem suum,* ex longinquo adducit commeatum suum.

Summo mane ante diluculum, v. 15 *de nocte,* hebr. dum adhuc nox est, *surrexit* surgit et dat cibum domui suae, familiae, *domesticis suis, et cibaria* חק partem, pensum, *ancillis suis*; cf. 30,8; ancillae pertinent ad domum, domui autem alimentum iam est datum membro antecedente; itaque melius interpretabimur, uti Ex. 5,14 fit, dat pensum laboris ancillis, assignat illis mensuram operum domesticorum. Summo mane ordinem diurnum et labores singulis decernit; et hoc exprimunt G, S (cf. σύνταξιν *Theod.* πρόσταγμα *Sym.*).

Alia explicatur industria in v. 16; cogitat de augendis possessionibus et prosperum habet successum : *consideravit agrum,* deliberat ad acquirendum agrum et eum revera acquirit, *et emit eum, et de fructu manuum suarum,* ex pretio telarum, pannorum quos confecit *plantat vineam,* sibi comparat, seu emit vineam. Ita providet familiae panem et vinum. Quam strenue labori sese impendat, describitur v. 17 *accinxit fortitudine lumbos suos,* robore cingit lumbos; qui strenue laboraturi sunt, lumbos succingunt, ut robur viresque colligant; et *roboravit brachium suum,* robuste brachia sua (hebr.) exercet ad opus. Sedulitate et diligenti labore v. 18 *gustavit* (*et vidit*) *quia bona est negotiatio eius,* experientia didicit ac gustu ipso clare sensit quam suave esset lucrum negotiationis et diligentiae (*Lap.*); labore assiduo crescit quoque amor et delectatio laboris; *non exstinguetur in nocte lucerna eius*; cum antea et postea de labore sit sermo, etiam haec sententia de labore quoque nocturno videtur explicanda; « modicum adeo quietis sibi indulget, adeo est labori intenta, ut vix ullum noctis momentum inveniri queat, quo ipsius lucerna non ardeat » (*Calm.*). Alii explicant locutionem, uti 20,20 (cf. Iob 18,5.6), de continua felicitate ac prosperitate, uti in contrarium etiam Ier. 25,10 perdam vocem gaudii et lumen lucernae. Sed cur hoc loco additur *in nocte?* nihil tale legitur in locis laudatis; itaque ad statum felicem declarandum satis erat dicere : non exstinguetur lucerna eius. Affertur quidem proverbium hodie in usu apud rusticos in Aegypto et

apud nomades in Arabia : iste dormit in tenebris, id est, homo est plane pauperrimus (cf. *Wild.*); nescio num exinde quidquam rite colligi possit. Ceterum si res adversae exstinctione luminis declarantur, uti fit locis laudatis, iam cogeris explanare : noctis tempore non evenient tibi casus adversi! Verum cui arriserit talis loquendi modus?

Describitur exemplo unum laborum eius genus v. 19 *manum suam misit ad fortia,* hebr. כישור, membrum alterum agit de fuso (Spindel), unde notio *colus* plane congruit : manum suam mittit ad colum *et digiti eius apprehenderunt fusum,* labor itaque stamina nendi, stamina ducendi versato fuso designatur; cf. v. 13. Colum veteres interpretes non interpretati sunt, verum G τὰ συμφέροντα, S refert vocem hebraeam, *Aqu. Theod. Sym.* ἀνδρεία (ita *Field,* nonne ἀνδρεῖα, scil. ἐπὶ τά?). Mulier strenua est quoque misericors in pauperes v. 20 *manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem*; cf. 19,17; 22,9; inde consequetur benedictionem; cf. Eccli. 7,36 pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio tua et benedictio.

Toti familiae vestimenta providet pulchra quibus contra frigus proteguntur v. 21 *non timebit domui suae a frigoribus nivis; omnes enim domestici eius,* omnis domus eius *vestiti sunt duplicibus* hebr. coccinis; G δισσάς (ad versum sequentem trahitur), proinde שנים lectum est schenaim; S : non timent filii domus eius a nive, quia omnes vestiti sunt coccinis. Vestes coccinae conficiuntur textis pannis, quibus color rufus cocco inductus est. Aliqui tamen probant lectionem G, vulg. *duplicibus,* quia duplices vestes magis frigus arcent. At vestes quoque coccinae, id est vestes ex lana textae et rubro colore infectae omnino bene calefaciunt; insuper v. 22 *stragulatam vestem* hebr. cf. 7,16 stragula, peristromata, tapetia *fecit sibi, byssus et purpura indumentum eius,* byssus est pannus lineus, tenuis, albus; purpura, pannus rubra purpura tinctus, unde haec vestis multo pretiosior est quam vestes in v. 21 designatae. Et si uxor tam nobili veste induitur, ipsum quoque maritum vestimento quoque dignitatem exhibuisse certum est. Id exprimitur in G δισσὰς χλαίνας ἐποίησεν τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς duplices vestes fecit viro suo. Similiter legitur in syr hexapl. omnes enim sui vestiti sunt stolis duplicibus; pallia (chlanidia) fecit viro suo ex bysso. In margine refertur *Aq. Theod.* : domus eius vestita erat stratis duplicibus; fecit sibi byssum, et purpura indumentum eius.

Uxor strenua auxit opes et possessiones (v. 16 seq.), nota est liberalitate (v. 20), omnes domestici ipsis vestimentis honorem, decus, pes domus exhibent (v. 21.22); quare maritus quoque talis mulieris, moagna pollet auctoritate inter cives v. 23 *nobilis in portis vir eius*

quando sederit cum senatoribus terrae, cum senioribus; in portis urbis seniores iudicia exercebant; cf. 8,3; Ruth 4,1; 2 Reg. 19,8; Iob 29,7; Ps. 126,5; inter eos dignitate excellit vir eius, mulier diligens corona est viro suo (12,4).

Aliud genus sedulitatis mulieris, mercatura, laudatur v. 24 *sindonem fecit et vendidit* de voce סדין cf. Iud. 14,12.13. Is. 3,23, linteamen subtile ac pretiosum; *et cingulum tradidit Chananaeo,* institori, emptori vendit balteos quos mulier artifex texebat. Vox Chananaeus nativa significatione amissa transit in notionem generalem institoris (uti in vulg. Is. 23,8), negotiatoris (Iob 40,40), mercatoris (Zach. 14,21). De Anna quoque, uxore Tobiae, narratur : ibat ad opus textrinum quotidie et de labore manuum suarum victum quem consequi poterat deferebat (Tob. 2,19). Ipsa mulier ita se gerit, ut in omnibus gestibus et actibus appareat fortitudo ac decor; perinde ac si eius amictus esset ipsa fortitudo ac decor v. 25 *fortitudo et decor indumentum eius,* quid notione indumenti significetur, apparet ex locutionibus sat frequentibus : indumento iustitiae circumdedit me (Is. 61,10), iustitia indutus sum (Iob 29,14); decorem indutus est (Ps. 92,1), sacerdotes induantur iustitiam, induam eos salutari, inimicos induam confusione (Ps. 131,9.16.18; cf. Iob 8,22; Ps. 34,26; 103,1; 108,18). Cum itaque opibus domus eius abundet, cum fiducia et securitate prospicit in tempus futurum, hebr. ridebit de die futuro, de diebus posteris; ridere, id est, non timebit cf. Ps. 58,9; Iob 5,22; 39,7; 41,21 (hebr.); *et ridebit in die novissimo,* etiam in futuro erit confidens; cum optima spe exspectat nec spes eius falletur. Domum suam bonis omnibus firmavit; quare metu futurorum malorum non quatitur (*Calm.*).

Sermones eius sapientia condiuntur et clementia et suavitas ex eius verbis manat (*Calm.*) v. 26 *os suum aperuit sapientiae,* in sapientia, *et lex clementiae in lingua eius*; eius gravitas et decora modestia elucet in verbis sapientibus et clementibus (*Lap.*); in imperando, reprehendendo lingua eius seu modus loquendi regitur lege clementiae, benevolentiae, misericordiae. Simul attente circumspicit quae domi agantur v. 27 *consideravit semitas domus suae,* speculans (hebr.) actiones ac mores domesticorum, familiae. Alia tangitur laus matrisfamilias, cuius officium unum ex praecipuis est, ut invigilet in modos agendi, in vias domesticorum, et sedulam curam gerat, ut cuncta bene et ex ordine fiant. Ipsa omnibus praebet strenuum exemplum laboris, sedulo et utiliter occupata : *et panem otiosa,* panem pigritiae, *non comedit*; sollerter laborando victum quaerit et promeretur. Simili modo testatur apostolus : neque gratis panem manduca-

vimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus; denuntiavimus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet (2 Thess. 3,9. 10).

Adoleverunt filii eius simulque cum aetate creverunt virtutibus quas a matre didicerunt, indeque honoribus, dignitatibus et gloria quoque apud cives noti sunt (cf. *Lap.*); ita v. 28 *surrexerunt filii eius*; auctoritatem et gloriam sibi acquirunt; de tali notione קוּם vide 28,12, seu proficiunt; ideoque mater ab omnibus beata praedicatur: *et beatissimam praedicaverunt*; communiter explicant de filiis matrem celebrantibus; non esse filiorum laudes matris extollere, censet *Frank.*; *vir eius* surrexit, id est, ad dignitatem et auctoritatem pervenit, dives effectus, optime vestitus industria uxoris; propterea uxor laudatur. Videtur magis convenire, ut encomium mulieris fortis ab aliis praedicetur quam ab ipso marito. Et quales laudes ei tribuantur, declaratur v. 28 hebr. multae filiae exhibuerunt strenuitatem, agunt strenue, fortiter; certe חיל ea notione retineatur oportet qua in v. 10 adhibetur; quare quod versiones habent: *multae filiae congregaverunt divitias*, a vero sensu recedit; summa quaedam laudum est strenuitas, quae per singulos versus est explicata. Quod divitias collegerit, est unum exemplum, quod hic haud bene solum efferretur; *tu supergressa es universas*, scil. tamquam mulier fortis, non una tantum ratione — copia divitiarum — sed toto agendi modo.

Verum summa eius laus, fons simul et origo omnium quae laudem merentur, assignatur ab auctore sacro, eius pietas in Deum v. 30 *fallax gratia et vana est pulchritudo,* brevis et caduca, fugax et evanida; hebr. proprie mendacium, vanitas (nihilum, halitus) est id quod in muliere sensibus summopere placet et arridet; tacitae quasi occurrit obiectioni, ut *Ians.* adnotat, nempe cur inter laudes mulieris non meminerit pulchritudinis eius corporalis, quae commendare solet mulieres vel maxime apud homines; respondet enim laudem mulieris non consistere in veritate in huiusmodi; *mulier timens Dominum ipsa laudabitur*; vera laus et optima dos constituitur in timore Dei, in eius cultu, in pietate, scil. in habitudine hominis ad Deum; in hac tandem rectus constat ordo, quem creatione Deus instituit.

Talis mulier meretur, ut fructus laborum particeps fiat et ut in conventu publico opera eius encomiis celebrentur v. 31 *date ei de fructu manuum suarum,* frui debet iis quae labore manuum acquisivit; labores manuum tuarum manducabis et bene tibi erit (Ps. 127,2); « date ei vinum delicatum quod protulit vinea quam ipsa plantavit, date illi vestem byssinam et purpuream, vestite illam sindone quam

ipsa manibus suis filavit et texuit; mensam opiparam illi instruite ex annona omnigena et pretiosa quam ipsa suo labore comparavit; gaudeat supellectile aurea et argentea qua ipsa domum sua industria adornavit » (*Lap.*); *et laudent eam in portis opera eius*; opera eius strenua ac magnifica, ipsa etiam tacente, loquuntur eius laudes, palam et in publico magistratus iudicumque consessu (*Lap.*).

INDEX

PROLEGOMENA

COMMENTARIUS

DE

ARTE RHYTHMICA HEBRAEORUM

APPENDIX

AUCTORE

FRANCISCO ZORELL S. I.

שירו לנו משיר ציון Ps. 137, 3.
« Hymnum cantate nobis de canticis Sion. »

I. Prooemium.

§ 1. — Celeberrima illa veterum de metris sive rhythmis Hebraeorum testimonia[1] atque ipsa per se res tam mire obscura quam scitu dignissima homines doctos[2] ad investigandas illorum rhythmorum leges stimulare nunquam desiit. Sed cum vario et — ut quidam opinantur — tam infelici successu huic quaestioni insudatum est, ut sint qui eiusmodi rhythmos aut negent exstitisse unquam aut, si qui exstiterint, a nobis reperiri posse desperent[3] rideantque rem metricam Hebraeorum ceu « pelagus multorum hominum doctorum naufragiis celebre » vel « systematum metricorum coemeterium ».

Nihilominus, quoniam Hebraeis nullam fuisse poësin rhythmicam vix probabile est et certe multi, quos quidem Ley, Grimme, Schloegl, Sievers legendos proposuere, versus tam belle atque expedite decurrunt, ut horum ratio versuum legendorum ab ipsa veritate videatur prope abesse, eiusmodi irrisiones censemus spernendas ac, si quid in systematis metricis displiceat, potius nova melioraque facienda esse tentamina. Ex ipsis metricorum defectibus discendum est quid debeamus vitare, ac videndum qua legendi ratione textus sacer aut suavius pronuntiari aut sine mutatione integer servari queat. Praesertim eliminandum est sedulo quidquid theoriam metricam proponendam reddit fere incredibilem, qualia sunt intricatus quidam modus pedum syllabarumque « moras » numerandi, formae grammaticae accentusque vocum arbitrarie[4] mutata, frequentes sacri textus (i. e. ipsarum consonantium vocum hebraicarum) immutationes et eiusmodi alia : nam talia quamlibet de hac quaestione theoriam merito suspectam reddunt. At profecto, si cui contigerit, ut systema metrices tale proponat, quod 1° vix unquam sacri textûs (consonantium, inquam) mutationem

1. De quibus cfr *Cornely*, Introd.² II 2 nr. 164.

2. Quos enumeratos habes apud *Cornely* l. c. Quibus adde *H. Grimme,* Psalmenprobleme, Freiburg (Schweiz) 1902; *N. Schloegl,* O. Cist., de re metrica veterum Hebraeorum, Vindobonae 1899; *E. Sievers,* Metrische Studien, Leipzig 1902; *V. Zapletal,* de poësi Hebraerorum in V. T. conservata, Friburgi Helv. 1909.

3. Cfr ex. gr. *Cornely,* l. c.; Dr. *I. Ecker.* Prot. Dr. Bickell's « carmina V. T. metrice », das neueste Denkmal auf dem Kirchhof der hebr. Metrik². Münster 1883; *idem,* Porta Sion, p. 177 *.

4. *Arbitrarie,* inquam; nam nonnullas formarum mutationes secundum Origenis, Hieronymi, codicum babylonicorum etc. traditiones factas nec reprobo et ipse admitto.

exigit; quod 2° pronuntiationem, quam grammatici docent masoretaeque indicarunt, non deserit nisi in minutiis et eatenus quatenus ipsa veterum traditio affiniumque linguarum analogia permittere videtur; quod 3° universim accentum suum vocibus consuetum relinquit; quod 4° parallelismum membrorum, ubi in carmine inest, integrum servat; quod 5° hac ratione legendi servatâ exhibet in sacris poëmatis, et quidem in multorum pariter carminibus poëtarum, verum quendam rhythmum poëticum, qualis in aliorum quoque populorum optimis quibusque carminibus observatur; quod 6° denique pulchra atque elegantia poëmata exhibeat : — si hoc, inquam, alicui contigerit, nemo est, puto, quin tale systema et probet et censeat esse amplectendum.

Atque ut cognoscatur genuina ars metrica Hebraeorum, enitendum reor summopere. Nam certe est ratio rhythmica, si qua in sacrae Scripturae carminibus inest, et praecipuum quoddam elementum pulchritudinis poëticae et sine dubio apta, ex qua de divisione carminis, de stropharum structura etc. multa cognoscamus quae hucusque latent aut incerta sunt. Intellecto quidem tali rhythmo exegeta iam non audebit ad libitum a versibus vocabula stichosve demere aut adicere, de strophis ferre sententiam, diversorum psalmorum fragmenta in carmen conflare unum, nisi ante certo perspexerit, cuiusmodi rhythmus in carmine observetur.

Sitne hoc quod iam propositurus sum systema metricum eiusmodi quod iustis exspectationibus satisfaciat seu tale quale modo esse debere dicebam, aequo virorum rei metricae et grammatices hebraicae peritorum iudicio relinquo. Est certe, opinor, talis systematis bonum quoddam initium; ad quod emendandum ac perficiendum qui aliquid conferre de suo poterit, ut conferat, hortor. Permulta me aliorum studiis debere, qui legerit, cognoscet, ut Iulio Ley, professori Marburgensi, qui hac de re optimas aliquot elucubrationes edidit [1], Grimme, Schloegl, Sievers [2], quibuscum in versibus legendis, quos immutatos relinquunt, plerumque consentio. Me de meo nonnihil adiecisse, qui comparabit, cognoscet.

§ 2. — Iam ut ipsam statim rem aggrediamur, quoniam hebraici versus, ut facile patet, neque certo ordine longarum breviumque syllabarum efficiuntur — quemadmodum latini, graeci, veteres arabici —, neque constantem vel determinatum habent numerum syllabarum — ut versus ex. gr. gallici, polonici, syriaci [3] —, *restat ut, si in carminibus hebraicis aliquis*

1. Leitfaden, der hebr. Metrik, Halle 1887; de libro Iob et Isaiae capp. 40 sqq. copiose tractavit in Studien und Kritiken 1897 et 1903.

2. Cfr p. 249 notam 2.

3. Hoc in hebraica quoque poësi supposuerunt *Bickell* et *G. Gietmann* S. I.; de quorum systemate aeque iudicavit *Cornely*, Introd. II, 2 nr. 164 et in notis. Praecipua commendatione dignus est P^is Gietmann liber inscriptus « de re metrica Hebraeorum », Friburgi Brisg. 1880, qui non solum systema Bickellianum optime expolivit, sed sacrum textum quam poterat fidelissime conservavit immunem.

rhythmus inest, is ab accentu vocabulorum grammatico pendeat, ut in lingua germanica, anglica, aliis.

In hoc quoque poëseos rhythmicae genere duas species distinguere licet. Aut enim syllabarum tam atonarum quam accentu efferendarum numerus a poëta accurate statuitur, ita ut singulis versibus sit numerus syllabarum determinatus (ut[1] .! ..! ..! ..! vel !. !. !. !., !. !. !. ! ets.), — aut *solus numerus ictuum sive syllabarum accentuatarum (eutonarum) lege determinatur,* atonarum vero numerus aliquatenus manet liber. In hoc altero genere carminum enim *praeiacet primo versus ictui et interiacet inter sequentes ictûs ad libitum poëtae plerumque una atona vel duae; ut primum ictum praeeat nulla atona, fit sat saepe, — ut reliquos, raro; ut aliquam arsin tres deinceps syllabae atonae praecedant, permittitur quidem, sed non saepe usuvenit; — ultimo versûs ictui saepe una atona subditur.* Primi igitur pedis forma est .! vel ..! vel !, rarius ...!; sequentium pedum .! vel ..!, rarius ...!, perraro !; ultimi pedis .! (.) vel ..! (.) vel ...! (.). Haec species rhythmorum a quibusdam appellata est « rhythmus germanicus »[2], quia poëtis Germanorum affiniumque populorum (Anglorum, Danorum, Suecorum) est usitatissima[3].

Exemplum ponendum videtur. Affero nostratis *Goethe* aliquot strophas ex illo poëmate promptas, quod inscripsit « der Erlkönig », et ad marginem metrum indico.

.! ..! .! .! 1) Wer reitet so spät durch Nacht und Wind?
.! .! .! ..! Es ist der Vater mit seinem Kind.
.! .! .! ..! Er hat den Knaben wohl in dem Arm,
.! .! ..! .! Er fasst ihn sicher, er hält ihn warm.
.! .! .! .! 3) Du liebes Kind, komm, geh' mit mir,
.! .! .! ..! Gar schöne Spiele spiel ich mit dir,
.! .! .! ..! Manch bunte Blumen sind an dem Strand,
..! .! .! ..! Meine Mutter hat manch gülden Gewand.
.! ...! ..! ..! 7) Ich liebe dich, mich reizt deine schöne Gestalt;
.! ..! ..! ..! Und bist du nicht willig, so brauch ich Gewalt.
.! ..! ..! ..! Mein Vater, mein Vater, jetzt fasst er mich an;
! ..! ..! .! Erlkönig hat mir ein Leids getan.

Ubi compara 3a : .! .! .! .!, 7c : .! ..! ..! ..!, 3d : ..! .! .! ..!,

1. In schematis rhythmorum scribendis pono . pro syllaba atona, ! pro accentuata seu eutona.

2. « Das deutsche Versmass »; ita *I. Franken* in Wissenschaftliche Beilage zur Germania 1905, nr. 39. Melius, opinor, diceretur « das germanische Versmass ».


3. Idem metrum (adhuc aliquanto liberius, ut etiam quattuor deinceps atonae admitterentur) olim apud Coptos viguit; cfr *A. Erman*, Bruchstücke koptischer Volkslitteratur p. 44 sqq. (Berlin 1897); *Junker*, Kopt. Poesie des 10. Jahrhunderts (Oriens christianus VI, p. 353 sqq.). Nec absimilem poësin hodie in Palaestina vigere dicit *G. Dalman*, palästinischer Diwan, Leipzig 1901, p. XXIII : « Verszeilen mit 2, 3, 4 und 5 betonten Silben, zwischen welche ein bis drei unbetonte Silben eingeschaltet werden können ohne Bindung an eine bestimmte Zahl im einzelnen Gedicht. Zuweilen stossen auch 2 betonte Silben unmittelbar aufeinander. »

7a : .! ...! ..! ..!, 7d : ! ..! ..! .! Constat sibi igitur numerus quaternarius ictuum, reliqua variant eo modo quo dixi.

Pro Anglicae linguae gnaris pono exemplum stropham carminis pontificii, in quo alternant versus 4 et 3 ictuum :

.! ..! ..! ...! Great dynasties fall like the flowers of the field,
.! .! ..! Great empires wither and fall;
! ...! .! ..! Glories there have been that blazed to the stars;
..! .! .! They have been and that is all.
.! ..! .! .! But there is the grand old Roman See
.! ..! .! The ruins of earth among,
! ..! ..! .! Young with the youth of its early prime,
..! .! .! With the strength of Peter, strong.

Ratio, cur haec in numero atonarum licentia admitti possit, in eo sita est quod apta pronuntiationis acceleratione aut retardatione effici potest, ut in declamando aut decantando carmine post certum temporis spatium syllaba sub ictu posita recurrat (in hoc enim demum rhythmi et musici et poëtici [rhythmi rationalis et irrationalis, ut alii loquuntur] natura consistit. (Ex. gr. cani potest pro ! .! ♩ ♩ ♩.[1], pro ! ..! ♩ ♪♪ ♩., pro ! ...! ♪ ♬ ♩., pro !! ♩ 𝄽 ♩ vel 𝅗𝅥 ♩.). Ita rhythmus musicus primarum quattuor linearum carminis anglici est fere hic :



§ 3. — Eiusdem « metri germanici » legibus subesse hebraicos versus, si ea admittuntur, quae sequentibus paragraphis 5. — 20. exponentur convenientibusque fulcientur argumentis, demonstrari potest.

Poëma se audire Germani sentiunt, si textum cum tali rhythmo compositum et in eo syllabas aliquas finales eorumdem sonorum (Reime, rimes) audiunt; Hebraeis vero poëma erat textus talis rhythmi, cum « parallelismo membrorum » (qui tamen non in omnibus carminibus habetur; cfr Ps. 87, 110, 111).

II. — De pronuntiatione vocabulorum.

Adnotatio. — Vocabula hebraica ita transcribemus :

א	בּ	ב	גּ	ג	דּ	ד	ה	ו	ז	ח	ט	י	כּ	כ	ל	מ	נ	ס	ע	פּ	פ	צ	ק	ר	שׂ	שׁ	תּ	ת.
'	*b*	*b*	*g*	*g*	*d*	*d*	*h*	*w*	*z*	*x*	*ṭ*	*y*	*k*	*ch*	*l*	*m*	*n*	*s*	ʿ	*p*	*f*	*ç*	*q*	*r*	*ś*	*š*	*t*	*th.*

Vocales longae in versu accentuatae : *â î ô ê û é è*; breves : *à è* ......; šwa compositum *a, e, o* cum signo brevitatis; u = וּ (= et); šwa mobile necessario pronuntiandum = ə, ad libitum pronuntiabile : (ut *qoṭ:lîm*).

Vocales signo accentus carentes universim, si duo consonantes sequuntur, sunt breves, si una, longae.

1. Hic ♩ designat sonum syllabae accentuatae, ♩ sonum atonae.

§ 4. — Ad rhythmum poëticum efficiendum aut impediendum non multum quidem interest, quomodo singulae litterae pronuntientur, id quod patet ex diversis modis pronuntiandi versus latinos apud Italos, Germanos, Gallos etc. Nihilominus, quia durior illa quae passim in scholis viget pronuntiatio sermonis hebraici etiam versus reddit asperiores, valde convenit ei consonantium hebraicarum pronuntiationi assuescere quae in melioribus grammaticis docetur (Gesenius-Kautzsch § 6; Touzard nr. 6; Gismondi § 3 sq.), praesertim ut litterae בגדכפת dageš leni carentes suavi sono efferantur : ב = v; ג = g in voce germanica Tag (ut in septentrione pronuntiatur, Ta^{ch}); ד = th anglicae vocis *father*, vel ut *z* hispanicum; כ = ch vocis germ. *auch* vel *g* vocis hisp. *general;* פ = *f bilabiale;* ת = th anglicae vocis *path* vel c vocis hisp. *nacion*. Porro צ non est *ts*, sed ç ore rotundo fortiter prolatum; ו *w* est w anglicum, fere = ŭ. Alia mittimus.

Si in confiniis vocabulorum pronuntiatio difficilis est, Arabes Syrique secundum quasdam regulas consonantium sonos inter se assimilant (regulas, quas brevitatis causa praetermittimus, v. apud *Gismondi*, Ebed-Iesu Sobensis carmina selecta, p. XIII-XV). Quibus legibus observatis legere deberemus ex. gr. אֶת־שֵׁם eš-šém, רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ rešiddarkô, רָצוֹן מִיהוה raçômmiyyahwè, כִּי לְרֹאשׁוֹ ki-rrošô etc.

§ 5. — Valde autem ***interest ut cognoscamus, quaenam vocales, ut lectio rhythmica fiat, pronuntiandae quaeve silentio premendae vel saltem ita debilissime efferendae sint, ut in numero syllabarum nequaquam computentur.*** Namque supprimuntur vel debilitantur atque extra numerum syllabarum numerandarum ponuntur syllabae alioquin clare efferri solitae non solum in lingua latina (dulc^{e} et decor^{um} est pro patria mori), italica (O di Rom^{a} e d'Ital^{i}a decoro, Ver^{o} esempio d'invitto corraggio), hispanica (Al sentir d^{e} esta march^{a} el rumor toc^{a} alarm^{a} el inf^{i}ern^{o} y el pérfid^{o} inf^{i}el), sed etiam in syriaca[1], arabica[2]. Ergo certe nihil mirum, si quid tale etiam in poësi hebraica observetur. Sine aliqua vocalium a Masoretis scriptarum suppressione fieri non posse, ut psalmi rhythmice legantur, clarum est. Verum ne in incertum vagemur aut statuamus arbitraria, duces sequemur passim veteris pronuntiationis hebraicae testes vel doctores (imprimis Origenem atque Hieronymum et veterioris punctuationis superlinearis seu babylonicae auctores[3]) et observabimus usum linguarum affinium. Regulas nonnullas inde repetitas hypotheseos probabilis instar proponemus : quibus observatis, si revera sacra carmina rhythmice sonant, tanto verisimilius erit, nos recta via incedere.

1. Cfr *G. Bickell*, S. Ephrem Syri carmina Nisibena (Lipsiae 1866), p. 33-35.
2. Cfr *Socin-Stumme*, Diwan aus Centralarabien. III (Leipzig 1901), § 187, 188 al.; *Durand-Cheikho*, elementa gramm. arab. I, § 179.
3. De quorum pronuntiatione v. *P. Kahle*, der masoretische Text des A. T. nach der Ueberlieferung der babylonischen Juden, Leipzig 1902. Insuper *J. Weerts*, über die babylonisch punktierte Handschrift No. 1546 der II. Firkowitschschen Sammlung (Codex Tschufutkale No. 3) in Zeitschr. f. alttest. Wissenschaft 1906, p. 49 sqq.

§ 6. — ***In numerandis igitur syllabis atonis praetereuntur et, quatenus id euphoniae ratio permittit, silentio premuntur :***

A) ***vocales breves euphoniae causa vocabulis insertae,*** i. e.

a) ***pathach furtivum :*** רוּחַ *ruªx* est unius syllabae.

b) ***segol, pathach, chireq formarum segolatarum quae vocantur :*** itaque מֶלֶךְ, קֹדֶשׁ, נֵצַח, נַעַר, בַּיִת sunt monosyllaba, scribamque : *mèlch, qôdš, nèçx, nà'r, bàyth;* itidem *robèçth,* ets. (Tamen *mèlᵉch...* pronuntiare non veto.)

c) ***šwa compositum loco šwa quiescentis positum,*** quod occurrit in formis נַעֲרִי, יַעֲמֹד, הֶעֱמִיד ets.; scribam *na'rî, ya'môd, he'mîd ets.*

Nota. — In *codicibus babylonicis* pathach furtivum (nisi *post* ע) fere non scribitur. *Origenes*[1] segolata ita transcripsit : ααρς (הָאָרֶץ), γαβρ, δερχ, εσδ (חֶסֶד), χοδς (קֹדֶשׁ), νεγδ, σαμς (שֶׁמֶשׁ), φαρδ, νεβλ, σαχ (שַׁחַק), θεθ (תַּחַת), νες (= νεσ' נֵצַח), ρεμ (= ρε'μ רֶחֶם) etc. *Hieronymus*[2] item thas (תַּחַשׁ), zor (זֹהַר), thofert (תִּפְאֶרֶת) ets. Ipsi *masoretae nostri* scripsere vel יֹלֶדֶת (Is. 7,14) vel יֹלַדְתְּ (Gen. 16,11 al.); cfr לָלֶדֶת (Gen. 4,2) et לַלַת (1 Sam. 4,19). — Similiter *Origenes* scribebat θαρες (תַּחֲרֵשׁ), θανουναϊ (תַּחֲנוּנַי), *Hieronymus* thalulim (תַּעֲלוּלִים), *LXX* Ιαχωβ (יַעֲקֹב), *codd. bab.* יַעֲקֹב, יַאֲזִין etc.

§ 7. — B) ***Pro syllaba non computantur vocales in sonum šwa mobilis vel medii vel šwa compositi debilitatae*** (aliis verbis : *quodvis swa*) praeterquam in littera initiali vocabulorum. Etenim :

a) ***In medio vocabulo šwa medium et correspondens šwa compositum semper supprimatur vel debilitetur :*** *dibrê, malchê, ridfû, nahrê* (נַהֲרֵי), *bišfôl, be'mòr* (בֶּאֱמֹר) ets. — b) item ***šwa mobile eiusque vicarium šwa compositum :*** *āmrû, šā'lû, ōmrîm, kōhnîm, dibbrû, yirdfû, mišknothâm* ets. (hoc šwa mobile pronuntiari potest, si rhythmus eo pronuntiato non turbatur).

b) ***šwa litterae initialis, sive simplex sive compositum, ad libitum pro syllaba numerari vel supprimi potest,*** prout aut versûs ratio (i. e. atonarum numerus minuendus aut augendus) aut euphonia exigit. *Pronuntietur* igitur si alioquin pes non haberet syllabam atonam vel si cacophonia oreretur; *supprimatur* ubi praeterea iam duae atonae in pede habentur et consonantes sic commode pronuntiari possunt; *pro libitu proferatur vel taceatur,* si praeterea una atona adest (hoc šwa liberum signo « : » indicabo, ut *r:wayâ, mibb:nê*).

Saepe pronuntiandum in numeroque syllabarum ponendum hoc šwa initiale occurrit : in particulis praefixis בּ, כּ, לְ, וְ (nempe quae etiam in textu

1. Citata ex *Origene* vocabula sumpsi ex *Hatch-Redpath,* A Concordance to the Septuagint, et : Supplement p. 199-216, ubi habentur, ni fallor, quindecim psalmorum vocabula hebraica graecis litteris scripta.

2. Prolata ex *Hieronymo* vocabula descripsi ex Zeitschrift f. alttest. Wissenschaft IV, p. 35 sqq.

masoretico ante ictum saepe vocali qâmeç donantur) *et šwa initiale eorum nominum,* in quibus masoretae vocalem E (seu si mavis I) immediate ante vocalem accentuatam in šwa commutaverunt, *qualia sunt* תְּהוֹם, שְׁמִי, אֱלוֹהַּ etc. Etiam יְ initio vocabuli passim pro syllaba computatur (pronuntiandumne *i* ut apud Syros? *Hier.* idabber).

Nota. — Ipsi *masoretae* suo signo :, quo etiam plenam vocalis absentiam indicant, approbare videntur, ut lector nullum sonum vocalem proferat. Ex altera parte šwa litterae initialis saepe signo Metheg instruunt, ergo pronuntiari supponunt, alibi id omittunt. — *Codices babylonici* signum šwa mobilis saepissime omittunt, ergo nullam vocalem legendam indicant. — *Origenes* šwa omittit post vocalem longam : αμρου, αζβου, ταμνου, σαμου (שָׂמְחוּ), ηρφου (חֵרְפוּ). μηρσαϊμ (מֵרְשָׁעִים), σωμριμ (שֹׁמְרִים), σωνη (שֹׂנְאַי) etc., post consonantem dageš forti instructam (quam, ut saepe masoretae, simplicem scribit) : εθνηου (אֶתְנַהוּ), θασρηου (תְּחַסְּרֵהוּ), cfr masoretarum הַמְבַקְשִׁים pro *hamməbaqqəšîm,* ac si dicant *hambaqšîm;* denique post duas consonantes : ιερχθη (יִרְכָּתַי), μισχνωθαμ (מִשְׁכְּנוֹתָם), ικ(ε)ρσου (יִקְרְצוּ) ets. — *Hieronymus :* orbim (עֲרָבִים), mosche (מוֹשְׁכֵי) ets. — *Veteres grammatici Hebraeorum* quoque docebant, post vocalem longam sequi šwa mutum : *āmrû, ōmrîm* ets. (cfr *Gesenius-Kautzsch*[27] § 16 i). — Tam saepe occurrit, ut ipsa rhythmi ratione pronuntiatio *šəmô, təhôm, Elôªh...* postuletur, ut mihi paene videatur ab ipsis poëtis pronuntiatum esse שְׁמוֹ etc. (codd. bab. scribunt אלוה).

Initio vocabuli *Origenes* šwa modo scribit : βαφιεμ, μαλαμμεδ ..., modo omittit : βγηουαθω, βδαμι, βχωλω, βλεδ, βνη, βχερδ, θδουνωθ, θσωδαδηνι, λΔαυειδ, λχου, ζχωρ etc., *Hieronymus* bresith, sgolla, mnuatho. Etiam *Syri et Neo-Arabes* in pronuntianda post literam initialem vocali brevi seu šwa sunt valde liberi [1].

c) Si literae initiali šwa (simplex vel compositum) habenti praecedit vocabulum in vocalem exiens, valde commode pronuntiatio ita temperatur, ut consonans initialis, sui šwa sono privata, vocali praecedenti adhaerescat ut Ps. 100,1 *harî'u lYahwè* (*ha-rî-'ul-Yah-wè* .! ..!), ps. 113, 2 *me'attà w'ad-'olàm* (*me-'at-tàu-'ad-'olàm*), 113, 9 *mošibî 'qerth-habbàyth* (*mošibî'-qerth-hab-bàyth*) [2].

Šwa initiale etiam saepe obmutescere videtur, ubi sequitur א vel ה (cfr veterum transcriptiones *Iuda, Ruben,* νουμ = נְאֻם) : ergo dici potest *lAbrahâm, lithyaççéb* (= *ləhithyaççéb*) ets.

Ut Arabes ad libitum *wa* vel *u-* dicunt et Hieronymus Origenesque paene semper *u* οὐ (= וּ), ita euphoniae gratia audeo dicere *'òšr uchabôd, kèsf uzahâb* etc. (post vocabulum in duas consonantes desinens).

§ 8. — Ut in aliis linguis, etiam syriaca et arabica, ita **in poësi hebraica**

1. *Gismondi,* Ebed-Jesu p. xv in nota; *Socin-Stumme* l. c. III. § 45. 186. 187 g: *Bickell* l. c. p. 34.
2. Sic Neo-Arabes Kitàb, sed saepe wadjàdna Ktàb (invenimus librum); Syri pro *bachlîlâ dəšubxâ* dicunt *bachlilâ dšubxâ* (i. e. *baxlîâššubxâ, Gismondi,* Ebed-Jesu, p. xv, nota); Galli *vous tenez* (*voutné*).

aliquotiens (verum sat raro) usuvenisse mihi videtur apocope, elisio ac synizesis. — *Apocopen* quod spectat, puto **dicendum, post vocabulum in vocalem vel diphthongum** *ay* **exiens, particulas** אֶל, אַל, אִם, אֵת, עַל, עִם **nonnunquam sua vocali privari,** ut *bənî 'm-yəfattûch' xaṭṭa'îm* Prov. 1,10; *essâ 'enày 'l-heharîm* Ps. 121,1; *Adonây 'th-bath-Çiyyôn* Thr. 1,1; *Adonây 'l-yəminâch* Ps. 110,5.

Nota. — Cfr graece εἴη 'ξ ἐμοῦ, δὴ 'πί (= ἐπί). — Syri ita abiciunt vocalem praepositionis עַל et cuiusvis א initialis[1]. Similis licentia est Arabibus in Alif hamzato initiali (*Durand-Cheikho,* gramm. § 179,3).

§ 9. — ***Post vocabulum in vocalem desinens vocalis vocis*** min ***elidi potest;*** *hall : lû eth-Yahwè mn-haššamâym* Ps. 148,2. Idem enim Syris atque Arabibus licet[2].

Item chireq atonum nonnunquam elidi posse videtur, si consonantes eo eiecto commode pronuntiantur. Syri quidem vocales breves in poësi facile elidunt, ac notum est quam debiliter ac paene inaudibiliter Arabes vocales breves atonas pronuntient[3]. Unde Ps. 87,2 *mikkôl-mšknôth-Ya'qôb.*

Nota. — *Origenes* scripsit λϐνη (לִבְנֵי), λφνωθ (לִפְנוֹת), φσαμ (פְּשָׁעִם), μσχνη (מִשְׁכְּנֵי).

§ 10. — Apocopes vocalis initialis loco libentius **nonnunquam admitto synizesin vocalium vicinarum** duorum vocabulorum (tum *ū* atonum finale fere in *w*, *ī* in *y* transit) : *ut hoši'éni Elohây* (*ho-ši-'én-ye-lo-hây*) Ps. 3,8; *misgab* (§ 18 a) *lânu Elohê Ya'qôb* (*lân-we-lo-hê*) Ps. 46,12; *gam-kyeléch bge-çalmâwth loira-râ* Ps. 23,4. (Ita Graeci ἢ οὐ Il. 15,18; μὴ ἄλλοι Od. 4,165. Latini solum intra vocabulum).

Adnotatio. — His regulis observatis fiet, a) ut sat raro tres atonae inter duos ictus interiaceant, b) ut regulae accentuationis poëticae (cap. IV) exactius servari possint, c) ut multo rarius ad mutationem textus confugere debeamus.

III. — De quarundam formarum grammaticarum vel vocabulorum vocalibus corrigendis.

§ 11. — Et aliunde cognoscimus et per artem metricam intellegimus, quibusdem vocabulis ac formis sive nominum sive verborum a masoretis haud rectas vocales subscriptas esse. Ex quibus hic de iis solis agimus, quae cum vocabulum unâ syllabâ longius aut brevius reddant, ad rhythmum pertinent.

§ 12. — *Particulis* ב, כ, ל *masoretae persaepe vocalem articuli tribuerunt,*

1. *Bickell* l. c., p. 35 infra.
2. *Bickell* l. c., p. 35; *Socin-Stumme,* III, § 47 a.
3. *Bickell* l. c.; *Durand-Cheikho,* elementa gramm. arab. § 5 k.

ubi articulus poni non debuit. Id quod *Ley* [1] evidenter demonstravit. In sacra enim poësi ה articuli raro occurrit, in 44 psalmis ne semel quidem, in 34 semel ex speciali rationi, in Iobi 29 capitibus nunquam etc. Ergo si in eadem poësi particulae בּ, כּ, ל persaepe ut in prosa, articuli vocalem subscriptam habent, merito suspicamur, a masoretis articulum saepe perperam esse positum. Etiam LXX saepe ita vertunt ac si articulum non legissent (Is. 53,6 sq.).

Ac rectum metrum nonnunquam omisso articulo habetur, posito articulo perturbatur. — Itidem masoretae nonnusquam formam וַיִּקְטֹל scripsisse videntur pro וְיִקְטֹל et e contrario.

§ 13. — *Terminationum atonarum* ךָ, הָ *(et forte etiam* תָּ*) vocalis finalis plerumque a masoretis adiecta atque a textu originali aliena videtur esse.* Etenim a) sacri auctores vocalem finalem A secus litterâ ה indicare solebant; ergo in his formis omissum ה omittendum A innuere videtur. b) Revera Origenes et Hieronymus pro ֶיךָ constanter scribunt αχ, *ach* (αλαχ עָלֶיךָ, ηναχ עֵינֶיךָ, *dabarach;* pro ֶיהָ α : αμουδα עַמּוּדֶיהָ; formas verbales 2ae pers. masc. Origenes multo saepius scribit καταλθ quam καταλθα. c) Retentis formis masoreticis saepe metrum turbatur, correctis plerumque planius evadit. Has vocales igitur signo ' abiectas innui (*'endch', abîch'*...). *Formas consuetas non falsas esse statuo,* sed rarius usurpandas, quam masoretae volunt, censeo.

Etiam forma αχ (in suffixo imperfecti εχ), *ach,* quam *Orig.* et *Hier.* semper pro ךָ adhibent, etsi metrum raro mutat, tamen saepenumero commodius et elegantius legitur, unde eam scribere soleo. — E contrario nonnunquam suffixum verbale ךָּ (Orig. εχχα) ponendum videtur pro masoretarum ךָ.

Nota. — Formas Origenianas, quae A finale elidunt, genuinas esse, fere calculo mathematico ita probari potest : In versibus hebraicis, quia binis syllabis accentuatis plerumque una aut duae atonae interiacere solent (§ 2), post vocabulum oxytonon plerumque sequitur vox ab 1 vel 2 atonis incipiens (! .! vel ! ..!), post vocabulum paroxytonon vero fere ponitur vox ab una atona vel ab eutona incipiens (!. .! vel !. !); atqui, ut ex concordantiis hebraicis facile elucet, in textibus poëticis post formas in ֶיךָ, ֶיהָ ets. desinentes universim sequitur vox ab una vel duabus atonis incipiens (.! vel ..!) : ergo illae formae sunt pronuntiandae ut voces oxytonae, i. e. vocalis finalis est tacenda.

d) Ut sacri auctores אתה vel את (tu *masc.*) scribebant, masoretae *attá* vel *att* (Num. 11,15. Deut. 5,24) dicebant, Origenes αθθα vel αθ transcribebat, ita *fas ducimus pronuntiare, prout convenit, vel* ***attâ*** *vel* ***att.*** (אתה יהוה, etiam ubi att-Iahwè pronuntiandum est, scriptum censemus, ut ab accusativo אֵת יהוה distingueretur.)

§ 14. — *Imperfecto passivo coniugationis Qal* yoqṭàl (יֻתַּן, יֻקַּח etc.; cfr

1. Fleckeisen'sche Jahrbücher vol. 144, p. 341 sqq. 408 sqq.

Gesenius[27] § 53 u; Touzard n. 160 c NB 1) *masoretae,* ubicunque fieri poterat, i. e. ubicunque tres consonantes radicales scriptae aderant, *imperfectum Nif'al substituerunt* yiqqaṭél (יִקָּטֵל pro יִקְטֹל). Hac forma disyllaba restituta saepe metrum melius servatur ac nimius numerus atonarum evitatur, ut Iob 28,13 (hexameter) *lo-yadà' enôš 'erkâh, wlo-thomçâ b-erç-hàxxayyîm,* Thr 2,20 (pentameter) *im-yohràg b:midqàš Adonây kohén w:nabî.* — Cfr § 19 b.

§ 15. — a) Pro אֳנִיָּה, דּמִיָּה, סְעָרָה, לֶהָבָה, רְעָדָה restituendae sunt formae *onyâ, domyâ, sa'râ lahbâ, ra'dâ;* sunt enim femininae formae nominum segolatorum formae *quṭt, qaṭl.* Ac formae masoreticae saepe metrum turbant aut minus elegans reddunt (cfr Ps. 2,11; 22,3; 148,8; Thr. 2,3 al.). — b) Vox לַיְלָה (mas. לַיִל) *nox* videtur oxytona fuisse ac secundum formam primitivam *laylay* (*Gesenius-Buhl*[12] s. v.) pronuntianda לַיְלָה. Saepe sic metrum commodius servatur (Ps. 22,3; Thr. 1,2 al.). — c) Vocabula synonyma talia הֶדֶר et הָדָר, יֶרֶק et יָרָק interdum permutata esse videntur. — d) Status constructi fem. in *-athi* (*rabbâthi, sarâthi* Thr. 1,1, *dibrathî* Ps. 110,4) metri causa mutandi sunt in *-:thî* (*rabb:thî, sar:thî, dibr:thî* ex analogia cum *g:nub:thî* Gen. 31,39, *m:le'ăthî* Is. 1,21).

Nota. — Cum masoretae scribant et *qâmu, sàbbu* et *qamû, sabbû* (Gesen. § 67 ee. 72 s), videndum, num accentum semper recte posuerint.

IV. — De accentu vocabulorum in versu positorum.

§ 16. — ***Universim voces hebraicae etiam in versu consuetum suum accentum retinent.*** Nihilominus, ut ictus in versu convenienter distribuantur, ad regulas quasdam attendendum est, quas sacri poëtae omnes pariter observasse videntur. In quibus nihil miri aut novi invenies, si animadvertas, etiam masoretis morem fuisse, ut breve vocabulum suo accentu privarent ac cum vicino sub uno ictu proferrent; in longiore duos accentus ponerent, vel accentum ab ultima ad paenultimam retraherent.

§ 17. — ***Duo vocabula arctiore nexu grammatico unita, si iunctim habent tres syllabas seu tres plenas vocales, sub unum ictum cadunt*** (. .! vel .. !). — a) ***Verbum et subiectum :*** *yada'-šôr* Is. 1,3; *tarum qàrth* Pr. 11,11; *yippol-'âm* Pr. 11,14. — b) ***Verbum et obiectum aliudve complementum :*** *yehgu-rîq* Ps. 2,1; *naššqu-Bàr* Ps. 2,12; *lišpoch-dâm* Pr. 1,16. — c) ***Status constructus cum suo genetivo :*** *šifthe-šâqr* Pr. 10,18; *malche-èrç* Ps. 2,2; *derch-binâ* Pr. 9,6; *fethx-bethâh* 9,14. — d) ***Substantivum cum suo adiectivo :*** *dabar ṭôb* Ps. 45,2; *šir xadâš* Ps. 149,1; *melch xachâm* Pr. 20,26; *'ebd maskîl* 17,2; *midderch râ'* 2,12[1].

Nota. — Ubi voci formae *dəbarîm* (i. e šwa et dein duae syllabae) anteit monosyllaba,

1. Ex his exemplis fere evidens fit, vocalem auxiliarem segolatorum tacendam esse.

si haec in consonantem exit, duo ictus haberi solent, ut *én Elohim, béth rəša'im* etc.; sin in vocalem, dici potest cum uno ictu *pi-rša'ím, pi-chsilím, mi-chYahwé* etc. (phonetice *pir-ša'ím, pich-silím, mich-Yahwè,* cfr. § 7 c).

§ 18. — ***Vocabula duarum syllabarum atona sunt*** a) ***initio stichi ante ictum :*** *šaloš hénna* Pr. 30,15; *šloša hémma* 15,29; b) ***inter duas syllabas eutonas posita :*** *mî adon lânu* Ps. 12,5; *mi-fèthy yasur hénna* Pr. 9,4. 16; *musár ĕwilim bázu* 1,7[1]. Et cfr in § 17 exempla, in quibus prius vocabulum est disyllabum.

§ 19. — ***In vocabulo vocabulorumve serie tribus syllabis longiore syllaba secunda ante ictum primarium et ipsa sub ictum cadit, si ei praecedit syllaba atona :*** — a) ***in vocabulo 4 vel 5 syllabarum :*** *bi-šû'athâch* Ps. 13,6; *bigbûrothâw* 150,20, *wayyà'midém* 148,6; *yəsûdathô* Ps. 87,1, *wattàšlichéni* Ion. 2,4. — b) ***in vocabulis vocabulorumve paribus*** (§ 17) ***trisyllabis post vocem vel syllabam atonam :*** *ki-ràglehèm* 1,16; *kol-tôchaxtî* 1,30; *ha'zénna îmrathî* Gen. 4,23; — *ki-lîwyath-xén* Pr. 1,9; *kol-îmre-fî* 8,8; *lo-yo'ilu óçroth-rèš'* 10,2; *minn:šîqōth-pîw* Cant. 1,2; *yəšàmmax-áb* 10,1. — c) ***monosyllabum inter syllabas atonas positum ictum recipit :*** *p:ra'éhu àl ta'bôr-bo* Pr. 4,15; *çaràу yagîlu kî emmôṭ* Ps. 13,5; *'aléhu lô yibbôl* Ps. 1,3.

§ 20. — a) ***Monosyllaba praepositiva*** (i. e. praepositiones, coniunctiones, particulae negativae unius syllabae, status constructi monosyllabi, ut אֶל, עַד, אִם, לֹא, כָּל־ etc.) ***universim atonae sunt*** (exc. § 19 c), nisi habent emphasin : *el-Yahwè, 'ad-mathày, kol-goyîm* etc.

b) ***Monosyllaba postpositiva*** (לוֹ, בּוֹ etc., item הוּא, הִיא, אַת [cfr. § 13 d], si subiecti instar postponuntur) ***sunt atona post syllabam sub ictu positam :*** *àl ta'bôr-bo* Pr. 4,15, *y:zamm:rû-lo*[2] Ps. 149,3; *ki xayyîm hem* Pr. 4,22; *'eç xayyîm hi* 3,18; *ĕmôr laxxochmâ axothî att* 7,4. ***Post atonam vero habent ictum :*** *xachàmta lâch* 9,12; *xasîthi bâch* Ps. 25,20.

c) ***Duo monosyllaba vicina sub ictum unum cadere solent :*** *af-kî, ki-îm, im-lô* etc.; ante ictum manent atona[3] : *gam-el-pîhu* Pr. 19,24 (§ 18).

Nota. — 1. Per ipsum enuntiati sensum interdum vox per se atona ictum emphaticum accipere potest (*lô yasur šébṭ mihudá* Gen. 49,10; *lô* emphatice = *non* auferetur). In oppositione ad membrum contrarium etiam status constructus maiorem emphasin habere potest quam genetivus dependens (*mimmizràx šemš 'ad-məbo'ô* cfr germ. : « vom Sonnen*áufgang* bis zum Niedergang », cum alioquin intonetur « *Són-nen*aufgang »).

2. Etiam in aliarum linguarum carminibus, ubi occurrebant vocabula similis

1. Cfr similem regulam observatam in versibus italicis : Inalziam *sulle* rive del Tebro — *Una* voce festiva *a quel* grande (..! ..! ..!.).

2. Arabes dicunt qâl-li (dixit mihi) ac vel qālû-li (dixerunt mihi); apud *Socin-Stumme* passim. Cfr germanice : er gâb mir, sed : er sâgte mîr.

3. Cfr versum ital. : *La cui* possa divina si spande etc. *O di* Roma e d'Italia decoro etc.

rhythmi, has fere regulas capitis quarti observatas vidi, ut in germanicis, anglicis, italicis, hispanicis.

V. — De metris poëseos hebraicae.

§ 21. — Singulis versibus est suum certum metrum quod, ut § 2 diximus, numero ictuum efficitur. *Ex quo ictuum numero stichos nominabimus dimetros, trimetros, tetrametros,* versus (qui ex pluribus stichis constant) *tetrametros, pentametros, hexametros* etc. De singulis breviter dicemus et aliquod exemplum ponemus. Et quidem proponemus, si fieri potest, integrum carmen; toto enim poëmate posito probatum videtur, tale metrum exsistere.

§ 22. — *Dimeter* est stichus duorum ictuum, *trimeter* trium ictuum. Hi fere solum occurrunt ut partes longiorum versuum, pentametri, tetrametri, hexametri etc.; cfr §§ 23 sqq., ubi plura exempla dabuntur.

Exempli causa hic sufficiant pro dimetris aliquot stichi ex Is. 1,2 sqq.
2. šim'û šamâym | w:ha'zîni èrç | ki-Yahwè dibbèr. | 4. hôy goy-xoṭé |
'àm kebd-'awôn | zèr' m:re'îm | banîm mašxithîm, | 5. 'al-mè tukku-'ôd |
tosîfu sarâ | kol-rôš lox°lî | wchol-lebâb dawwây | mikkaf-règl u'ad-rôš |
en-bô məthôm | pèç' uxabburâ | umakkâ ṭ:riyyâ.

Pro trimetris Ps. 117 :

1. hallәlû eth-Yahwè kol-goyîm | šabb:xûhu kôl ha'ummîm.
2. ki-gabàr 'alênu xasdô | we'ĕmèth Yahwè lə'olâm.

Rhythmus est igitur hic : ..! ..! ..!, ..!. !..!; ..!.!..!, .!.!..!, ergo rhythmus qualem § 2 descripsi.

§ 23. — *Tetrameter* est stichus seu versus quattuor ictuum. Cuius exemplum propono Ps. 12, ubi primum bini, dein terni tetrametri in versiculum coalescunt.

2. Hošî'a Yahwè ki-gamàr xasîd | ki-fàssw ĕmunîm mibb:nê Adâm,
3. šâw y:dabbrû iš-èth re'éhu | s:fàth xălaqôth bleb-waléb y:dabbéru.
4. Yachréth Yahwè kol-sifthê xălaqôth | lašôn ašèr m:dabbèrth g:dolôth,
5. amâru: « lìlšonénu nagbîr | ś:fathênu ittânu, mî adon lânu? »
6. Miššôd 'ăniyyîm, meënqàth ebyonîm | 'attâ aqûm, yomàr Yahwè | ašîth bəyèš', yafîx lo.
7. Imrôth Yahwè ămarôth ṭ:horôth | kèsf çarûf ba'lîl la'ârç | m:zuqqâq šib'athâym; 8 att-Yahwè tišm:rém.
Tiççrènnu mìn haddôr zu-l'olâm | 9. sabîb r:ša'îm yithhàllachûn | kərûm zullûth libnê Adâm.

Nota. — Ad v. 2 : de *fàssw* v. § 10. — v. 4 : *ašer* transposui, ne in finem versus veniret. — 5 : ante colon scripsi formam pausalem *amâru; lilšonénu* § 19 b; adon sine ictu § 18 b, nisi cum LXX hoc ordine legeris *mi lânu adôn;* v. 6 in fine mutilatus videtur. — v. 8 : *att* § 13 d; *min* § 19 c; *yithhàllachûn* § 19 a. (Quia commodius legitur *yafix-lo*[§ 20 b], *kesf-çarûf*[§ 17 d], *k:rum-zullûth* [§ 17 c], videntur tres ultimi versiculi esse uno ictu breviores, hendecametri.)

§ 24. — *Pentameter* est versus quinque ictuum, plerumque caesurâ post tertium vel secundum stichum in duos stichos divisus (--- | -- vel -- | ---). Exemplo sit Ps. 23 :

1. Yahwè ro'î, lo-exsâr; | 2. binoth-dèš' yarbiçéni. (§ 17c)
'al-mê m:nuxôth y:nahăléni, | 3. nafšî y:šobéb,
yanxéni b:mà'g:le-çèdq | ləmà'n šemô. (§ 19b)
4. gam-kieléch bge-çalmâwth loira-râ' | ki-attâ 'imma dî. (§ 10; 17c, b)
šibt:châ umìš'antècha | hémma ynaxmûni. (an yanxûni?)
5. ta'rôch l:fanày šulxân | nègd çor:rây.
diššànta baššèmn roši | kosî r:wayâ.
6. ach ṭôb waxèsd yird:fûni | kol-y:mê xayyây,
w:sabtî bəbêth Yahwè | ləôrch yamîm.

V. 4 legi potest gam-ki eléch bge-çalmâwth | lô ira-râ' || ki-attâ 'immadî, | šibṭ-châumiš'antchâ hem-yanxûni.

Alia carmina huius metri habes Ion. 2,3-10; Ps. 42. 43. 48. 101; Thr. 2 et 3.

§ 25. — *Hexameter* est versus sex ictuum. Per caesuram varie dividitur in duos trimetros (--- | ---) vel tres dimetros (-- | -- | --) vel dimetrum et tetrametrum (-- | ---- vel ---- | --). Exemplaris loco pono benedictionem Iosephi Gen. 49,22-26 :

22. Yoséf ben-porâth 'ăle-'âyn | banôth çā'dâ 'ăle-šûr.
23. waymārrûhu warôbbu | wàyyisṭ:mûhu ba'lê xiççîm.
24. wattéšeb b-ethân qaštô | wayyafôzzu zro'ê yadâw.
midêăbir-Ya'qôb | miššâm ro'è | ebn-Yìsra'él.
25. me'Él abîch' (wya'azrèkka) | wə'éth šaddây (wibārchèkka!)
birchôth šamâym me'âl | birchôth təhôm robeçt-tâxth,
birchôth šadâym warâxm | 26. birchôth abîch' w:'immâch,
gab:rû 'al-birchôth horây | 'ad-ta'wàth gib'ôth 'olâm.
tihyêna l:rôš Yoséf | ulqodqôd nəzîr exâw.

Nota. — 22. Cum reliqua Iacobi de filiis vaticinia a nomine proprio incipiant, initio versus *ben-porâth*, quod metrice superabundat, omitti posse videtur. — 23. *wàyyisṭ:-mûhu* sec. § 19 b. — *zro'ê* § 7c — *ebn-Yìsra'el* § 19 b. — 25. ad *robeçt* cfr § 6 Nota; *robeçt-tàxt* § 17b. — 26. *w:'immâch* adicio sec. LXX et textum Sam. — de *abîch'* cfr § 13.

Alia carmina hexametrica sunt Ps. 147. 148. 149 (in fine 2 pentametri et 2 heptametri), 150. Is. 60,1 sqq. Talia carmina saepe ab octametro incipiunt.

§ 26. — *Heptameter* est versus septem stichorum, pro caesura varius (---- | --- vel --- | ---- vel -- | --- | --).

Exemplum ascribo Ps. 29, in quo praeter v. 3. et 9. reliqui heptametri sunt.

1. Habû l:Yahwè bne-elîm | habû l:Yahwè kabôd wa'ôz.
2. habû l:Yahwè kbōd-š:mô | hištaxwû l:Yahwè b:hadràth qodšô.
3. Qol Yahwè 'al-hammâym | el hàkkabôd hir'îm | Yahwè 'al-mâym rabbîm.

7. qol Yahwè xoçéb lahboth-éš | 4. qol Yahwè bakkôᵃx, qol Yahwè be-hadâr.
5. qol Yahwè šobér ărazîm, | wayšabbér Yahwè eth-arzê Hallbanôn,
6. wayyàrqidém, k:mo ʿégl L:banôn, | w:Širyôn k:mo-bèn r:ʾemîm.
8. qol Yahwè yaxîl midbâr, | yaxîl Yahwè midbàr Qadéš.
9. Qol Yahwè y:xolél ayyalôth | wayyexśôf y:ʿarôth | ubhechalô kullôomer-kabôd.
10. Yahwè lammabbûl yašâb | wayyéšeb Yahwè malôch l: ʿolâm.
11. Yahwè ʿôz l:ʿamô yittén | Yahwè y:barêch eth-ʿammô baššalôm.

Nota. — 1. Ad *bne* et 2. *kbod* cfr § 7 c cum nota. — 2. *qodšô* cum affixo sec. LXX. — 7. Hunc stichum huc transposui, quia suo loco parallelismum membrorum turbare videtur; et quia fulgur commemorari convenit, antequam eius effectus describantur. — In v. 10 מֹלֵךְ cum vocalibus infinitivi absoluti lego metri causa (de quo inf. v. Gesen. § 113h). Versus 3. et 9. sunt octametri.

Aliud eiusmodi carmen est Ps. 140.

§ 27. — *Octameter* est versus octo stichorum, qui per caesuras plerumque in duas (---- | ----) vel tres (--- | -- | ---) partes distinguitur. Exemplum iam habes in § 23, ubi primum bini tetrametri in octametrum componuntur. Adhuc duos versus e libro Prov. appono (30,19. 20).

derch-hannèšr baššamâym | derch-naxâš ʿale-çûr | derch-onyâ b:leb-yâm | w:derch-gèbr b: ʿalmâ :
kén derch-iššâ m:naʾâfth, ăchlâumāxtha-fîhʾ, w:āmrâ lo-faʿâlti âwn.

Nota : *derch-hannèšr* etc. § 17 c. — *onyâ* § 15 a. — *maxtha-fîhʾ* §§ 17 b. 13.

§ 28. — *Enneameter* est versus ictuum novem, ex tribus ut plurimum trimetris compositus. Ut Prov. 4,4 :

wayyoréni wayyômer lî | yithmôch d:barây libbâch, | šəmôr miçwothây wexyé.

Alia exempla ibid. 5,19; 6,22; 7,22; 8,13.

§ 29. — *Decameter* est versus decem ictuum, cuius formae symmetricae sunt - - - | - - - - | - - - vel - - - | - - | - - | - - - vel - - | - - - | - - - | - -.

Prov. 1,22 sq. : ʿad-mathây p:thayîm teʾéhabu-fèthy | w:leçîm laçôn xam:dû lahèm | uchsilîm yisn(:ʾ)u-dâʿth?
tašûbu l:thôchaxtî | hinné abbîʿa lachèm ruxî | odîʿa dbarây ethchèm.

Cfr Prov. 25,7 sq.

In hoc metro, ni fallor, decurrit *hymnus Magnificat* (nempe versio litteralis hebraica textus graeci Luc. 1,46-55; cfr Zeitschr. f. kath. Theol. 1905, p. 754) :

M:gaddèlth nafšî l:Yahwè | wattâgel ruxî bElohê yišʿî, | ki-raʾâ boʿnî ămathô.

ki-hinné me'attâ y:ašš:rûni | kôl haddorôth, | ki-'asâ-li gdolôth | hag-gibbôr w:qadôš šəmô.
w:xasdô l-dor-wadôr lire'âw | 'asa-xàyl bizro'ô | pizzàr r:habîm | bəyéçr maxš:bôth libbâm(o).
horîd roz:nîm me'al-kis'ôth | wayyagbàh š:falîm | r: 'ebîm mille-ṭôb | wa'širîm šillàx reqâm.
tamàch bYisra'él 'abdô, | lizkor-xèsd ka'šèr dibbèr el-ăbothênu | lAbra-hâm ulzar'ô l:olâm.

Si versus carminis sunt ABCDE, ictus versuum 1,2,3... : animadverte homoeoteleuta A10 et B10, D10 et E10; A5 et A7, B5 et B7, D5 et D6, E5 et E6.

VI. — De carmine hebraico.

§ 30. — *Ex versibus illis variis,* quos §§ 22-29 descripsimus, *Hebraei artificiose carmina componebant,* idque pervarie.

Aut enim *integrum poëma ex versibus aequalibus* conficiebant, ut ex compluribus exemplis patet allatis. Aut — ut Horatius ex diversis versibus strophas artificiose conficit (ut sapphicas, alcaicas, asclepidiacas) — *varios versus in strophas congregabant, strophas inter se pares in carmen;* exempla afferentur in capite VIII. Aut *binos ternosque versus eiusdem metri coordinabant, dein vero ad alios atque alios rhythmos transeuntes metrum variabant* (ita praesertim Isaias). Ex. gr. primus psalmus constat ex[1] 2VI + 2IV + 2VI + 2V + 2VII, psalmus 19 ex 2VII + 2VI + 2IX + 3[2V] + 2IV + 2V + 2IX.

In longiore carmine (ut in libris Proverbiorum et Iob) unum aliquod metrum praevalere solet, sed passim intersperguntur varietatis causa, ut plurimum bini, versiculi metri differentis.

In libro Proverbiorum dominatur hexameter, sed passim intericiuntur bini (rarius singuli) heptametri vel pentametri ets. Minus regulares sunt eae partes quae sunt variorum proverbiorum collectio.

Ei igitur qui in metra sacrorum librorum inquirit, cavendum est summo opere, ne, lectis aliquot versibus, statim de metro sententiam ferat, omnes versus in idem hoc metrum, eliminatis aut interpolatis vocabulis, cogat. In casu dubio non textus sacer nostro iudicio, sed e contrario iudicium nostrum textui, si quidem aliunde constat eum esse bene traditum, conformandum est. Neque, si psalmus post aliquot strophas in aliud metrum transit, inde certo iudicari potest, ibi novum poëma incipere vel partem a posteris adiectam. Nam idem exempli gratia Iaponicis poëtis passim in more est[2], riderentque vehementer, si doctus nescio quis Europaeus tales strophas adiecticias, quae videntur, negaret esse genuinas atque ab ipso primo carminis auctore profectas.

1. Hic IV tetrametrum, V pentametrum indicat, et ita porro.
2. Cfr Florenz, jap. Litteratur, p. 76.

Inter psalmos etiam fortasse dithyrambi, quos vocamus, sunt aut preces lectiores prosaicae, in quibus frustra metrum constans quaereremus. At propter tales psalmos reliquis suum metrum negandum non est.

VII. Ex libro Proverbiorum.

Caput primum.

1. Mišlê Š:lomô ben-Dawîd, | ăšèr malàch bYisra'él,
2. ladà'th xochmâ umusâr, | l:habîn imrê binâ,
3. laqàxth musâr haśkél, | çèdq ŭmišpâṭ ŭmešarîm,
4. lathéth lifthayîm 'ormâ, | lənà'ᵃr dà'th umzimmâ.
5. yišmà' xachâm wyosef-lèqx, | w:nabôn taxbulôth yiqnè,
6. l:habîn mašâl umliçâ, | dibrê xăchamîm wxidothâm.
7. yir'àth Yahwè rešith-dâ'th, | xochmâ umusâr ĕwilim bâzu.

8. Š:ma'-b:nî musàr abîch', | w-al-tiṭṭôš toràth immâch.
9. ki lìwyath-xén hem lrošâch, | wa'naqîm ləgàrg:rothâch.
10. bənî 'm-y:fattûch'xaṭṭa'îm, | al-tabô im-yōmrû : 11. lcha-ittânu!
ne'erbâ lədâm, | niçp:nâ lənaqî xinnâm,
12. nibla'ém kiš'ôl xayyîm, | uthmimîm kyōrde-bôr.
13. kol-hôn yaqâr nimçâ, | n:mallé bāttênu šalâl.
14. goralâch tappîl b:thochênu, | kis-exâd yihyè l:chullânu.

15. Benî al-teléch bədèrch ittâm, | mənà' raglâch minn:thîbothâm.
16. ki-ràglehèm larâ' yarûçu, | wimahrû lišpoch-dâm.
17. ki-xinnâm m:zorâ harâšth, | b:'ene-chôl ba'l-kanâf.
18. wəhém l:damâm ye'rôbu, | yiçp:nû lnafšothâm.
19. kén orxōth-kôl boçe'-bâç', | eth-nèfš b:'alâw yiqqâx.

20. Xochmôth baxxûç tarônna, | birxobôth tittén qolâh,
21. bərôš homiyyôth tiqrâ', | b:fithxé š:'arîm, | ba'îr ămarâh' tomér:
22. 'ad-mathây p:thayîm te'éhabu-fèthy | w:leçîm laçôn xam:dû lahèm | uchsilîm yisnu-dà'th?
23. tašûbu l:thôchaxtî, | hinné abbî'a lachèm ruxî, | odî'a |dbarây ethchèm.
24. ya'n-qarâthi wàtt:ma'énu, | naṭîthi yadî w-ēn-maqšîb.
25. wattìfr:'u-chôl-'açathî, | wthochaxtî — lô 'ăbithèm.
26. gam-ănî b-ēd:chèm esxâq, | el'àg, bəbô faxd:chèm,
27. bəbô ch:šo'ę faxd:chèm, | w-ēd:chèm k:sufâ ye'thè | bəbô ălechèm çarâ w:çuqâ.
28. āz-yiqra'ûnni w:lô e'nè, | y:šaxrûnni w:lô yimça'ûnni,
29. taxth-kî sān'u-dâ'th, | wyir'àth Yahwè lo-baxâru,
30. lo-abû la'çathî, | nā'çû kol-tôchaxtî.
31. w:yōchlû mipp:rî darkâm | ŭmimmô 'ᵉçothehèm yiśbâ'u.

32. ki-mšubàth p:thayîm tahargém, | w:šalwàth k:silîm t:'abb:dém.
33. w:šomé'-li yìškon-bâṭx, | w:ša'nân mippàxd ra'â.

Nota. — Ante v. 13 habes duos pentametros, in v. 15 duos tetrametros, 17 sq. duos pentametros, 21 octametrum, 22 sq. 27 decametros, 29 sq. pentametros; reliqui versus sunt hexametri (cfr § 30).

Regulas §§ 17-20 passim hic applicatas vides; quas notas suppono. Notanda restant fere haec : In v. 1 *ašèr malàch* scripsi sec. LXX. — 7. *ᵉwilîm* § 18. — 8. De *abîch'*, *y:fattûch* (10), *garg:rothâch'* ets. cfr § 13. — 10. *'m* § 8. — 25. Fortasse legi potest : *wattafrî'*u (Hifil) *kôl 'açathî*.

De Sapientia (*8,22 sqq.*).

22. Yahwè qanàni | rešîth darkô, | qedm-mîf'alâw.
me'âz (23.) me'olâm nissàchti, | merôš miqqàdme-ârç.
24. bə'ên t:homôth holâlti, | bə'ên ma'yanôth nichbde-mâym.
25. bəṭèrm harîm hoṭbâ'ti, | lifnê g:ba'ôth holâlti.
26. 'ad-lô 'aśa-èrç uxuçôth, | wərôš 'afrôth tebél.
27. bahchinô šamâym šam-âni, | bxuqqo-xûg 'al-p:nê thəhôm.
28. b: 'amm:çô š:xaqîm mimmâ'l, | ba'zôz 'enôth təhôm.
29. b:śumô lyām xuqqô, | umàym lo-yà'ᵃbru-fîw,
b:xuqô mōsde-ârç | (30) wa'ehyè eçlô amôn.
wa'ehyè ša'šu'îm yōm-yôm, | m:śaxxèqth l:fanâw b:chol-'éth,
31. m: śaxxèqth b:thebél arçô, | wša'šu'ày eth-b:nê Adâm.
32. w:'attâ banîm, šim'û-li, | w-ašrê d:rachày yišmôru.
33. šim'û musâr w:xichmû w-al-tifrâ'u, | ašrê adâm šomé'-li,
lišqôd 'al-dàlthothày yōm-yôm, | lišmôr m:zuzôth p:thaxây.
34. ki-mōç'î maçâ xayyîm, | wayyâfeq raçôn miyYahwè.
35. w:xōṭ'î xomés nafšô, | kôl m:śan'ày āhbu-mâwth.

Nota. — Praeter duos pentametros (post v. 28) totidemque heptametros (v. 33) habes hexametros. — 22/23 : Metri causa *me'âz* 'von jeher' ad v. 23 transtuli, qui sic in utroque sticho habet binas voces aeternitatem indicantes. — 24. Forma *nichb:de* (Ps. 149,8) metro melius congruit. — 29. *l:yam* pro *layyâm*, § 12.

VIII. — Aliquot psalmi stropharum aequalium, versuum imparium.

Ps. 114. « *In exitu Israël* ».

Alternant hexameter et pentameter.

1. Bəçéth Yisra'él mimMiçrâym, | bēth-Ya'qôb me'âm lo'éz,
2. hay:thâ Y:hudâ l:qodšô, | Yisra'él mamšlothâw,
3. hayyâm ra'â wayyanôs, | hayYardén yissôb l: 'axôr,
4. heharîm raq:dû k:elîm, | g:ba'ôth kibne-çôn.
5. Ma-ll:châ hayyâm ki-thanûs, | hayYardén tissôb l:'axôr?

6. heharîm tirq:dû k:'elîm, | g:ba'ôth kibne-çôn?
7. millifnê Adôn xuli-ârç, | millifnê Elôh Ya'qôb.
8. hahoféch haççûr ăgam-mâym, | xallamîš lma'yno-mâym.

Nota. — *beth-Ya'qôb, kibne-çôn, xuli ârç, ma'yno-mâym* ex § 17.

Ps. 13. « *Usquequo, Domine* ».

Duae strophae, ex octametro heptametro octametro compositae.

2. 'Ad-âna Yahwè tiškaxéni nèçx, | 'ad-âna tastîr eth-panâch' mimmènni?
3. 'ad-âna ašîth 'eçôth b:nafšî, | yagôn bilbabî yomâm?
'ad-âna yarûm oy:bî 'alây? | (4) habbîṭa 'ănéni Yahwè ĕlohây!

Ha'îra 'enày pen-išàn hammâwth, | (5) pén yomàr oy:bî y:choltîw.
çarày yagîlu kî emmôṭ, | (6) wa'ănî b:xasdâch baṭâxti.
yagél libbî bišû'athâch, | ašîra lYahwè ki-gamàl 'alây.

Nota. — In priore stropha bini stichi versiculi primi ac secundi parallelismo sententiae, tertii vero homoeoteleuto in -*ây* copulantur; item in altera stropha stichi versiculi primi et tertii parallelismo membrorum, secundi constructione « sententiae circumstantialis ». — 5. *pén* iteratum cum emphasi et ictu. *Kî* § 19c. — 6. *bišû'athâch* § 19a. De terminatione -*âch* cfr § 13.

Ps. 3. « *Domine, quid multiplicati sunt* ».

Bis singuli hexametri binique heptametri; dein epodus diversa.

1. Yahwè ma-rabbû çarây, | rabbîm qamîm 'alây.
3. rabbîm om:rîm l:nafšî, | ên y:šu'âtha llô bElohîm! — (sèla)
4 w:'attâ Yahwè magén ba'dî, | k:bodî umerîm rošî

5. Qolî el-Yahwè eqrâ', | wayya'néni mehàr qodšô. — (sèla).
6. ăni-šachàbti wâ'išâna, | hĕqiçôthi kî Yahwè yism:chéni.
7. lo-irâ meribboth-'àm ăšèr, | sabîb šathû 'alây.

8. Qûma Yahwè, | hoši'ény Elohây!
ki-hikkîtha eth-kôl ōybay lèxi, | šinnê r:ša'îm šibbârta.
9. l:Yahwè hayšu'â, | 'al-'ammâch birchathâch. — (sèla).

Nota. — V. 3 : *llô*, v. 6 *kî* sub ictu sec. § 19 c. — v. 6. *wâ'išâna*, v. 7 *meribboth-'âm* cum duobus ictibus sec. § 19 b. — v. 7. *šathû* de hoc accentu cfr Gesenius § 73 d, 72 s. Quia *ašèr* proprie significat « qui habet hanc qualitatem (einer mit folgender Eigenschaft), talis », potest ac saepe solet caesura poni *post* hoc pron. rel.; itidem Neo-Arabes caesuram post pron. rel. *elli* admittunt : cfr. ZDMG XLVI p. 339 sq. — v. 8 *ōybay* atonum sec. § 18 b. — Vox *sèla* divisionem stropharum nostrarum hic certe non indicat. In v. 8 *hoši'ény* ex § 10.

Initium Psalmi 22. « *Deus Deus meus* ».

Duae strophae binorum pentametrorum et unius hexametri.

2. Elî elî hat-elây! | lamâ 'ăzabtâni?
raxôq mišû'athî | dibrê ša'gathî.
3. Elohây eqrâ yomâm wlo-tha'nè, | w:lelè wlo-dumyâ-li.
4. W:'attâ qadôš, | yošéb t:hillôth Yisra'él.
5. bechâ bat:xû ăbothênu, | bat:xû wattfallṭémo.
6. elâch za'ăqû w:nimlâṭu, | bechâ bat:xû w:lo-bôšu.

Dein pergitur per hexametros.

Nota. — V. 2. Textum supplevi ex LXX πρόσχες μοι, cfr Ps. 40,2 *wayyèṭ elày* — καὶ προσέσχε μοι. — 3. De *lelè* et *dumyâ* cfr § 15 a, b; ii § 20 b.

Ps. 87. « *Fundamenta eius* ».

Tres strophae ex trimetro, tetrametro dimetroque, tetrametro compositae. Cfr Zeitschrift für kath. Theologie 1906, p. 761 sqq.

1. Yesûdathô bharre-qôdš.
2. ohéb Yahwè ša'rê Çiyyôn | mikkôl-m[i]šknōth-Ya'qôb.
3. nichbadôth m:dubbâr-bāch, | 'ir-hâElohîm. — (sèla).

4. Azkir-Râhb uBabèl lyod:'ây.
hinné Feléšth uÇôr 'am-Kûs, | zè yullad-šâm.
5. ulÇiyyôn ye'amàr: | iš-w:îš yullad-bâh.

Wehû y:chōn:nèha 'Elyôn.
6. Yahwè yispôr bichthôb 'ammîm: | zè yullad šâm. — (sèla)
7. w:šarîm k:xol:lîm: | kol-mà'yanày bach.

vel melius forte :

w:šarîm k:xol:lîm kullâm: « 'uni bâch! »

Nota. — 1. *yesûdathô* § 19 a. — 2. Elisa sec. § 9 (cfr Origenis μοχνη) vocali *i*, commode pronuntiatur *mikkôlmšknōthya'qôb*. — 7. Ex LXX. Syr. constat scriptum fuisse כל מעוני בך. Ergo vel « omnis mea habitatio est in te » vel fortasse כלם עני בך... « et cantant saltando omnes : habitatio mea (inf. cstr. verbi עון cum suffixo) est in te ». — Ne hic quidem vox *sèla* strophas dividit.

Ps. 110. « *Dixit Dominus Domino meo* ».

Duarum stropharum utraque habet 2 tetrametros, pentametrum, tetrametrum, trimetrum, pentametrum.

1. Num-Yahwè lAdonî: | šéb liminí.
'ad ašîth oy:bâch' hădôm l:raglâch'.
2. maṭṭé 'uzzâch yišlàx Yahwè miçÇiyyôn.

rədé bqerb-ōybâch', | 3. 'ammâch n:dabôth,
byōm-xelècha, bəhàdre qôdš.
merèxm mišxâr ləchâ ṭal-yàlduthâch.

4. Nišbà' Yahwè, | wlo-yìnnaxém :
att-kohén l:'olâm 'al-dibr:thî Malkiçèdq.
5. Adonây 'l-y:minâch maxàç byōm-appô m:lachîm.
6. yadîn baggoyîm, | malé g:wiyyôth,
maxaç-rôš 'al-èrç rabbâ.
7. minnàxl baddèrch yištè, | 'al-kén yarim-rôš.

Nota. — In priore stropha prima verba quarti versiculi, quae dura videntur, phonetice sic commode pronuntiantur *rə-dév-qer-voy-vâch* (.! ..!). Item in alterius strophae secundo versiculo *'al-divrthî* (vel ex § 9 *'al-dvrathî*); cfr § 15 d et § 4 vel formâ consuetâ *'al-dibrathî* (...!). — *ṭal-yàlduthâch* et *wlo-yìnnaxém* sec. § 19 b.

Ps. 100. « Iubilate Deo omnis terra ».

Duae strophae ternorum trimetrorum et binorum tetrametrorum.

1. Harî'u lYahwè kol-ha'ârç, | 2. 'ibdû eth-Yahwè b:śimxâ, | bô'u lfanâw birnanâ.
3. də'û ki-Yahwè hu Elohîm, hu-'asânu, | wlo-ănàxnu 'ammô w:çon-màr'ithô.

4. Bô'u š'arâw b:thodâ | xăçérothâw bithhillâ, | hodu-lô bar:chû šəmò.
5. ki-ṭôb Yahwè, l:'olâm xasdô, | w:'ad-dôr wadôr ĕmûnathô.

Nota. — 2. Fortasse melius *bo'û* (Gesen. § 72 s.). — 3. *hu-Elohîm*, synizesis § 10. — wlo (ולו Qerê) « et Ei nos sumus populus Suus ».

Ps. 113. « Laudate pueri Dominum ».

Tres strophae ex hexametro binisque pentametris compositae.

1. Hall:lû 'abdê Yahwè, | hall:lû eth-šém Yahwè.
2. yehî šem-Yahwè m:borâch me'attâ w'ad-'olâm.
3. mimmizràx-šemš 'ad-m:bo'ô m:hullâl šem-Yahwè.

4. Râm 'al kol-goyîm Yahwè, | 'al-hàššamàym k:bodô.
5. mi-chYahwè Elohênu hammàgbihî lašâbth,
6. hammàšpilî lir'ôth baššamàym ŭba'ârç.

7. M:qimî me'âfār dâl, | me'ašpôth yarîm ebyôn,
8. l:hošibî 'm-n:dibîm 'im-n:dibê 'ammô.
9. mošibî 'qerth-habbàyth em-hàbbanîm s:mexâ.

Nota. — 3. De intonatione *mimmizràxšems* cfr notam 1. in § 20. — 5. *mi-chYahwè* § 17 Nota. — 7. Nomina duorum Qameç ante monosyllabum videntur accentum retrahere potuisse; cfr ps. 140, 2 *xall:çéni Yahwè meâdām râ, me'îš xamasîm tinç:réni* (ps. heptametricus) et saepius.

Ex Threnis : 1, 1-3.

Singulae strophae habent 1 pentametrum et 2 tetrametros. (Sed pentameter in vv. 6, 11, 15, 20 secundo loco positus est, in vv. 10, 14, 19 tertio; vv. 7, 12, 16, 21 ex solis pentametris constant. Textum totum v. Bibl. Zeitschr. VI p. 17.)

'Echâ yaš: bâ badâd ha'îr rabb:thi-'âm.
hay:thâ ch-almanâ rabb:thî baggoyîm,
śar:thî bammdinôth hay:thâ lamàs.

Bachô thibkè ballelè wdim'athâh 'al-lexyâh
ēn-lâh m:naxxém mikkôl ōhbâh'
kol-re'âh' bagdu-bâh, hayu-lâh l-ōybîm.

Gal:thâ Y:hudâ me'ŏnî umerôb 'ăbodâ.
hi-yōšbâ baggoyîm, lo-māç'â manôᵃx,
kol-rōdfâh' hissigûh' bēn-hàmm:çarîm.

Nota. — De formis *rabb:thî, sar:thî, lelè* cfr § 15 b. d; de *âh'*, *ûh'* (pro *êha*, *ûha*) § 13. Ultimum hic pono *carmen Lamechi* : Gen. 4,23 sq.

Unus octameter et duo hexametri.

'Adâ w:Çillâ šəmà'an qolî, | n:še-Lèmch ha'zénna ìmrathî.
ki-îš haràgti lfîš'î, | wəyèld l:xabbûrathî.
ki-šib'athàym yuqqam-Qâyn, | wəLèmch šib'îm w:šib'â.

Nota. — Regula § 19 ter hic usuvenit, 17 a et 17 c semel.

IX. — Epilogus.

Ex propositis capp. V, VII, VIII versibus ac carminibus hoc intellegimus, si in legendo adhibeantur regulae pronuntiandi et intonandi §§ 6-20 enumeratae, revera in quibusdam partibus sacrae Scripturae observari non solum stilum quendam elegantiorem parallelismumque membrorum, sed etiam eum rhythmum liberiorem, quo poëtae Germani, Angli, alii (v. § 2) utuntur. Qui vero libros poëticos, praesertim Isaiae partem posteriorem, Proverbia, Threnos, Iob, Psalmos, easdem observans regulas perleget, inveniet plerosque versus cadere sub aliquod ex metris §§ 22-29 indicatis; carmina inveniet multa, quae sine ullo fere obstaculo rhythmice declamari ac decantari queant. Unde certo iudicare licet, habuisse Hebraeos poësin rhythmicam ab accentu vocabulorum dependentem. Et quidem carmina antiquissima (ut Gen. 4,23 sq. Gen. 49. Num. 22-24) et sat recentia sub eosdem rhythmos easdemque regulas cadunt. Nec casu fortuito accidere potuit, ut centeni et milleni versus sine rhythmo compositi, si a nobis secundum determinatas quasdam rationique consentaneas regulas legantur, rhythmice sonent.

Verum est, non deesse versus et carmina, in quibus, vel textu secundum

veteres versiones correcto, metrum aut rhythmum frustra quaerere videamur. Sed quidquid de his sentiendum est (certe non sunt statim spuria declaranda), tantus habetur versuum poëmatumque numerus, in quibus, quin rhythmice conscripti sint, dubitatio nulla oritur, ut ars rhythmica poëseos Hebraeorum ipsa prudenter in dubium vocari vix amplius possit.

Adhuc adnotare velim quam raro, cum verba s. Scripturae rhythmo subicerem, ipsum sacrum textum, i. e. consonantes hebraicas, mutandas indicaverim. In 172 fere illis versiculis enim seu 352 stichis quos capp. V, VII, VIII exscripsi, solum Gen. 49,22 unum ex duobus ben-porâth abundare innui; praeterea quater textum masoreticum secundum LXX emendavi (Prov. 1,1; Ps. 22,2; 29,2; non necessario nec metri causa 87,7); semel unum vocabulum (Ps. 12,4, non metri causa) ac semel unum stichum (Ps. 29,7, non solius metri gratia) transposui. Si vocales a masoretis positas saepius mutabam, id faciebam secundum certas regulas ex traditione atque ex ingenio linguarum semiticarum petitas.

Unde nequaquam eum puto incedere via intuta, qui huic de rhythmis Hebraeorum quaestioni operam navet, quamdiu quidem sacro textui fideliter adhaereat nec ab eo recedere audeat nisi raro, gravate, in minutiis. Neque is tractaverit rem plane inutilem; efficiet enim ut sacros libros cum novo gustu legere ac sapere possimus, quippe quorum carmina a Spiritu S. inspirata iam nova seu potius veteri sua pulchritudine fulgeant. Denique puto equidem hac ratione cognitum iri, textum hebraicum poëmatum sacrorum multo accuratius quam quidam opinantur traditum conservatumque esse.

INDEX APPENDICIS

Capita.

Carmina.

Typographie Firmin-Didot et Cie. — Mesnil (Eure).